

OPY

... ..

85.703

... ..

Descriptio

F. 12

201

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA



VNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

CRÉDITOS SALES

[Faint, illegible handwriting]

Ca. 3)

*Este
Tab. reverb. bar. n. 201.*

~~57060~~

(C. 12)

85703



(1)

15685561

10/10

133 n 8

HISTORIARVM
ORIENTALIS
INDIÆ

Tomus XII.

In tres Libros siue Tractatus distributus.

QVORVM

PRIMVS continet descriptiones Chorographicas & Topographicas Regnorum, Prouinciarum, Insularum, Urbium, Castellorum, Emporiorum, Montium atque Fluviorum, totius illius Continentis, quæ vulgo ORIENTALIS INDIÆ nomine censetur: imprimis Chersonesi Aurea, Sinarum, Japonum, Sinus Persici & Gangetici, Oceani Eoi & Littoris Africani: adiectis Incolarum moribus & ritibus, ipsiusque soli ingenio & Natura.

SECUNDVS habet Narrationes exquisitas aliquot Navigationum & Expeditionum Marinarum, ab Anglis Batavisque potissimum, in omnes illas Orientis & Austripartes susceptarum, vt & preliorum aliquot naualium vario euentu commissorum: quibus accessit PERIPLVS Orbis Terra, à Iacobo Eremita, Nauarcho Batavo absolutus: quæ historia incipit ab anno AN. C. M. DC. XIII. terminaturque initis anni M. DC. XXVI.

TERTIVS tribuitur descriptioni quarundam Septentrionalium Regionum atque Insularum, ante non satis cognitarum, nempe partis Scythia, Moscovia, quæ magna pars est Sarmatia Europæ & Asiaticæ, nec non Samogetia, Islandia, Gronlandia & aliarum, quarum plenior notitia, expeditionibus Nauarchorum felici industria in eas Orbis partes confectis, ad nos peruenit: à primis Aquilonarium Navigationum initis ad nostra tempora.

I. LVDOVICVS GOTOFRIDVS EX ANGLICO ET Belgico sermone in Latinum transtulit, nouis accessionibus locupletauit, ordinem & concinnitatem addidit: non sine Tabulis Chorographicis & Figuris æneis, vnde lumen toti historiarum.



FRANCOVRTI.

Apud WILHELMVM FIZZERVVM Anglum, Bibliopolam,

ANNO M. DC. XXVIII.



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA



ANTIQUA NOBILITATE GENERIS, VIRTUTE AC MULTIPlici

rerum usu præstantissimo Domino, IOSEPH VON DER THANN & C.
Equiti Franco, Historiarum amatori summo, Pa-
trono suo eximio.

S. D.



V CERNAS, quibus pinguis Mineruæ succus
in flammam alimoniam suppeditat, facile emo-
ri, nisi subinde instilles amicum liquorem: &
ferrum contrahere vitium ac rubiginescere, ni-
si moderato leuigetur teraturq; usu, nouimus,
Vir Nobilitate generis & usu rerum præstantif-
sime. Eadem amicitia ratio est; quæ etsi bonis
coaluisse videatur auspiciis, facile tamen vel he-
betari, vel situm aliquem & obliuionis cariem pati potest, præsertim
inter absentes longiusque distitos, nisi quandoque iucundis bene-
uolentiæque plenis refricetur atq; suscitetur alloquiis, aliisque, quæ
usus fert, officiis.

Aliquot anni sunt, cum me primum, IOSEPH Nobilissime, in nu-
merum amicorum tuorum admittere dignatus es, primum quidem
in Anglia, patria mea, vbi tibi familiaritatem meam non ingrati-
fuisse intellexi: deinde in Germania tua, vbi nos eadem Numi-
nis prouidentia mutuis certantes officiis coniunxit, sociosque
fecit diuersorum itinerum, cum in Belgium, Lotharingiam atque
Galliam vna profecti, & alter alterius conuersatione ac præsentia
non delectati duntaxat, sed & in ferendis viæ difficultatibus & mo-
lestiis adiuti fuimus. Grata mihi est, si qua fides, illius temporis re-
cordatio, cum eximia illius tuæ prothymia in me, & suauissimorum
colloquiorum, totiusq; adeo conuersationis, animum meum subit
imago, quæ me iam diu monuit, & cunctanti aurem vellicauit, vt ti-
bi testimonio aliquo euidenti ostenderem, me non esse oblitum in-
credibilis illius tuæ humanitatis, qua ab alto illo Generositatis tuæ
fastigio te ad me complectendum demisisti.

Et ecce, commoda se mihi, si quid recte iudicare possum, obtulit
ocasio. Non me fugit, quanto feraris desiderio atque studio cogno-
scen-

);(2 scen-



P R Æ F A T I O.

scendarum earum regionum, quas natura parens, vel intercedente immani Oceano, vel vastis terrarum spaciis à nobis discreuit, ut earum discas ingenia, miracula, cæli solique bona aut mala, vrbes, pro- uincias, incolas horumque mores.

Enimvero non omnibus licet ipsis eo adire, suisque cuncta ar- bitrari oculis, diiudicare sensibus: ex aliorum quædam relatu discen- da sunt, & fidelibus narrationibus adhibendæ aures, in qua re, si non plus est quam in Autopsia iueunditatis, certe minus deprehenditur periculi.

Prodit nunc è meo bibliopolio in Lucem Duodecima pars Hi- storiarum Orientalis Indiæ, ea potissimum complectens, quæ pro- ximis hisce annis Nauarchi nostrates, Angli atque Bataui, difficili- mis periculique plenissimis suis experti fuerunt nauigationibus; nec iis in Orientis duntaxat, sed & Septentrionis ac Austri partes susce- ptis, & quæ litterarum monumentis consignata nobis ac posteritati consecrauerunt. Rara quædam in iis, nec ante hæc tempora vulgo nota, ex quibus, quæ capi possit delectatio, comparari scientia, perci- pi utilitas, meum non est hoc loco prolixius ostendere, cum non lo- quar earum rerum ignaro, sed in historiæ monumentis versa- tissimo.

Et hæc causa est, Nobilissime I O S V A, quod tuo potissimum nomini nouitium hoc opus Romana indutum toga inscribere at- que nuncupare volui, quem harum rerum, ultra comparatam noti- tiam amplissimam, noscendarum, incredibili teneri desiderio com- pertissimum habeo, ut aliquam ex iis inter serua Martis studia ca- peres oblectationem: deinde ut hoc velut publico præconio virtu- tum tuarum testatum facerem, me nequaquam oblitum fuisse co- rum quæ ab animi tui generosissimi prothymia in me profecta sunt humanitatis tecmeria: postremo ut me quem semel in amicorum tuorum numerum admittere dedignatus non es, deinceps quoque locum illum tenere sinas, & vsitata beneuolentia complecti pergas. Quod si obtinero, non leue me beneficium impetrasse arbitrabor. Vale. Francofurti Kalendis Septembribus anno A N. C. M. D C. XXVIII.

Qui Generosam Nobilitatem Tuam

Impensis studiis colit

*Guilielmus Fitzerus, Anglus, Bibliopola Fran-
cofurtensis.*



T O M I D V O D E C I M I
H I S T O R I A R V M O R I E N -
T A L I S I N D I Æ E T V I C I N A -
R V M R E G I O N V M

C A P V T I.

P E R I O C H E.

*Quæ gentes factis expeditionibus naualibus primùm Orientalis Indiæ
littora adiuerint & postmodum penitiora lustrauerint.
Lusitani, Hispani, Bataui, Angli.*



EMO, Lector, adeo historiæ nostri temporis rudis est, quin sciat, Lusita- nos primos omnium Europæ populorū eas Orientis partes, quæ vulgo laxa significatione Orientalis Indiæ nomine vsurpantur, nauibus adijisse, vnde laude ea industriæ & audaciæ priuandi non sunt, cum hac earum solertia cæteris nationibus via comonstrata & veluti ianua aperta sit, ad adeun- dos varios populos, siue ij continentem, siue insulas maris Eoi incoherent.

Lusitanorū in scrutandis partibus Orientalis industriæ. Quos Hollandi & Angli secuti sunt.

Hosenim primo Germaniæ Inferioris maritimi populi, Hollandi & Selan- di, deinde Angli quoque; è Britannia secuti, laudem illam Lusitanis prope surripuerunt, vel obsecrauerunt duntaxat, detectis vltioribus littoribus, & repertis nouis & antea parum cognitis regionibus insulisque, in quibus non tantum luculentas exercere negotiationes, sed & partis ab hoste clarissimis victorijs magnifica erexere Trophæa. Vnde dubitari non debet, quin tres illæ Orbis nationes ad luculentissima emolumenta immortalem æterni nomi- nis gloriam adiungere potuissent, si calcatis exitiosis dissidijs & Cadmæis prælijs, concordiam inter se colere voluissent.

Et primo quidem satis constat, Lusitanos, (siue, ut vulgo appellantur, Portugallenses) anno à nata Saluta Publica MCCCXCXVIII. extremum Africæ Promontorium, quod *Bona spei Caput* nauæ vocant, nauibus suis circumiuisse, eaque via in Orientis terras penetrasse, Nauarcho *Vasco de Gama* sumtibus auspiciisque *Emanuelis Lusitanie Regis*, qua quidem expedi- tione, cum primum *Calecutum* appulissent, non contenti vicina Indorum littora per- lustrasse, etiam eas Africæ *Æthiopiæ* que partes, quæ in Orientem Solem longissimo tractu à septentrione Austrum versus porrectæ vergunt, adiuerunt.

Regnante deinde *Henrico* ijdem Lusitani illecti superiorum nauigationum felici succes- su & maioris subinde lucri spe, nullis pepercere sumtibus laboribusque, donec continuatis ad nostra tempora expeditionibus non Indiæ duntaxat, sed & Asiæ Africæque multa loca & quæ- stuosos portus sibi subiecerunt: testes harum rerum laudamus ipsos Lusitanorum scriptores, *Barrium, Oforium, Masseum* aliosque, qui fere ipsi periculossimarum illarum nationum extir- re locij, & res tam memorabiles ad posterorum memoriam scriptis commentarijs transmi- serunt.

Loca quidem & Insulæ celebriores, quas Regis sui vel dominio vel tributo subiecere Lusitani, hæc cõmemorantur. Azores, Madera, Insulæ Promontorii Viridis, Principis, S. Tho- mæ, Anniboni, Mofambica, Mina & Arguina in Guinea, Angola, Sofala, Mombassa, Armusiu in Sinu Persico, Dins, Damiana, Bacaiana, Goa, Chaul, Barcela, Mengaloria, Canonor, Gran- canonor, Cochin, Culan. In Zeilam Insulæ Negapatana, Columbi & D. Thomæ oppidum. Lux-

Loca cele- briora à Lusitanis reperta & possessa.

A ta



ta Cherfonefum Auream habent Portum Pequenenſem, Portum Grandem, Sincapuram. In ſinu Gangetico ſiue Bengaleni Seronem, Malacam, cum Malao Inſula, quibus adde quædam Loca in Iauana & Taprobane Inſulis, quæ omnia hoc loco commemorare difficile foret: vnde non ingentes ſolum diuitiæ, ſed & magnæ vires & robur bellicum huic regno acceſſit, quod ſine hac tam luculenta acceſſione per ſe exiguum, multis Europæ regnis ne conferendum quidem fuit. Adde celeritatē huius incrementi, adde potentiam & inſtructiſſimarum claſſium apparatus, quarum fiducia non ſolum aduerſus Ottomanici Tyranni, ſed & Regis Perſæ & Regum Indorum Aſiaticorumque vim ſua egregiè defenderunt Luſitani, ac quiſitis expugnatique ſubinde pluribus locis, ſubactique liberis ad eum diem populis.

Primus ab his iure merito debetur Hollandis in ea gloria locus, qui cum Luſitanorum exemplo anno Salutis MDXCV. in eaſdem Orientis partes ſuſcepſerunt, Caſtaloneniſibus & Luſitanis per Indiam & Africam multum detrimenti intulerunt, & in locis XXXVII. emporia ſibi erexerunt, occupatis etiam vel de nouo excitatis vltra XX caſtellis atque munimentis, vt apparet ex eorum Commentariis Diariisque. Nec horum vim Luſitani duntaxat, multis modis ab iis oppreſſi atque impediti experti ſunt, verum etiam ipſi Angli, vt ex ſequentibus apparebit.

Horum Anglorum in Orientem nauigationibus tertium locum aſſignabimus, qui anno A.N.C. MDC. inſta ſocietate expeditionem in Indiam inſtituerunt, Duce Iacobo Lancaſtrio Equite, qui quatuor præfuit nauibus, quarum hæc fuere nomina. *Draco, Heſtor, Aſcenſio & Saſanna.* Euentus huius expeditionis tam proſper fuit, vt vrgeret propoſitum conſtituerint Angli, tanta quidem animorum promptitudine, vt paucorum annorum decurſu plures quæ viginti claſſes emiſerint, partim Elifabetha Regina, partim Iacobo Regnum Britanniarum obtinentibus, conſtitutis ſibi emporiis in variis Orientis partibus, nec frigefcit eorum in illa re ſtadium Regnante Carolo Rege Sereniſſimo.

Sicut autem priuati emolumenti ſtadium peſſimus ſemper mortalibus exiſtit conſiliarius, & tranquillitatis atque concordie hoſtis certiffimus: ita ne inter Batauos & Britannos quidem, (nam de Luſitanis mirum non eſt) diu durauit amicitia.

Negant tamen Angli, ſibi illius diſſidij culpam tribui recte poſſe, qui Batauos nec verbo nec factis priores ipſi læſerint, ſed iniuſtam duntaxat vim ab ſe proſtigauerint, freti bonitate cauſæ ſuæ & iure gentium. Et barbaros quidem populos non modo non impeditos ab ſe, neq; oppreſſos aiunt ijdem, ſed & adiuuos deſenſosque, quoties ab Hollandis Luſitanique hoſtilia præter jus & fas perpeſſi fuiſſent: vt dux illæ gentes crudelitatis & malitiæ notam effugere non poſſint, quod Anglos omni iniuriarum genere diuexatos, à negotiatione prohibuerint, calumnijs appetuerint, nec ſecus ac in iuratos hoſtes ferro ac igne in eos deſæuierint, trucidatis quam plurimis: quam quidem immanitatem ab Hollandis Angli nunquam metuere debuerint, quos tot ſibi deuinctos habuerint beneficiis. Dicit enim vix poſſe, quantopere in longinquis illis regionibus res Bataua adiuta fuerit mercimoniis Anglorum, qui præter pannos Britannicos præſtantiffime notæ, varia metalla, ferrum, ſtannum, plumbum, & aliasque merces vtiliſſimas in illas partes importauerint, & lucri ex parte Hollandos participes fecerint, ſuppeditatis etiam nauis & opificibus notæ ſolertiæ. Sed & eoſdem Hollandos maiorem debuiffe rationem habere Iacobi Regis totiuſque Nationis Anglicanæ, quorum bonam & fidelem in Germaniæ Inferioris bellis experti fuerint aduerſus communem hoſtem operam & ſocietatem.

Ad hæc & alia id genus obiecta crimina, quæ Hollandi reſpondeant, non eſt huius loci prolixè exponere: id duntaxat extra dubium eſt, inſelici harum gentium diſſidio & altercatione factum eſſe, vt illæ Orbis partes, adeoque ipſe Oceanus Orientalis dici poſſit Amphitheatrum gladiatorium, in quo nobiliſſimæ illæ duæ gentes mutuis lanienis ſeſe mutuo conſcientes, iucundum inimicis nationibus præbeant ſpectaculum, in voluntarium nec neceſſarium vltro præcipitatæ exitium. Poſſis tamen dicere, Anglos ideo ab alijs tot tantisque affectis iniurijs, vt clarius eorum eniteſceret virtus, quod tot modis diuexati & exagitati, prohiberi tamen non potuerint, quin in potentiſſimo Perſarum regno, Æthiopia, Sinus Erythræi littore, India Africaque pedem fixerint & fortitudinis ſuæ trophea conſtituerint, reportatis domum incredibilis precij theſauris, mercibusque exquisitiſſimis, vna cum non intermoritura nominis gloria. De his autem omnibus nemo, noſtro iudicio, melius vberiuſque ſcripſit, quam *Samuel Purchaſius* Anglus, cuius luculentiffimi adeantur Commentarii.

Quibus rationibus Bataui impulſi in remotas illas Orientis partes expeditiones ſuſceperint: quare ijdem Hiſpanos atque Luſitanos hoſtium loco habuerint & oppugnaverint.

VT varia ſunt mortalium de plerisque rebus iudicia, Lector, ita dubium nullum eſt, quin de Belgarum, inque primis Batauorum in Eoas Orbis noſtri partes nauigationibus diuerſimode ſenſerint cum primis illi, quibus inferioris Germaniæ Prouinciarum Adminiſtratio & libertas ſatis cognita non eſt. Mirantur autem præcæteris, quibus Hollandi adducti rationibus, cum alias multas Hiſpanorum naues, tum in primis ingentem illam onerariam, cui D. Catharina nomen impoſuerant, duce Hemskerchio Nauarcho interceperint, expugnaverint, & in Hollandiam abduxerint. Deſinent autem admirari, quicunque veras huius rei cauſas intellexerint, ex ipſis Luſitanorum ad Hollandos litteris, poſt expugnatam nauim illam ſcriptis, & bona fide ex Hiſpanica lingua in Latinam conuerſis, quas litteras paulo poſt lectori communicabimus.

Vt autem rem paulo ordiamur altius, conſtat, Hollandos à multis annis omnes ſuas nauigationes & negotiationes non aliò, quam per Oceanum quidem, in Hiſpaniam Luſitaniamque, per Mediterraneum autem mare in Italiam Græciamque inſtituiſſe. Cum autem Inquiſitionis Hiſpanicæ pertæſi Bataui, ad conſeruandam conſcientiarum & patriæ libertatem arma corripuiſſent, factum eſt, vt in Hiſpaniæ portibus Hollandorum naues quamplurimæ non detinerentur ſolum, ſed & vel diriperentur, vel merces fiſco addicerentur. Leuiter viſi ſunt hæc damna ab initio æſtimare Hollandi, cum intra priuatorum iniurias ſubſiſtere viderentur, neque ob eam cauſam à nauigationibus in Hiſpaniam deſistere voluerunt, donec illa inuadendi licentia totas claſſes Belgarum corripuit, quibus hoc modo ab Iberis perſoluta ſunt nutricationis ſtipendia, quod toties inuecto frumento Germanico laborantem & perituram fame Hiſpaniam annona ſubleuaſſent. Nec in ſpoliatione nauium mercimoniorumque ſtetit iniuriarum modus, nauæ quoque & remiges cum vectoribus, ſublato religionis, quam quiſque ſequeretur, diſcrimine, primo correpti, deinde partim ad remum damnati, partim aſinis præpoſtere impoſiti, & flagris ad necem caſi perierunt. His incommodis adducti Magiſtratus per illas Belgicæ prouincias, non potuerunt prohibere ciues ſuos, quorum omnis in nauigatione & piſcatione conſiſtebat alendæ vitæ ratio, ne ſuſceptis in quas quiſque vellet regiones nauigationibus, victum ſibi atque facultates quaererent.

Cumq; ad ſuperiores iniurias noua accederet Hiſpanorum inſolentia, ſalem Hollandis ad condiendos ſeruandosque piſces negantium, accidit præter omnem ſpem & ſingulari Dei prouidentia, vt Hollandi reperta via ad Antipodes, ſibi ingentes ſalis natui micas, ad rupium magnitudinem inſurgentes, in loco proſuſa ſpero & inculto, repererint: ex quo id obrinuerunt, vt quamuis ſalem iſtum ſponte naturæ ſuppeditatum laborioſis acquirere cogentur nauigationibus, emtionis tamen prærium lucrarentur. Tantum ergo beneficium diuinæ bonitati grata mente acceptum retulerunt.

Perrexit autem Deus gratiam fauoremque ſuum erga gentem illam etiam amplius teſtificari, excitatis vitis prudentibus & ingenioſis, omnique laude ac memoria dignis, in quibus hi facile fuere principes: Gerardus Bicquerus, Conſul vrbis Amſterodamenſis, cuiusque collega Rudigerus Baueniſius: Petrus Theodoricus Haſſelerius: Iohannes Ianſonius Campanſis: Albertus Luca: Arnoldus Grothufius: Sigebertus Petri, aliique qui magno animo & audaci in futuris periculis, primas in mare Atlanticum emiſere claſſes, quæ bonis ſolutæ auſpicijs primo Auriferæ regionis Guineæ, quam nigerrimi ferociſſimique Æthiopum incolunt adiuere littus, quam viam priores oſtenderant Enchuſiani Mercatores: hinc aucti hi Argonautæ animis Nouum noſtroque oppoſitum petiere Orbem, & ante omnia Aromatiſeras Orientalis Oceani Inſulas, quæ nullius exteri, ne dum Hiſpanorum agnoſcunt imperium, in quibus locis omnibus licito honeſtoque modo & bona fide ſua exercere mercimonia.

Grauius & iniquè tulerunt hunc Batauorum ſucceſſum Hiſpani, variisque artibus Luſitanos in illo Mari potentes in Hollandos concitauerunt, vt his omnibus aduerſarentur modis, eoſque, ſi viribus & robore non poſſent, aſtu opprimerent. Placuit poſterius Luſitanis, qui dunt.

Cauſa dionum Hollandorum in Hiſpanos.

Præſca Hollandorum nauigationes quaſes.

Hollandi ab Hiſpanis varijs aſſecti iniurijs.

Sal natui & ſoſſius ab Hollandis repertus.

Quorum nauis & auſpicijs Hollandi tam remota loca adiuerint.

Hiſpani Luſitanos in Hollandos accendunt.



qui variis apud Reges Barbaros Hollandorum famam lacerauerunt calumniis, eosque ferocibus illis gentibus ad certam prodidere lanienam, vt Batauorum super ea re in lucem emiffi & querelarum pleni ostendunt Commentarij.

Expedi-
tio
Hemsker-
kij.

Cæterum Præfecti collegio Mercatorum Orientalis Indiae, cum hæc intellexissent, consiliū ex tempore capientes, Iacobum Hemskerkiū illius Oceani Thalassiarum constituerunt, eumque cum octo nauibus Orientales Indos petere iusserunt, vt bona cum pace Regulorum in illis partibus negotiaretur, vel permutatione mercium, vel solutione præsentis pecuniæ, vt vsus ferret. Suscepit hanc prouinciam, Mauricio Principe & Ordinibus Batauorum consentientibus, litterasq; publicas super eo negotio exhibentibus, quib. profecturo dabatur potestas, vt si qui se eius conatibus opponere, eumque oppugnare ausi fuissent, iis omnibus viribus quacumque ratione posset, resisteret, seque suosque defenderet.

Prima pu-
gna Hispa-
norum cū
Hollandis.

Sublatis Anchoris Hemskerkius, cum *Canarias Insulas*, quas prisci *Fortunatas* dixerunt, præteruectus fuisset, obuiam habuit classem Hispanicam, XIII. constantem nauibus, militibus, nautis tormentisque bellicis optime instructam. Inuecti in Batauos Hispani acro commiserunt prælium, in quo nautis quædam Bataua, cui *Leoni Rubeo* nomen erat, tormentorum ictibus valide concussa, Præfectum amisit, vulneratis multis è sociis, vnde tor modis debilitata cæptum iter pertexere non potuit, sed conuerso itinere Hollandiam repetiit. Accessit aliud infortunium. Legatus enim Hemskerkius, quem vulgo Viceadmiralium vocant, cum sua nauis in mediam Hispanorum classem illatus & male habitus, vix ab hostibus se expediisset, diuerso itinere abiit, deserta nauis Prætoria.

Hemskerkius ergo, duabus iam priuatis nauibus, cum reliquis omnino sex *Bantam Iaua Insula* Emporium delatus est. Hic intellexit, quæ paulo ante apud illam Urbem acciderant. Lusitani enim, cum vehementer succenserent Iauanensibus, quod cum Hollandis negotiati fuissent adduxerant a. d. XXIV. Decembris mensis anno A. N. C. MDCL. ad urbem Bantam Triremes quidem VIII. Liburnicas vero XXII. duce *Andrea Hortado de Mendoza* eamq; acriter obfederant. Huic Lusitanorum classi opposuerat se inuicti animi Adolescens, *Oliuerius Hermannus*, Batauus, cum quinque nauibus Hollandorum vt eorum crudeles impediret conatus, quibus imperatum erat, vt non solum omne nomen Hollandicum, vbicumq; posset deleteret, submersis illius gentis nauibus, sed & Bantamenses ciues, qui cū Batauis exercere mercimonia ausi fuissent, atrocibus castigarent exemplis, vt territi cæteri ab omnium impostero conuersatione, qui Lusitani non essent, penitus abstinerent. Quis autem fuerit illius obsidionis euentus, & quam masculè à Batauis Lusitani repulsi profligatiq; fuerint, ostendit superiorum librorum historia, qui consulendi.

Obsidio
Bantam-
sis soluta.

Re male gesta Lusitani desperatione & iracundia pleni *Amboinam* Insulam petierant, trucidatisque immaniter incolis etiam arbores Caryophyllorum feraces & cæteras fructiferas succiderant, nec expleti rabie illa *Machiam*, vnam ex Moluccis Insulis, quæ Regis Ternatensis agnoscebat imperium inuasent, debacchatiq; promiscue in agrestes cadibus, idem in ipsa *Ternate* insula facere tentauerant, adiuti duabus Hispanorum Triremibus, quæ nuper ab *Manilla* Philippinarum Insularum Metropoli venerant, non alia sanè de causa, quam quod Rex iste Hollandis hospitium præbuisset.

Rabies &
sauias Lu-
sitanorum.

Venerant paulo ante Ternaten duæ naues Batauæ ex earum numero, quibus *Oliuerium* præfuisse diximus, vni nomen erat *Vltraiceto*, alteri *Vigili*. Harum Præfecti ab initio quidem acriter cum Hispanis Lusitanisque pugnaere, postremo tamen cedere coacti sunt, cum vix dimidiam mercium quas petierant, partem nauibus imposuissent, reliquarum nauium Hollandicarum non melior fuerat fortuna, quæ in ipso portu Ternatensi ab Hispanis obfessæ & oppugnatae ita restiterant, vt præfectus vnus, cui *Francisco Verdoso* nomen erat, totis viginti diebus continuo prælio se defendere cogereetur.

A vi ad fraudes conuersi Lusitani, cum transfugam quendam *Henricum Hamburgensem* nacli fuissent, conati sunt, Hollandos apud regem in odium adducere. Scripsere igitur non ad eum duntaxat, sed & ad ipsos Hollandos litteras, & his quidem impunitatem omnium eorum, quæ in Hispanum regem deliquissent, pollicebantur, in super & restitutionem omnium, quæ ipsis superiori prælio adempta fuerant, si absque mora tormenta Regia, quæ in eorum essent constituta potestate, sibi traderent. Ad regem vero scripserant, videret etiam atq; etiā, quos excepisset regno suo hospites, & quibus hominibus vitæ salutemq; suam comississet, qui vnice id agerent, vt machinas Regias suæ fidei commissas Lusitanis proderent. Vigilet igitur, fidelique admonitioni locum daret, & tam noxiis hospitibus porro aditum negaret, quin eos, quos iam in sinu foueret, Lusitanis dederet.

Vasfrictus
Lusitani-
ca.

In mittendis autem litteris hac vsi fuerant versutia, vt epistola quam ad Hollandos dederant,

derant, velut errore quodam ferentium, prius in manus regis incideret, vt inde rex velut ex improviso de traditione tormentorum cognosceret. Verum Rex, cui technæ & fraudes Ibericæ iam multis experimentis cognitæ erant, respondit: superuacaneam esse admonitionem illam; nosse enim se, quibus fidere debeat hominibus. Dedere autem Lusitanis Hollandos, homines nequaquam sibi obnoxios, sed æque ingenuos liberosque ac ipsi Hispani essent, id vero præter omne ius & fas sibi videri. Idem rex exemplum harum litterarum vna cum ipsa epistola, quam à Lusitanis acceperat, ad Batauos misit, simulque per cunctatus est, litterarum ne aliquid ipsi ad Lusitanos dedissent, quanquam nihil tale suspicabatur. Negauerunt Hollandi tale quicquam sibi in mentem venisse, grauiusque de Lusitanorum mendacis conquesti, regem, vt deinceps quoque ab huiusmodi fraudibus sibi caueret, monuerunt.

versutia
elusa.

At Lusitani cum neque vi neque dolo res Batauorum euertere se posse viderent, veritatem Insulanorum qui se cum Hollandis coniunxerant, probro pleni ab Ternate discesserunt, munimentisque suis, quæ in Tidore insula vicinisque locis habebant, firmiora imposuere præsidia. Redeuntes tamen ad ingenium semper astu fallacisq; velut per transennam Hollandos appetiuerunt, gnari illius;

Lusitani
discesserunt
Ternaten
Insulam.

— Dolus an virtus quis in hoste requirat?

Expertus id est *Iacobus Necquius*, Nauarchus Batauus, qui cum duabus nauibus ad *Macium* oppidum Chinæ, in quo Lusitani cum Chinesibus negotiantur, appulerat. Lusitani enim cum labaro pacis indice prodeuntes, cum hostile nihil præ se ferrent, persuaserunt Hollandis, vt viginti ex vtraque naue selectiores in nauigium actuarium descenderent, & in litibus egrederentur. Hos nihil tale metuentes, viuos corripuere omnes, & XVII. ex iis, qui lingue Lusitanicæ ignari, suam populo, illius idiomatis perito, exponere non poterant innocentiam, suspensio necauerunt, tres superstites Goam ad acerbiorem morte seruitutem, insigni vsi perfidia, miserunt.

Iacobus
Necquius
Nauar-
chus Bata-
uus.

Sed & Regi *Cochinchina* persuaserat iussu Lusitanorum Monachus quidam, vt XX. Batauos, qui Liburnica mercandi gratia eo duce *Gronsborgio* quodam accesserant, trucidari iuberet. cæteri, quos ex eadem Liburnica exceperant, traditis duabus machinis æneis vitam redemerunt. Tres alij, quos Hemskerkius *Banda Amboinam* negotiorum causa sub fide publica miserat, capti, crudeli mortis genere sublatis sunt: primus enim in mare præcipitatus remorum impulsu tamdiu natans quassatus contususque in ipsis aquis est, donec expiraret: duo in insulam deportati inter feros & inhumanos barbaros extincti sunt.

Monachus
stabilem
cadu.

Tidore est vna ex Moluccis Insulis. in hac circa id tempus Lusitani castellum satis munitum obtinebant. Venerat huc *Balthasar Cordesius* Nauarchus Batauus, emensus longissimum iter per periculosum *Fretum Magellanicum*. Hunc magna comitate & simulata beneuolentia exceptum, vt in litibus egrederetur, & Taurum, quem ei dono offerebant, acciperet, inuitabant. Paruit fraudis ignarus *Balthasar*, egressusque est in litibus, assumtis præcipuis è nauis sua sociis. Redire ad nauem cum fauente dono volentem Batauum, Lusitani in celo actuaria iugulauerunt, inque oceanum præcipitauerunt, addito cane mortis socio. Cæteros, quibus incolumitatem conceptis verbis polliciti fuerant, pari modo trucidauerunt, amputatis primo manibus, pedibusque, deinde capitibus, cadauera humi temere abiecta sepultura caruerunt. Pereunte ad hunc modum cum suis Nauarcho, alia Lusitanorum manus conscensa Liburnica ad Hollandorum nauem accessit. Recepti amice à Batauis, omnes pariter trucidauerunt, præter quinque nautas, quorum indigebant opera: nauem sibi vendicauerunt.

Inhumana
Lusitanorum
contra Ba-
tauos in
Tidore in-
sula.

Non possum silentio præterire, quot modis Lusitani conati fuerint, duas naues Batauas, quibus *Iacobus Necquius* præerat, igne subiecto cremare: & quo pacto Achinensi regi persuaserint, vt naues Selandorum, qui ibi negociabantur, hostiliter adoriretur, qua fraude effecerunt, vt multi vtrunque perirent homines.

His ergo similibusque accessit Hollandi iniuriis, cum implacabiles Iberorum viderent animos finem necedi non facere, coacti sunt de communi nationis consilio fœdus percutere inter sese, vt coniunctis viribus communem hostem, nauigationes suas inturbantem, vbicumque possent, adorirentur, vtque tam iniustam vim à se repellerent, qua is ius gentium tot modis violauerat. Huius tam iustæ & legitimæ defensionis testimonium & licentiam ab Illustrissimo Mauritio Arausionensi principe & Ordinibus Confœderatarum Belgij Prouinciarum obtinuerunt, impetratis etiam litteris publicis, quibus, si ita vsus ferret, vterentur.

Coacti Hol-
landi tot
iniurijs
fœdus fa-
ciunt.

Intellecto hoc Ordinum decreto Hemsckerkius cum duabus nauibus ab vrbe Bantain Iana Insula discessit, relicti in eo portu socii, ut negotiationem porro continuarent. Nauiganti littus insulae iuxta regnum Iorense occurrit ingens nauis Lusitanica, septingentos circiter vehens viros, plerosque armatos & Hollandorum hostes. De horum aduentu per exploratores certior factus, communicato cum Iorense rege, qui tunc ipse in pratoria Batauorum nauis erat, consilio, statuit Lusitanos aggredi. Conserta pugna horrendum in modum detonuit è machinis bellicis in nauem inimicam Hemsckerkius ad eò, ut coegerit Lusitanos, nisi submergi mallent, deditioem facere. Victor, ut pactus fuerat, omnes viuos in vicinam insulam deuehi iussit, nauem & diuitias sibi seruaui. Cum autem recorder, me in superioribus pollicitum fuisse exemplum litterarum, quas ipsi Lusitani super expugnatione illius nauis exarauerunt, id iam subiiciam, ut quiuis de facto isto Hemsckerkius iudicare recte possit.

Litteræ, quas Curia Malaccæ ad Hollandos
& Hemsckerkius dedit.

Iam olim damosa inoleuit consuetudo, ut litigantibus inter se Regibus Principibusque, omne acceptarum cladum onus in capita & fortunas ciuium subditorumque decumbat. Placuit Fortuna & Tempori, Nauem nostram è China redeuntem cum Praefecto sociisque tue tradere potestati. Sed hæc talia occulto Dei iudicio facta fuisse, cuius nos latent rationes, non dubitamus. Mittimus tibi, vir fortissime, bellaria hæc, ut socios tuos à diuturna nauigatione fessos reficias, cetera verò quæ adiunximus dona, ut testemur gratitudinem nostram erga te, quod tam liberali manu promissis pactisque tuis satis feceris, nobisque omnes Lusitanos in tua constitutos potestate saluos incolumesque transmiseris. Pollicemur eadem in tuos beneuolentia & comitate, si casus ferat, nos vsuros, nec unquam huius beneficii memoriam ex animo deposituros. Vale. Scripsi ego Paulus Mendisus de Vascola, secretæ Camerae scriba a. d. IX. Martij, anno Salutis MDCIII.

Andreas Fernandez, Dominicus de Monte Isaaci, Isacus de Gusgao.

Exemplum alterius Epistolæ, quam Prorex Malaccæ ad Hemsckerkius dedit.

Bellorum omnium euentus dubius incertusque est, in solius Dei manu constitutus: huius homines sunt nuda instrumenta, quibus ille pro arbitrio uiuit. Arrisit tibi miram indulgentiam lubricum istud nomen, quam Fortunam appellamus, quæ tibi prædiuitem illam nauem Chinesem obiecit. Nactus es in ea permultos mercatores, ut & mulieres & seruulos, inermem multitudinem, & pugnae impedimenta potius quam adiumenta. Vnum istud mediis fidiis doleo, quod non pratoria nauis meæ occurreris, facile intelleturus, quantum intersit inter institores & bellatores. Sed hæc quidem corrigi nunc non possunt. Intellectis istis, quæ Batauis in Chinesis littore contigerunt, non modicè perturbatus fui, cum tam leue delictum tam graui supplicio punitum fuerit. Sed confirmo tibi, mi Hemsckerki, authorem illius crudelitatis iam in vinculis attineri, & capitale expectare supplicium. Hollandis, qui huc ex China & Moluccis Insulis delati sunt, libertatem restitui, eosque comiter & amice habui. Mitto ad te nauigium hoc, vnice petens, ut Fratrem Antonium Monachum & Praefectum nauis cum ceteris Lusitanis, qui in tua adhuc sunt custodia ad me mittas, quod si feceris, magnum mihi beneficium præstiteris, multo autem illustrius me tibi deuincies, si cum Iorense Rege egeris, uti mihi Lusitanos meos, quos Indi è nauigio Chinesis rapuerunt, restituant, instructos diplomate publico securitatis ergo. Scripsi in vrbe Malaccæ a. d. IX. Martij anno MDCIII.

Ferdinandus Albuquerqueus,
Prorex Malaccanus.

Ad Illustrem Iacobum Hemsckerkius, Praefectum classis Hollandicæ:

Subiun-

Subiungemus superioribus litteris duas alias Epistolas, quas Lusitani ad Batauos dederunt, priorem quidem ex Insula, quam Ilham Grandem Lusitani vocant, alteram ex vrbe Malacca. Prioris exemplum hoc est.

Omnes, quotquot hic commorantur, Illustris D. Hemsckerki, fatentur se tibi plurimum debere, ob singularem comitatem & beneuolentiam, qua in nostros, quorum vitæ necisque penes te erat arbitrium, usus es. Et profecto, nihil aliud à tam generoso victore, aut à lenitate alienum expectari potuit. Quod Hollandis tuis, quorum presidio nostri huc ducti sunt, pro eorum in nos meritis dignas rependere gratias non potuerimus, ipsi testantur, id tempore & aduersitati fortuna tribuendum esse, qui & ipsi tarditatem nauis nostræ excusabunt. Ad cetera beneficia etiam, quæ sumus te, hoc adiunge, ut ij ex nostra gente, quos adhuc penes te seruas, primo quoque die huc mittas, quod si obtinuerint, in magna felicitatis parte ponent, se à tanto viro captos, imo potius conseruatos fuisse. Vale. A. D. XI. Martij, ex Insula Magna.

Alia Epistola ad eundem.

Placuit Deo, me sub patrocínio & tutela tua, Illustrissime Nauarche, Malaccam reducere. Beneficentiam tuam, quam toto tempore, quo in tua fui constitutus potestate, expertus sum de prædicare nunquam desinam, quid enim pulchrius fingi potest, quam quod ea, quæ verbis pollicitus es, ipso facto tam egregie præstitisti? Nunc votorum meorum summa eo redit, ut dono aliquo tanto viro digno te vicissim demereri queam. Verum amissis rebus meis omnibus, ad eam sum redactus paupertatem, ut ne vestes quidem, quibus saucium corpus tegam, mihi in hac nuditate supersint: ea enim, quibus tunc cum pugnaremus, utebar, perpetuis è tua nauis in nos emissis fulminibus deformatae penitus atque laceratae sunt, vsibusque meis facta inutiles. Quapropter à te peto, ut ad superiora beneficia hunc velut apicem vel colophonem addas, mihi inquam telam sericam ex earum numero, quas in capta nauis nostra magno numero adeptus es, dono mittas, ut inde mihi vestem conficiam. Recordare, mi Hemsckerki, quæ tunc mea fuerit fortuna cum caperer à te, & quæ nunc sit, postquam à te dimissus sum non ingrato homini aut obliuiofo præstabis hoc beneficium, qui tibi prospera omnia, & exoptatum ad Hollandos tuos precatur reditum Vale. Ex vrbe Malaccæ a. d. XXIV. Martij anno S. MDCIII.

Sebastianus Serranus.

Ex his litteris Lusitanorum, qui sunt testes omni exceptione maiores, in proprio duntaxat periculo & causa, facile colliget prudens Lector, quæ sit causæ Batauicæ æquitas, & quanta patientia tam multiplices Hispanorum iniurias, illata damna vitæ & bonis Hollandorum perpessi fuerint, nec cum pulcherrimas nacti fuissent occasiones, eas cædibus recipere vltum iuerint. Quæ omnia cum apud crudelem gentem Iberorum ne deinceps quidem locum inuenerint, quærimus saltè, an non iustissimas Hollandi causas habuerint, vim & arma in tam inimicum & implacabile genus magnis animis expediendi, eosque vbicunque possent, non quidem fraude aut calumniis, sed virtute apertoque Marte hostiliter vicissim inuadendi: cum Natura etiam brutis bestiisque sui defendendi desiderium, & vim iniustam vi repellendi licentiam ingenerauerit.

CAPVT III.

PERIOCHE.

Imperium Magni Mogol, qui non tantum India intra Gangem, sed & alibi longe lateque dominatur.

INDIAM totius Asiæ maximam nobilissimamque partem, ab Indo flumio denominationem ^{India diuisio & limites.} trahere, nemo est, qui ignoret. Eam veteres duplicem faciunt, illam intra, hanc extra Gangem fluum locantes. Priorem nostri seculi scriptores cum plerisque recentioribus INDO-STAN appellant, mutuato à barbaris nomine. Hæc cum amplissimis terrarum definitur ^{Magnus Mogol.} spaciis, prope tota vnus Magni Regis subest imperio, quem MAGNUM MOGOL vocant. Obscurior huius principis ipsiusque tanti regni apud Europæos notitia, multum lucis accipit variis diuersarum gentium, in primis Lusitanorum, Batauorum, Britannorum in eas partes nauiga-

navigationibus, quibus factum est, ut multo exactiorem, quam patrum habuit aetas, rerum Indicarum acquisuerimus scientiam. Nos eorum annorum, quae longius a nostris huius temporibus absunt, non reperemus historiam, sed ea quae proximis huius annis velut de nouo cognita sunt, digna sane commemoratione, Lectori communicabimus.

Potentia
Magni
Mogol.

IAM primum satis constat, nullum totius illius partis Orientis Principem, quam late patet nomen Indicum, diuitiis, robore, potentia, magnificentia, cum eo conferri posse monarcha, quem nostri ac superioris aevi scriptores (non ut quidam Mogor) MAGNUM MOGOL vocant. Quadraginta enim & septem prouinciis siue regnis secundariis & ab ipsius nutu dependentibus imperitat, & his regulis iura dat pro arbitrio, cum omnia quae possident ipsi, in eius sint constituta potestate. Maxima imperii eius pars id terrarum spatium complectitur, quod intra Indum & Gangem fluuios nobilissimos includitur. Magni cognomentum immanes diuitiae & potentia formidanda ei pepererunt, ut & Turcarum Tartarorumque Monarchis. MOGOL dicitur a populo quodam eiusdem nominis, qui ad ripam Indi fluuii versus Aquilonem habitat. Has gentes sibi subiecit Mahomet Zelabdin Echebatus, Magni Regis Selimi frater qui ducto contra eos anno A. N. C. MDLXXXII. ingenti exercitu, Mogoles sibi aliquot praesertim deuictos, obsequentes fecit.

Elephantis
armati ut
milites.

Aiunt in eo exercitu fuisse quinque Elephantorum millia, quibus frons lato ferro fuerit munita. Singulos dorso sustinuisse singulas turres, in quibus quaterni sagittarii. Ipsi belluis ad promuscides alligatos fuisse praelongos acutosque gladios, quibus mira dexteritate in hostes vsae fuerint: dentibus vero, vel si manus, cornibus, pugiones mucronatos. Hanc bestiarum aciem in postremo agmine constitutam fuisse, ne praesertim equitibus peditibusque impedimento vastitate sua essent, aut profligatae forte ab hostibus, incurrentes suis, totam aciem conturbarent. Regio quam Mogoles populi incolunt, vicina esse perhibetur regno Quabul siue Cabul.

Fines &
praecipua
Prouincia
Imperij
Magni
Mogol.

Antequam autem ad penitiora huius regni progrediamur, operae praecipuum est, videre, quibus imperium istud Magni Mogol includatur finibus, & quae sint praecipue illius prouinciae. Fines hi sunt. Ad Occidentem regnum Sinae & Magni Sophi siue Regis Persarum imperium. Ad Aquilonem Tauri Montis iuga & fines Tartarorum. Ad orientem alicubi Gangem fluuium limitem habet, alicubi eius ripas transiit. Ad Austrum regnis, Decanensi, Bengalensi, & Gangetico Sinu terminatur. Prouinciae principales haec sunt:

- I. GANDAAR siue Candahor, trans Indum, est ampla ciuitas, quae toti prouinciae nomen impertiuit, sita intra occidentem & Aquilonem, Vicinos habens Persas, quorum aliquando subiecta fuit dominio.
- II. TATTA Prouinciae & urbis nomen, quae sita est ad Indum fluuium, qua is immanibus auctus aquis, latissimo ostio Oceanum Indicum irrumpit, habens Gandaarae fines ad septentrionem.
- III. BYKOR. Et hoc ciuitatis pariter & regionis nomen est. Perluit hanc Indus fluuius, in curuo flexu aliquot dierum itinere supra Tattam.
- IV. MYLTAN ciuitas non modica, prouinciae nomen dat, quae & ipsa Indo fluuiio ab occidente alluitur, fines eius sunt, ad occidentem & septentrionem Gandaar, ad Austrum Buccoria regio.
- V. HAAGICAM. Regnum hoc Balaeorum est; a Fauonio vento ad fines Tartarum porrigitur & Buccorensium, vsque ad fines regni Lahor. Ciuitatem magni nominis haec prouincia non habet.
- VI. KISSIMERA siue Caxymera (ut alij scribunt) prope tota in Aquilonem versa est. Metropolis eius dicitur Syranaker, quam fluuius Bathus transit, influens in Indum. Montosa & aspera est haec prouincia, Regnum Cabul ab occidente habens.
- VII. Est autem regnum CABUL siue Quabul late patens huius Imperij prouincia, Regiam urbem habens eiusdem nominis, ipsa prouincia in Aquilonem proiecta Vbecorum Tartarorum fines attingit.
- VIII. BANCHIS, Bischura siue Betshara ciuitate illustris est.
- IX. ATTACCA Prouincia ciuitatem praecipuam habet eiusdem nominis. Per huius fines Nilabus fluuius Indo mixtus labitur. Ipsius prouinciae situs est inter occidentem & septentrionem.
- X. CATARENSIS Principatus ad radices caucasi montis situs est, orientior quam KISSIMERA, porrigiturque inter Eurum & Aquilonem, ciuitates habens praecipui nominis Danquelin & Purrolam.
- XI. PENIAB Prouincia quinque fluuiis irrigatur: Niliabo, Batho, Indo Caufo & Lahorio. Caput

Caput eius est Lahor ciuitas ampla, emporioque celeberrimo clara. Ipsum regnum hoc oba-
quarum copiam mira fecunditatis, rotundae prope formae existens, a septentrione tamen
paulum in Austrum extenditur.

Huic confinis est IEMBA, orientior quamuis illa, tota montosa & nemorosa. Prima in
ea ciuitas idem fert nomen. XII.

PEITAN, a ciuitate eiusdem nominis traxit appellationem, in Eurum magis quam IEMBA
protenfa. XIII.

NACARCAT, siue (ut alijs placet) Nagracut urbi praecipuae nomen suum debet. Colli-
bus montibusque frequentibus asperatur. Hanc nonnulli limitem regni Magni Mogol sta-
tuunt, quae id in Aparctiam ventum porrigitur. XIV.

SIBA Prouinciae & ciuitatis nomen est, finitima huic Nagracutensis, montibus nemo-
ribusque horrida. XV.

IESVAL siue Iessel Metropolim habet Rageparam, porrigiturque ad fines Guffaratarum, ab
septentrione habens Sibam & Nagracut. XVI.

DELLI; Urbis hoc & regni nomen est. A Iemnio fluuiio, qui in Gangem illabitur, & A-
gram Ciuitatem primi nominis alluit, in Euronotum porrigitur. Solebant hic olim Regiam
domiciliumque habere Indorum reges: sed nostra tempestate in ruderibus prope tota iacet.
Nec desunt, qui Porum Indorum Regem hic habitasse scribant, qui cum Alexandro Philippi
filio bellum gessit. Reperta quidem fuit hic columna, incisis litteris Graecis conspicua, vetu-
statem loci adstruens.

MEYAT tota Orientalis est & ultra Gangem. Praecipua Urbs in ea Naruol. XVIII.

SAHIBALA oppidum primum habet eiusdem nominis. Sita est ad occidentalem Gan-
gis ripam, Iemniium fluuium habens ad meridiem. XIX.

AGRA mediterranea huius imperij prouincia. Urbs olim in ea Agra maximi nominis,
sita sub gradu XXVIII. Eleuationis Poli ab Aequatore, a meridie habet Iemniium amnem.
Noua Agra nostro quoque tempore domicilium Magni Mogol, ubi Armamentarium est &
Aerarium Regis Indorum. Ab hac urbe ad Lahoram via porrigitur plana & lapidibus strata, ab
vetroque latere semper virentibus arboribus confita, quae res miram illi loco conciliat ama-
nitatem.

IENVPAR prouincia cum eiusdem nominis urbe ad caulum fluuium sita est, solo vber
& fru ctuoso. XXI.

BANDQA urbs est & regio, vicina regno Delli & Agrae. XXII.

PATANA quatuor fluuiis includitur, Gange, Serfeli, Iemna & Canda: porrigiturque in
Eurum versus regnum Bengalae. XXIII.

GER regio est septentrionalis, a cuius finibus haud longe ab sunt Gangis nobilissimi
fluuii fontes. XXIV.

Nobilissimum omnium horum regnorum est BENGALA, totum orienti Soli obuersum,
quod curuata littoris sui efficit celeberrimum illum apud veteres Sinum Gangeticum, cui
hodie Golfo de Bengala nomen est, qui ab Aquilone in Austrum porrectus, ad Choromandel-
lam vsque excurrit. Praecipuae eius Urbes sunt Ragamahel & Decacah, cum nonnullis alijs.
Portus haec prouincia aliquot habet valde commodos, inter quos celebriores sunt qui vo-
cantur Portus Grandis, Portus Peguianus, Philiparamensis, Satigamensis, partim cis partim
ultra Gangem. sub sunt huic regno etiam aliae quaedam Prouinciae, ut Pupiana & Patanensis.

ROCHA celebriorem ciuitatem nullam habet: excurrit a Bengala versus meridiem & oc-
cidentem. XXVI.

VDERAE Prouinciae caput est Ie Kanata oppidum: alii vero non Vderam sed Vdessam
vocant. Extenditur haec longe in orientem trans Gangem, ad fines vsque regni Maugi, quod
Peguano regno finitimum, a feris barbarisque incolitur gentibus. XXVII.

CANDVANAE prouinciae fines ad septentrionem & orientem sese extendunt. Urbs in
ea primi nominis est Cara Catencha. XXVIII.

CVALIERA & ipsa nomen suum primario debet oppido, extenditur a prouincia Can-
duana ad fines Buramputenfes. XXIX.

Est autem VRAMPVTA caput amplissimae prouinciae cui Chandes nomen est, cui
superioribus annis Rex Decanensis imperitauit, domicilium habens in Guzaratenfi oppido,
extenditurque a Guzarato Chitorium versus, & hinc in Austrum ad fines Suratenses: fluuios
habet Decanin & Tapten.

MALVA urbes habet, Vgenam, Naram & Seringam. vicina est Chandibus intercedente
Sepra fluuiio, qui a quas suas in Sinum Cambaiensem exonerat, aliquot millib. supra Suratum. XXXI.

B
BERAR



- XXXII. **BERAR** regiuncula est, cuius ciuitas primaria Shapur dicitur, in finibus sita Guzaratensium ad radices Montis Chitorii.
- XXXIII. Pulcherrimum autem opulentissimumque est regnum **GVZARATENSE**, quod vtrunque includit Sinum Cambaiensem: Caput eius est Amadaner ciuitas. Cæterum complectitur hoc regnum insuper amplissimam præfecturam Cabaiensem, cum prouincia Suratensi & vrbe eiusdem nominis, estq; totus ager illius regni gelidis vberimus vndis ob fluuiorum copiam, vnde & quidam, etsi perperam, Indum amnem hic aquas suas in oceanum exonerare arbitrati fuerunt. Narbodacha fluuius iuxta Brocham oppidum Mare irrumpit, quorum fluuiorum beneficio ex interioribus regni partibus naues omnis generis mercibus onerari, inque longinquas regiones exportari possunt.
- XXXIV. **SORETANA** prouinciola angustis circumscribitur limitibus. Vrbem habet satis celebrem, Ianagram, quæ maritima cum sit, ad Austrum aliquo modo obiectam habet Guzaratensem prouinciam.
- XXXV. **NARYAR** Orientalior est, cuius præcipuum oppidum est Gehud.
- XXXVI. Amplius vtroque paulo ante commemorato est regnum **CHITOR**, cuius primaria vrbs eodem appellatur nomine, sita in monte, cuius ima circuitu suo milliaria Anglica decem constituunt. Erat autem vrbs illa, Regia atque domicilium Rannæ Sultani; sed anno A N. C. MDCXIV. Magnus Mogol armis eam in suam redegit obedientiam. Est autem regnū hoc magis in occidentem protensum, si Chandes spectes, orientalius tamē Guzaratensium regno, transitq; per istud via Regia ab Agra Suratum vsque. Ranna tamen Sultanus Montes in occidentem Solem verfos, haud procul ab Amadanera vrbe, adhuc suis obtinet præsidii.
- Sumitur autem longitudo huius imperii hoc modo ab Aparctia in Euro austrum. à Gandahara ad Lahoram milliaria Anglica numerantur DCCC. ab Lahora ad Agram circiter DCC. ab Agra Hagipotnam DCLXXX. Hinc ad Kirafundam DCLXX. vnde apparet regni huius incredibilis amplitudo & vastitas, quod in longitudine milliaria Anglica continet MMDCCL. Latitudo verò à septem Trionibus in Austrum sumta constituit milliaria Anglica ultra MD.

[Huc referatur Tabula Chorographica, continens descriptionem Orientalis India]

CAPVT IV.

PERIOCHA.

Echebatus Magnus Indorum Orientalium Rex. Eius ingenium, res gestæ, excessus, successor.

Natales & res gestæ Echebati Magni Mogol.

Perfa Indis aduersus Parthos suspectus feruus.

CHAQVATA prouincia, quæ ad Austrum Indos intra Gangem, ad occidentem Persas, ad septentrionem & orientem Tartaros vicinos habet, natale solum *Echebato* præbuit, & prima Magnum illum Principem vitales haurientem vidit auras. Lingua Chaquatenſium vulgaris ad vetus Saracenorum idioma quam proximè accedit, quanquam in Aula Lingua Persica sit vsitator. Auus huius *Baburra* Parthos, qui partem Regni iam olim sibi subiecerant, & velut suam vsurpabant, expulit, & in regnum Bengalense se recipere coegit. *Baburra* autem extincto, Parthi (qui nunc Patanenses dicuntur) resumtis armis animisque bellum filio eius intulerunt, quod vario Marte gestum est, quem & ad eas redegerunt angustias, vt Magnum *Ismaelem* Sophum adire, eiusq; implorare auxilium necesse habuerit. Pollicitus est rex Perfa openam suam Indo, ea tamen lege, vt assecutus aduersus Parthos victoriam, Persarum amplecteretur religionem. Sic factum est ope Persarum; vt Rex Indus profligatis Parthis, Bengalam, Cambaiam & Mendaum sibi subiiceret. Aiunt autem postremam hanc urbem tantæ esse amplitudinis, vt decem *Leucas* Gallicanas ambitu suo complectatur, vnde Rex Indus aliquot annos in eius obsidione consumserit. Victor *Echebatus* ducente fortuna plures sibi regulos partim vi subiecit, partim sponte se dedentes obnoxios fecit, vt XX. reguli Gentiles Aulam ipsius sequerentur, multo vero plures tributum annum ad ærarium eius mitterent.

De diuitiis huius vastissimi Imperii dicere volentem oratio deficiet, cum satis explicari non possit, quantum istud abundet omnis generis preciosissimis mercibus, in primis Gemmis, serico, auro, aliisque metallis, vt iam de aromatibus, herbis medicis, gossypio, Equisque præstantissimis verbum non addam.

Annus

Annis agebatur à nato Bono Publico millesimus quingentesimus, octogesimus *tesuitarum* *in hoc re-* *gnum ad-* *uentus.* eundus, cum primum *tesuitæ* in hoc regnum venerunt, ex quo tempore (vt ipsi quidem perhibent) in eam Magnus Mogol regni sui pomæria protulit amplitudinem, vt duplo maius quam ante spatium terrarum possederit. Numerantur in eo fluuij nauigabiles vndecim, quorum hæc sunt nomina: *Indus, Ganges, Taphus, Harvada, Chambelus, Lamnaus, Caulus, Celcas, Catannus, Rarius, & Rebethus.*

Reguli & Principes Magni Mogol beneficiarii prope infiniti sunt, suntque nonnullorum inter eos tantæ vires, vt profecturo ad militiam Monarchæ, octo, vel decem, aliqui etiam quatuordecim millia equitum suppeditare ex Fendi obligatione teneantur, præter Elephantos, quorum non est exiguus numerus. Ipse Rex perpetuo alit quinquaginta equitū millia, siue pax sit siue bellum, in superq; peditū copias incredibiles, vt ad omnes occasiones sibi præsto sint. His principibus nobilibusque viris præfecturas luculentas, prout videtur, cōfert, & minores fundos ductoribus Ordinum, ea lege vt omnes & singuli quotannis semel in regia compareant. Viuunt vasalli isti instar Proregum aut præfectorum, percipiuntq; redditus ex attributa sibi prouincia, referuatim defalcatisq; quibusdam prouentibus, qui in Fiscum inferuntur, æstimanturq; quotannis aliquot auri Millionibus. Rex ipse perosus luxum in vestitu epulisque, ad aliorum Asiæ Regum magnificentiam accedere non videtur; legendi scribendique litteras artem non tenet, mira tamen de variis rebus differentes audit attentione animi, suumque nonnunquam rebus seriis interponit iudicium. Iustitiæ cultor eximius, vt in Curia sua litigantes ipse audiat, publiceque sententiam ferat, nec cuiquam integrum est eo inscio grauiorem pœnam reo irrogare. Hoc incitatus juris studio duas Curias velut supremas constituit, in quibus ipse assumtis octo consiliariis & scribis aliquot secretioribus interdum singulis diebus, interdum bis quot septimanis audiendis causis vacare solet, & præsidis obire vicem. Vtq; magis mirere, quamuis omnibus in locis throni ei parati sint regia instructi magnificentia, itans tamen audit litigantes & sententiam fert; vbi & hoc obseruandum, eum raro in cathedra apposita considerare solere, sed humi frequentius in expansis stragulis vel aulaeis decumbere, cum quietem capturus est: qua quidem consuetudine Turcarum morem imitari non obscure videtur. Adstant ei semper duodecim viri docti, qui de causis ad cultum numinis pertinentibus, vel de rebus gestis maiorum, vel de exterorum populorum ritibus sermoneinuntur: & est sane in perdiscendis aliarum gentium historiis, vt & in iis, quæ circa Religionis differentiam vtro citroque dici solent, assiduus ac sollicitus auditor. Spectaculis variis animum negociis festum recreare solet, commissis in pugnam gallis gallinaceis, tauris, ceruis, apris. Dat & operam Theatro, spectandisq; comædis & tragædis. Aliquando Camelos Elephantosque in arenam introduci iubet, quandoque & gladiatores & Pyrrhicam saltantes.

Venationibus ferarum inque primis ceruorum & hinnulorum impense eum delectari animaduersum est: cumque canibus venaticis destituantur Indi, Pantheras in illos vsus mansuetas adhibent, vel ceruos cicuratos & domesticos, quorum cornibus retia innectunt. Hi proditores generis sui in syluis cum aliis ceruis pugnantes, horum cornibus retia induunt, eosque ad eum modum implicatos distinent, donec à superuenientibus venatoribus capiantur. Aliquando & ingentes sylvas hominibus velut indagine cingunt, dimissis aliis, qui ceruas delitescens latibus suis magno clamore exigant, & in circumstantium venabula & verua impellant. Tertia Regi isti delectatio est in artium Mechanicarum tractatione, in primis quæ circa confectioem pulueris nitrati & rem tormentariam occupantur.

In conuictos de capitali crimine, in primis Mæchos, fures, Piratas, grassatores, homicidas seuerè animaduertere, eosque potissimum laqueo suspendere solet, nulli tamen supplicium mortis irrogat nisi legitimo iudicio damnato. Pleraque ciborum genera, quibus delectatur, ex oriza confecta sunt, & conditis fructibus bellariisque, vt raro per annum vescatur carnibus, quieti nocturnæ vix tres quatuorue horulas indulgens. Hæc frugalitas & abstinentia, vt in tanto Principe admiranda est, ita eum suis gratum acceptumque & hostibus formidabilem effecit. Infelicem Mahometi sectam, quam Patereius à Persis acceperat, Rex hic omnibus modis abolere & de regno suo furcillare annexus est, initio facto à Mosqueis siue Templis Mahometistarum, quæ partim funditus euertit, partim in iumentorum stabula conuertit, aliisque obscenè vsibus addidit.

Hinc non effugit indignationem populi. Ciues enim consternati fratrem eius, qui tunc apud Cabulenses regnum precarium obtinebat, ad capessendum sceptrum vocauerunt. Hunc adueniantem Magnus Mogol armis deuictum ad sanitatem mentis, inque suam prouinciam redire coegit.

B 2

Inte-



Interim ipse in cultu Numinis adeo obscuras sequebatur rationes, ut quamnam potissimum ipse amplecteretur religionem, nemo prope scire posset. Et erant qui ipsum Maurorum probare placita, alii Brachmanorum Pythagoreorumque doctrinam, alii Christianorum sequi dogmata arbitrarentur. Plures tamen ipsum nulli ex omnibus istis se addixisse rebantur, incertum plane pendentemque animi, neque hi inepte sentire visi sunt. Quamuis enim Gentilium Arabumque nugæ & deliria contemneret atque irrideret, Mysterium tamen Trinitatis & Incarnationis filij Dei capere non potuit.

*Infideles
exigunt
miracula.*

Et talis cum esset, permisit tamen Iesuitis, uti Sacramenta ritusque Romanæ Ecclesiæ publice peragerent, acerba tamen & formidabili dicta lege, ut doctrinam suam non miraculis duntaxat adstruerent, sed & cum sacerdotibus Indorum, per ignem transire paratis, eadem conditione decertarent. Idem omnium religionum homo, nactus libros quosdam à Iesuitis & imagines Christi seruatoris beatæque Virginis Matris, in magna hæc omnia habuit veneratione. Ait autem in hoc quidem sequi se Tamerlanis, à quo ipse genus ducit, consuetudinem, qui existimauerit, illam religionum diuersitatem Deo maxime voluptati esse. Aiunt ipsum etiam Psammetychum præscum illum Ægypti Regem imitatum, triginta puerulos infantes simul educari iussisse, adhibitis custodibus, qui nutrices loqui prohiberent: simulque constituisse illius gentis amplecti religionem atque sacra, cuius pueri illi profertent idioma. Sed hoc ut stultum cogitatu, ita irritum effectu fuit. Pueri enim præter inconditos sonus nihil proferebant, articulati nihil, sed loquela omnino destituebantur.

*Chaos re-
ligionum.*

Interim ab idolorum cultu abstinere non solet. Solis enim simulacrum in Larario suo habet, quod mane, meridie & vesperi adorat. Proximo ab hoc loco habet imaginem Christi Domini & Beatæ Virginis, quas pari colit veneratione, easque aliquando capiti suo imponit. De Sanctorum reliquiis cum aliquid inaudiuisset, & illas quoque ad se deferri voluit, easque de collo suspendit, ratus si singula non possent, multa adiutura. Qui tamen secretiora hominis rimati sunt, inquirunt ipsum peculiarem sectam fouere, & arcanos habere discipulos, à quibus Prophetæ & Mirabiliarum instar coleretur, qui & in vulgus spargant, occulta ipsum polle-re vi medendi morbis, ipsamque pedum eius loturam salutarem esse: constatque mulieres grauidas partuique vicinas, se ipsi voto obligasse, ut facilius miseris partus illius opera contingeret.

*Ambitio-
sus & alie-
norum re-
gnorum cu-
pidus.*

Cæterum Echebatus hicce, de quo loquimur, in tantis (ut quidem videntur) virtutibus, magno augendi imperii artus desiderio. Non enim contentus iis, quæ à patre acceperat, regnis, vicinis reges armis aggressus, prouinciam Cassemiriensem, Sindensem, Guzaratensem, cum magna parte regni Bengalensis & Decanensis suo subiecit dominio: adeo felix in omnibus expeditionibus illis bellicis, ut vix vnquam lubricæ fortunæ expertus fuerit ludibrium: vnde locum fecit proverbio apud Indos, ut cui omnia ex sententia fluere videntur, dicatur vulgo *aque felix ac Echebatus*. Cum autem multa restent, nec paucis bella illius in istis partibus feliciter confecta explicari possint, ea in sequens caput reiciemus.

CAPVT V.

PERIOCHA.

*Echebati de vicinis Indorum regulis populisque victoria. Incendium palatii
& tentorii regij. Descriptio Cassemiræ prouinciæ.
Filius patri Regi bellum mouet.*

*Stupenda
Echebati
Regis Me-
moriam.*

DE Cyri Regis, Themistoclis aliorumque ex præscis stupenda memoria, multa scripsere veteres, quæ an cum iis, quæ de rege hoc dicturi sumus, conferri queant, dispiciamus: vnum vereor, ut apud Lectorem fidem sint inuentura. Alebat Echebatus aliquot Elephantorum millia, Equorum vero multo plura, sed & ceruorum, & accipitrum aliorumque alitum ad aucupium. His omnibus singulisque peculiaria imposuerat nomina, neque periculum erat, ne in appellando vno pro alio erraret, tanta memoriæ felicitate præditus erat Rex ille velut alter quidam Artaxerxes Mnemon. Neque tamen in tanta successuum prosperitate & vi-

ctoria-

etoriarum frequentia instabilis Diuæ omnino potuit cauere inuidiam, quæ ut publicæ fau-uit viri conatibus: ita priuatis eum implicuit aduersitatibus, inter quæ numerandus venit tristis casus *Morathi* filij eius, qui cum exercitu à Patre aduersus Decanensem Regem missus, ab eodem non procul à Guzarato cum plerisque copiarum præfectis casus est. Accepit hunc tam tristem nuncium Rex, cum noui anni, quem tunc incipiunt, cum Sol cæleste signum Arietis intrat, celebraret auspicia. Idem, cum anno A. N. C. MDXCVII. nescio quod festum magna celebritate perageret ignis repente de cælo lapsus, tentorium eius, quod tunc regio exornatum splendore tendi iusserat corripuit, parique celeritate Principum nobiliumque vi-rorum papilionones absumpsit.

*Mors filij
Magni
Mogol.*

Fuerat Tentorium Principis gemmis & auro prope oblitum, inque eo thronus regius, centum Ducatorum millibus æstimatus, quæ omnia repentino perierunt incendio. Hinc fatalis flamma vicinum Palatium Lahorense, (in ea enim vrbe tunc versabatur Mogol) corripuit, idque breui temporis spatio in cineres redegit, corruptis aliquot argenti aurique millio-nibus. Fluebant nobilissima hæc metalla vi caloris liquefacta per vicinam Palatio plateam, non tamen pura, sed plumbo æri aliisque metallis vitioribus, pari æstu resolutis permixta. Par prope casus & incendium non minus triste Chinenfi Regi circa idem tempus contigit: ille perhibetur,

*Incendium
horrendū
in vrbe
Lahor.*

Funeustum igitur deferens locum Magnus Mogol *Cassimirensis* prouinciam nuper à se deuictam petiit. Non cedit hæc vlli totius Indiæ citerioris regioni, si fertile solum & aeris salubritatem spectes. præaltis enim montibus, quorum cacumina fere niue oblecta sunt, includitur ingens planities, pascuis, agris, horticis, syluis, fontibus fluuiisque referta, ut nihil ad amœnitatem & delicias deesse videatur. Aere perflatur multo temperatione eoque salubriore quam vicina Orientis regna. Tribus à *Cassimira vrbe* Leucis Lacus abest, in cuius vmbilico Insula eminet, in qua palatium regali magnificentia structum visitur. Lacus ipse vndique viridantibus fructiferisque arboribus cingitur & veluti coronatur, ut pulcrius nihil fingi possit. Ipsum solum Cassimirensis orizæ triticique vim incredibilem profert, vineisque apprime fauet, quas incolæ ad radices Mori arboris fere plantant. Et sane, nisi domestica discordia hi homines laborassent, vix vnquam Mogol eos sub suum mittere iugum potuisset. Hi cum præscis seculis Gentilium superstitionem secuti fuissent, intra proximos trecentos annos Mahometismi susceperunt deliria.

*Cassimi-
rens pro-
uincia de
scriptio.*

Appetente hyeme Rex Lahoram redire constituit, quo in itinere multos Elephantos, equos aliquot perdidit, obsæna via haustos & insolito frigore in illa transitus difficultate, accedente etiam fame confectos. Narrant Elephantos hic quoque compertam fuisse solertiam, cum enim in descensu montium per lubrica incedendum esset præcipitia, obiectu promuscidistam vasta sustinuerunt corpora, velut baculo aut obice ne ruerent in præceps. Conscenderat filius Regis Elephantem fæminam; hunc dum paulo longius à cætero agmine ingreditur, Leæna saltu inuadens, parum abfuit, quin interimeret. At iuuenis bestiam primum expulso tormento manuario, deinde stricto gladio petiit, quam euersam famulus accurrens dum occidere vult, temeritatis pœnas dedit, trucidatus à Leæna, quæ tamen & ipsa paulo post ex vulnere periit.

*Elephanto-
rum in si-
stendo gra-
du solertia.*

Sequenti anno Echebatus aduersus regem Decanensem expeditionem suscepit, ductis in eum DCCC. Elephantis & VII. Camelorum millibus, qui in supportandis armis & impedimentis ut & annona iumentorum vicem præstabant. Quin & in eodem exercitum mille Elephantos armatos & pugnare edoctos, bellatorum vero C. millia habuisse perhibetur. Traxit autem has tantas copias per montes Gatenses, itinere difficili & impedito adeo, ut ultra mille passus vnus diei spacio vix progredierentur. Præmiserat ducem quendam militum cum exercitu quinquaginta millium, qui primi nominis propugnaculum Decanensium iam expugnauerat, eoque remoto obice viam in Regnum istud Principi suo patefecit, qui illud postea facile occupauit totum, filioque suo eidemque successoris reliquit. *Miram* oppidum qui obtinebat regulus, formidine id deseruit, seque in Syram urbem munitissimam recepit. Habebat hæc arcem in summitate montis sitam, & muro triplici ita cinctam, ut primus murus à secundo, secundo à tertio defendi posset. Erant in Vrbe & arce tormentorum millia tria, propugnatorum millia LX, fons scaturientis aquæ, & tantum alimoniam, ut in aliquot annos sufficeret. Seruabantur in ea Arce

*Expeditio
regis in
Decanen-
sem Regem.*

*Siram
vrbs muni-
tissima.*

B 3 qui



qui Regio prognati erant sanguine, in spem futuræ successionis in imperio, atque inde ad capeffendum Diadema euocabantur, erantque eo tempore præter ipsum Regem, regii Principes VII. Præfectus arcis, vt & subpræfecti eius, patria quidem Abiffinus erat, sed à nationis suæ religione ad Mahometismum defecerat. Hanc urbem, etsi Magnus Mogol cum exercitu CC. millium obsideret, maluit tamen argenteis aureisque eam tentare globis, quam plumbeis aut ferreis. Nec caruit successu consilium, Præfecti enim atque consiliarii corrupti auro Indico, suaserunt regulo, vt progressus foras ad Magnum regem, pacem coram ab ipso peteret. Paruit infidis hominibus infelix Miramus, vtique postquam ei Mogol iuramento per caput suum præstito promississet, se eum incolumem in urbem remissurum. Indutus ergo veste longa & lugubri in signum subiectionis, accessit Echebatum, flexuque corporis, vt mos est, eum salutauit. Male habuit hoc adstantem vnum è purpuratis; pugno igitur cervici eius impacto, hominem se humi prosternere coëgit. Hinc domum redire volentem Miramum, Mogol detineri iussit. At Præfectus Abiffinus, cum eum iam consilii pæniteret, misso in castra filio Echebatum datæ fidei & iuramenti præstiti admonuit. Sciscitantibus Indis ex eo multa de deditioe vrbs & castris, respondit adolescens intrepidus: etiâsi Miramum præter ius fasque detinerent, coronam regni tamen non vacaturam. Offensus libertate adolescentis Echebatum, trucidari eum iussit. Accepto hoc nuncio pater in furorem actus, sibi ipsi violentas manus attulit. Et sic Echebatum proditioe vrbe potitus est, cum ex VII. Principibus qui superstites erant, metu proditiois, regnum nullus suscipere auderet. In hos tamen, vt & in ipsum Miramum nihil statuit grauius, quam vt eos in diuersas regni sui prouincias distribueret, assignatis certis prouentibus, vnde vitam satis commode ducere possent.

Dum hæc aguntur, contigit *Moterum* Satrapam Lahorensem, hominem ditissimum è viuis excedere; cuius hæreditatem Rex ex veteri consuetudine adiuit. Reliquit is Satrapa moriens tres auri signati Milliones, præter vasa aurea & argentea immanis precii, vt & gemmas, vniones, Elephantos Equosque, & supellectilem prope regiam. Hac locupletatus hæreditate Rex Agram reuersus Iesuitis confirmauit datam superioribus annis potestatem, vt quos possent ad fidem Christi conuerterent.

At alibi *Gandaarenfis* Rex cum ab *Usbequensium* Tartarorum Rege *Abdura* bello premeretur, desperata defensione prouinciæ suæ, seque regnumque suum Echebato dedit: vtque vno verbo dicam, adeo benignam & indulgentem Rex hic expertus est fortunam, vt victorias eius & felices expeditiones, vel calamo perstringere longum foret, ad alia igitur nos conferemus.

Herodem magnum foris & aduersus hostes fortunatissimum, domi prope calamitosum fuisse, memoria proditum est. Erat Echebato filius Selimus nomine, ingenio ad regnandum, vt fit, cupido. Huic nimis diu videbatur morari fatum patris, cuius vitam iusto longiorem opinabatur. Anno enim A. N. C. MDCII. cum Rex *Decanensibus* bellum intulisset, filius absentia patris abutens, diadema corripuit, voluitque Rex Magnus appellari. Audito eo Pater, omisso *Decanensi*, domum properans, cum instructo exercitu obuium habuit filium. Stabant iam in procinctu dimicaturæ acies, cum Mater Echebati, octoginta annorum anus, pacem inter filium & nepotem constituere laborauit. Sed spe lapsa in marem incidit, spiritumque anilem efflauit. Luxit eam filius Rex, abrafa, vt moris est, barba, cum ciliis & capillitio, mutauit lugubri vestem regiam, lugereque secum per triduum iussit totam familiam aulicam & catenam nobilium. Hinc rescisso matris testamento, quæ thesauros suos nepotibus legauerat, ipse omnia sibi soli vendicauit. At filius persuasus ab intercessoribus, dimisso exercitu, inermis patrem accessit, à quo primo grauius incusatus, postremo in gratiam receptus est. Permisit ei pater posita seueritate, vt apud *Cambaienses* & *Guzaratenfes* regnaret, quam conditionem veniæ Selimus libenter amplexus est. Hic est ille Selimus, qui primis annis à Christiano dogmate non alienus, Iesuitis à patre licentiam impetrauit, ædificandi in *Agra* vrbe Templum, ad cuius fabricam ipse de suo mille Ducatos aureos contulit.

CAPVT V.

PERIOCHA.

Echebatus Magnus Indorum Monarcha moritur, successorem habens Selimum filium. Huius ingenium, facta, crudelitas, alia.

ANNVS agebatur à nato Bono publico millesimus sexcentessimus quintus, cum Echebatum Magnum Indorum Regem è vita discedere fata iusserunt. Vixerat is

rat is annos tres & sexaginta, regnauerat prope quinquaginta. Successorem habuit Selimum filium, quem non valde abfimilem nonnulli prædicabant Selimo Turcarum Regi, cuius refererebat nomen, qui patrem *Baiazethem* ope medici veneno sustulerat. Hic patrem ægrotantem, etiam vocatus adire noluit. Persuasus tamen postremo ab optimaribus regni, statuit decumbentem inuisere. Introductus ad senem per proceres Aulæ, Echebatum iam destitutum loquela inuenit, nutu igitur, vt potuit, innuit filio vt Diadema Regium capiti imponeret, & gladium, qui ad lecticam affixus erat, lateri alligaret. His peractis mors Regem breui traiecit ad orcum transmisit. Defuncti cadauer primo filius, deinde Principes qui aderant, subiucere humeris, idque à tutri, in qua obiuerat, mediocri cum pompa per mille circiter passus ad monumentum detulerunt, quod sibi iam ante struxerat. Mortem eius neque filius neque ferre quisquam ex nobilitate luxit, tam vilis post interitum suum fuit is, qui toti Orienti paulo ante terrori fuerat. Sed sic sunt res humanæ. Conscenso folio regio Selimus, cum iam non dubiam regnandi potestatem adeptus esset, primum omnium ex suscepto olim voto Mahometanum dogma restituere cepit, eiusque professoribus palam & impense fauere. Moscheas enim eorum siue templa, quæ pater partim deiecerat, partim varie profanauerat, magnis sumptibus restituit, constitutis etiam de suo sacerdotiis, vt veteres & iam aboliti ritus reuocarentur, adeoque sibi in ea re placuit, vt nouum nomen sibi imponeret, & *Nurdin Mahomet*, id est splendor legis Mahometicæ appellari vellet.

Aprili mensis anni sequentis filius eius, cui *Cusseroni* nomen erat, cum Sultani nomine potitus fuisset, adscitis sibi duobus Principibus in patrem rebellionem mouit, vrbemque *Lahoram* cum duodecies mille militibus per totum octiduum obsedit. Hunc vt compesceret, Pater exercitum in eum duxit, cuius aduentu cognito filius fugam arripuit. Et conflixerant jam turmæ aliquot, videbanturque *Cusseroni* equites *Selimianis* superiores, cum altu siue strategemate cuiusdam Tribuni in fugam adolescens compulsus est. Cui enim per castra rumore licet vanum sparsisset, multo maiores esse patris copias, quam reuera erant, auxit illam famam immani clangore tubarum & lituorum, tympanorumque boatu, vnde territi *Cusseroniani*, etsi multum renitente principe, fugam arripere, neque in castris contineri potuerunt. Ipse princeps à suis desertus, regnum *Cabulense* petiit: cumque in via fluuius quidam transeundus esset, cuius vadum à quodam partium Regiarum studio Satrapa obtinebatur, despectens cymbas ad traiciendum quaesiuit. Erant hæc jam in altera ripa fluminis, vnde adolescens, cum diu portitorem frustra implorasset, tandem patefacto nomine suo & quis esset, obtinuit, vt in aduersam ripam transportaretur.

Hoc audito præfectus illius oræ accedens, debitum honorem regio iuueni habuit, pollicitusque fidem suam & securitatem eum in castellum suum inuitauit, interim ipse hæc omnia, vt facta erant, ad Selimum perscripsit. Laudata fide & dexteritate Præfecti Rex filium catenis vincitum ad se adduci iussit. Inuectus grauissimis verbis in filium pater, eum carceri mancipari iussit, nec defuere, qui iussu *Selimi* oculos adolescenti erutos vel oclusos dicerent. Verum hunc rumorem vanum fuisse postea patuit, cum post aliquot, quos in carcere exegerat annos, *Cussero* viuus videntique prodiret.

At duo, qui in acie pro filio aduersus patrem steterant, ordinum ductores, crudelem sustinuerunt poenam. Priori enim pellis bouina, alteri asinina, vtraque cruda & recens detracta, super nudum corpus inducta est, vt adhereret membris, iisque induraretur, magno sane cum cruciatu. Hoc habitu alter equo alter asino impositus, cum prioris caput cornibus taurinis, posterioris auribus, asininis prælongis deformatum esset, per compita & vicus vrbs traducti, ludibrio omnibus fuerunt. Huius ignominie pariter & doloris impatientia vnus eorum, cum ab omni cibo abstinuisset, mortuus est. Alter cum vix multis precibus obtinuisset, vt aqua maceraretur in ductum corpori suo & jam siccatum corium, Scaphismi Persici supplicii diritatem cum cruciatu expertus est. Ex fatore enim succrescentibus vermibus corrosus intercedentibus apud regem amicis eius, vix postremo obtinuit, vt putrida pellis ei detraderetur. Et is quidem valetudinis iacturam passus, grauem & ærumnosam postea duxit vitam.

Eadem crudelitate ducentos ex omni filii exercitu selectos, centuriones, tribunos, ordinum ductores præfectosque bifariam diuisos, ab vtraque parte viæ, qua ipse transiturus erat, se inspectante immaniter mastrari iussit, & corpora eorum insepulta abiici, Sultani siue Principis nomen ac titulum in filium minorem transtulit.

Etsi autem primis regni sui annis Mahometanæ legis feruidus cultor visus fuit Selimus, nunc tamen aliter de eo sentiunt plerique, putantque eum patri in eo similem, quod vel omnium

Perfidia in Aula Magni Principis

Opulenta Hæreditas

Filius Echebati in patrem insurgit.

Echebatus Magnus

gol moritur.

Selimus succedit patri Echebato.

Filius in patrem insurgit.

Strategema Gedoniu.

Filius à patre promissus & captus.

Crudele supplicium apud Indos.

Selimus Rex à thons.

omnium religionum homo, vel nullius penitus sit. Nam & imagines Christi, Beatae Virginis aliorumque Sanctorum hominum in honore habet & precio, iisque cubacula sua & palatia exornat: & eadem sigillo regni sui, insculptas Diplomatus edictisque suis regis imprimit affigitque, vt non semel vidimus.

CAPVT VI.

PERIOCHA.

Descriptio eiusdem Regni Magni Mogol, qui longè latèque per vtramque Indiam orientalem, citeriorem & vltteriorem nostro auro dominatur, desumpta ex Archontologia Cosmica

GOTOFREDI.

COMPREHENDITVR hoc imperio maxima pars veteris Indiae, & prope omne istud terrarum spacium, intra Caucasum Montem & Sinum Gangeticum atque Mare Arabicum, itemque intra Gangem & Indum fluuios. Dicitur autem Caucasus Mons nostra aetate *Dalanger* & *Naugrocot*. Multa regna intra hoc tam vastum Orientis spacium continentur, suntque qui ad XLVII. numerent. Non est tamen dissimulandum, duos magnos principes, *Nizzamalucum* & *Idelcanum*, quorum principatus nostra memoria stabiliti sunt, amplam in hoc Regno possidere regionem, quae Decania nominatur, porrigiturque secundum longitudinem in litore maris ad CCL. millia. Et *Nizzamalucus* quidem regiam suam habet in oppido *Tanagro*: *Idelcanus* verò in vrbe *Visapora*, quamquam praecipua vrbs Principatus illius sit *Bider*, quam sequitur in ordine Decan, vnde toti regioni nomen. Haec dicimus, vt vel aliquam duntaxat de his Principibus habeamus notitiam, cum plura de illis discere non potuerimus. Sed vt ad ipsum huius tam magnae partis Indiae Monarcham reuertamur, praecipuorum regnorum quae ipse possidet, haec sunt nomina. *Cambaia*, *Delli*, *Sanca*, *Mandro*, *Bengala*, praeter alia multa minima. Regia autem eius est in vrbe *Delli*, quae toti illi regno nomen suum tribuit.

Cambaia alio nomine regnum *Guzatarum* porrigitur in longitudinem secundum litus Maris in D. millia, à Batao fluuio qui iuxta Caulum urbem in Oceanum praecipitatur, vsque ad *Circamam*, regionem Persici regni. At aliis ex partibus attingit regna *Dulcinda* & *Mandaco*. Erunt ergo limites eius, ab oriente *Mandaco*: ab occidente *Nautaces* siue *Gedrosii*: ab Aquilone est *Sanca* & *Dulcinda*: à meridie Oceanus & collimitia regni *Decanensis*. Vnde constat, regnum hoc amplissimum esse, vrbibus & oppidis, castris pagisque & hominibus frequentissimum, vt in eo numerentur LX. millia locorum habitatorum. Vrbes eius celebriores secundum litus haec sunt: *Daman*, *Bandora*, *Curat*, *Rallet*, & *Bazuin*, ex quibus duae primae aliquando euersae sunt per Lusitanos. In mediterraneis regnis est *Madauar* vel *Amodabar* vt & *Cambaia* vrbs, vnde cognomen toti regno est impositum. Putatur autem haec vrbs habere CXXX. millia familiarum, estque pulcherrima in illis partibus, adeo vt dicatur *Cayrum* Indorum. Sequitur *Campanela*, antiquum regum Palatium, in summo monte sita, septemplicique muro cincta. Deinde est *Tanae*, & *Dius* aliquandiu possessa à Lusitanis, vt est *Daman*, cuius iam antea fecimus mentionem.

Regnum *Bengalense* valde amplum est, multisque vrbibus frequens tam maritimis quam mediterraneis, extenditurque in longitudinem millibus CXX. *Guro* ciuitas habitatio regum aliquando fuit, deinde de *Bengala*, vnde totum regnum & sinus propinquus nomen trahit. Putatur autem haec vrbs omnium prope Indiarum pulcherrima.

Regni *Sanquensis* caput est vrbs *Citor*, sita loco commodissimo, habens XII. millia in circuitu, aedibus exalta publicis priuarisque pulcherrimis, muris non tantum cincta firmissimis sed & vallo & fossa munita. Fuit haec regio nostra memoria sub potestate foeminae, nomine *Cremantina*, quae tam magnanima fuit, vt aueret regi *Baduriae* negare tributum, sed ad extremum *Citore* vrbe spoliata fuit, in quam se abdiderat cum XXX. millibus peditum, & duobus millibus equitum. Caeterum & urbem & regnum hoc Rex *Cambaia* postea sibi subiecit.

Delli regnum situm est intra regna *Narsinganum*, *Decanense*, *Orixanum*, & *Cambaia* iense, à quo postremo motib. separatur. Aiunt hoc olim ab Amazonibus habitatum fuisse, & supersunt etiam aliquae earum reliquiae, quae equis insident, vt viri. Nondum adeo multi anni sunt, cum rex quidam Mahumetanus hic regnauit, cuius vxor fere ingredi solebat comitata equitatu muliebri bis mille foeminarum: sed ad extremum & hoc regnum Mogor sibi vendicauit, quae Regiam suam habet in vrbe *Delli*, totius regni Metropoli.

Cum

Cum Regnum *Cambaia* multis irrigetur fluuiis, Indus tamen facile primus est omnium, qui medium id interluit. Oritur hic in Monte *Caucaso*, qui hodie à Barbaris *Naugrocot* appellatur, cumque longissimum cursum circiter CM. millium pass. confecit, praecipitatur in Oceanum, duobus haustus ostiis amplissimis. Abundat autem tota regio oriza, cera, saccharo, thure, fructibus arboreis aromatibusque tantaque insuper copia serici & gossipii, vt aliquando XL. vel L. naues eo oneratae in exteras mittantur regiones. Reperiuntur hic plurimi Equi, & Elephanti, & Abades, qui corporis dupla magnitudine tauros vincunt, habentes in promiscide siue rostro cornu, totumque tecti corpus tam duro cortice, vt ferro nullo perfodi possint. Sed hi veri sunt *Rhinocerotes*. In montibus vero reperiuntur variae gemmae, *Onyx*, *Adamas*, *Calcedonius*, aliaeque *Styracis* liquidae hic plus quam alibi.

Regnum *Bengalense* humectat *Chaberis* fluuius, quem quidam putant esse veterum *Gangem*: quamquam alii videtur esse is fluuius, qui progressus à *Gata* monte exonerat aquas suas in Sinum *Bengalensem* (qui veterum fuit *Gangeticus*.) haud procul ab ostio *Chaberis* fluuii. Omnia hic largiter proueniunt, quae ad vitam humanam sunt necessaria, frumentum omnis generis, *Oriza*, *Saccarum*, *Gingiber* laudatissimum, *Piper* longum. *Xylini* vero & serici copia omnes alias vincit regiones, & carniū pisciumque abundantia vniuersam superat *Indiam*. Adde quod totum regnum aere perflatur suauis & temperato, quae salubritas etiam extraneos huc allicit. inueniuntur ibi Arbores, *Moles* appellatae, quarum fructus tam grati sunt palato, vt *Iudaei* & *Mohometistae* sentiant, hunc esse fructum, in quo praeruaricus fuerit *Adamus* *Protoplastes*. *Arundinum* siue *Cannarum* ea est amplitudo, vt doliorum vicem praestent singula internodia, cum ea sint crassitudine, vt ab homine vnus vix comprehendi possint. Regnum Dei suppeditat praeter caeteras res, quas in aliis prouinciis inueniri diximus, plurimos Equos, Elephantes & *Dromades* à *Camelorum* genere.

Certum est, eos qui hanc Indiae partem occupauerunt, adeoque ipsum *Mogor* (& haec videtur esse ratio nominis) à *Zagathis* *Tartaris* prodiisse, vnde, & princeps iste à *Tamerlanis* posteritate se ortum gloriatur: sed & olim *Massagetarum* partem regni huius habitauisse. Quicquid sit, non erit alienum à nostra ratione, aliquid de huius gentis praecis moribus dicere.

Solebant igitur hi populi balteos suos, & cassides galeasque, & humeralia, & thoraces, adeoque omnia arma, sed & ornamenta equorum suorum, frenos, habenas, postilas aliasque purgatissimo ornare auro. Cuspides hastarum erant ex aere, cum neque haberent usum ferri neque argenti. Singuli singulis vxoribus contenti erant, quamquam passim miscerentur mulieribus, in proparulo, sine verecundia. Si quem libido venerea inuasisset, appensa ad currum suum pharetra, cum vxore sua palam congregiebatur, nihil pensifaciens, siue videretur siue non.

Hoc quoque de hac gente annotauerunt praecis, si quis inter eos ad extremam senectam deuenisset, conueniebant propinqui & amici eius, eumque instar pecudis mactabant, addita oue vel veruece pro victima succedanea: his immolatis miscbant carnes humanas cum veruecinis, & ita in conuiuio publico absumentes vtrisque. Eos qui languore aut morbo moriebantur, non comedebant, sed humi defodiebant, plorantes infelicitatem eorum, quod carnes eorum ab hominibus absumptae non fuissent. Rus neque arabant neque sementem proiciiebant, contenti lacte gregum armentorumue & piscibus.

Solem ante omnes deos suos vnice colebant, cuius honori solebant immolare equum, optimo Astrorum optimum celeriumque animalium sacrificantes.

Incolae regni *Cambaia* propemodum omnes addicti sunt mercaturae, ad bellum ferme inutiles. Colore sunt subfusco, ingrediunturque omnino nudi, nisi quod pudenda velant. Caput tegunt purpureo pileolo, aliquando, sed raro, vtentes indusio lineo. A carniū esu abstinent, vitantes lacte, oriza, ordeo, aliisque; terra nascentibus & inanimatis. *Barbam* pectunt nutriuntque, demittentes etiam capillos instar mulierum, eos ad torquis instar plectentes. Singuli viri singulis foeminis contenti sunt, & foeminae pariter, viucentes caste in viduitate. *Auguriis* & futurarum rerum praenotioni vsque ad *Magiae* insaniam dediti sunt. Principes suos vel vecti Elephantis vel equis mane salutatum veniunt ante Palatium, ad sonum strepitumue tubarum atque lituorum: Eundem obseruantes morem, quoties Rex ad prandendum discumbit.

Habitatur autem regnum *Bengalense* à multis nationibus, ob salubritatem aeris & affluentiam omnium bonorum. Indigenae plerique colore albo sunt, ingenio acti, moribus

Qualitas
& Natura
huius partis
Indiae.

Mores antiqui.

C

bus



bus commodis, attentis in negociis, nec omnino alieni à fraudibus. In mercatura sunt verfatissimi, nec facile circumscribuntur. Nudi non incedunt, ut reliqui solent Indi, sed tegunt corpus indusio candidissimo, ad talos usque demisso, iniicientes huic etiam togam sericam. Caput Turpane operiunt, imitatione Turcarum Persarumque. Magnifici sunt & molles atque delicati, tam in vestibus quam reliqua vita. Bonarum artium scientiarumque rudes sunt, nisi quod quidam Astrologiae & medicinae student. Gangem fluvium in magno habent honore, existimantes, si in eo lauentur, omnia simul ablui delicta atque scelera. Sed auaritia Principum factum est, ut nemo in eo fluuio lauare corpus possit, nisi numerata certa pecunia.

Opes & Diuitia.

Præter ingentem vim gossypii & serici, quo utroque quotannis innumeras onerari naues, ut ad exteros deuehantur, diximus: præterque aromata & gemmas, quæ incolæ solent vendere peregrinis, & ex quibus ingentes diuitiæ huius regni colligi possunt: præter hæc inquam omnia dignum est consideratione, quod Maphæus de Badurio refert, qui tamen præter Cambaiense regnum nihil terrarum possidebat: De hoc igitur Badurio narrat is scriptor, eum, cum aduersus Mogorem suppetias ferret Regi Mandaonis, traxisse secum D. doliola plena auro & argento, ad persoluenda militibus suis stipendia, idque factum fuisse anno A. Nato Christo MDXXXVI. cumque duobus victus præliis, castris, omnibusque impedimentis exutus fuisset, misisse ad Solymannum Turcarum Monarcham Legatos cum dono DC. milliū coronatorum, ut sibi suppetias ferret. Sed paulo post tactum pœnitentia, quod à tā longinquo Principe petiisset auxilia, ad amicitiam Lusitanorum confugisse, iisque non solum permisisse, ut munimentum excitarent in Insula Dio, sed & ingentia misisse munera. Hinc fieri potest coniectura, quantas esse par sit diuitias Monarchæ illius, quem Mogor vocari diximus, cum non solum huius Badurii regnum obtineat, sed & multas alias prouincias, illo nulla ex parte minores aut deteriores.

Robur & potentia militaris.

De cuius tam magni principis potentia pariter iudicium ferre possumus ex eiusdem Badurii exercitu, quem aiunt constituisse equitibus centies quinquagies mille, in quo numero fuerint equorum loricatorum XXXV. millia: peditatum vero eius fuisse ampliore D. milliibus hominum. Addit Maphæus, tantum eum post se traxisse curruum, instrumentorum & impedimentorum, ut difficile sit, ad fidem dicere, si quis ad Europæorum principum rationes æstimare velit. Habuisse eum ait tormentorum æneorum II. millia, interque ea quatuor, quæ singula fuerint à CCC. bobus tracta, quingentos insuper currus, nitrato puluere & globis ferreis oneratos, & Elephantos militariter instructos CC. Si igitur hoc loco pari modo, ut de diuitiis, ratiocinari volumus, dicemus; cum magnus ille Mogor præter Baduri regnum, quod sibi subiecit, tot regnorum prouinciarumque sit dominus, eum posse colligere exercitum, cuius vel solum nomen omnibus vicinis regibus terrorem incutere possit. Quid enim prohibebit, eum tantas conducere copias, quantas vix quisquam cogitatione assequi possit? Quid impediet, quo minus eas alat, armet, instruat, omnibus his rebus affluentissimus. Nihil inuenies in eius impedimentis, nisi quod ad gerendum bellum necessarium est. Abundantia vini, varietas cibariorum, lecti & stragula, calorum lixarumque instrumenta, & his similia onera ab eius castris longissime absunt. Abundat hic princeps omni materia metallica ad fundendas machinas igniuomas; satis hic plumbi ad globos, satis ferri ad fabricanda arma: bouum, equorum, elephantum copia. Accedit tyrannicum horū principum dominium, qui consueverunt opprimere ciues, ut eorum facultatibus ditent milites, eosque magis sibi ad fidelitatem obligent. In primis hoc principibus Mahometanis non est infrequens, ut se suaque omnia committant seruis, qui sapius captata occasione, excussis Dominis arripiunt imperium, quod ut obtineant, populum prædæ exponunt: neque enim vanum est, quod ille dixit: quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periiisse expetit: Sic Turcici Imperii firmentum sunt Ianitæ, quos ut Princeps habeat beneuolos, necesse est ut omnia illis, quæ cœcupiscunt, permittat. Eodem modo multi Indorū Principes, populum non pluris faciunt quam iumenta, omne suū robur in Nayris collocantes. Huc referendi sunt reges, Armusius, Cambaiensis, Deanensis & Acensis. Quorū omnium vnica fiducia cū sit in militibus, siue ii ingenui sint siue serui; oportet ut nulli rei parcant quæ ad gerendum continuandumque bellum requiruntur.

Sed hæc velut intransitu. Putatur Monarcha noster, si opus sit, breui tempore cogere posse Equitum CCC millia, Elephantum XL. millia, Peditum vero numerum infinitum.

Hic mihi obiiciet aliquis: Si Rex iste, ut ais, tam potens est, qui sit, quod non & reliquā Indiam rotumque sibi subiicit Orientem? Huic ego respondebo, multa ob stare. Primo, sicut ars & industriæ hominis perpetuum mouens excogitare nō potest, cum sit effectum solius Dei; ita rerum

rerum & desideriorum humanorum cursum perpetuum esse non posse. Maxima enim Imperia non tam impulsu exterorum quam propria mole corruerunt. Accedit quod in tanta potentia & magnitudine virtutum æqualitas & aptitudo fere deest, ut immania corpora tarde atque ægre mouentur, currere vero omnino non possunt. Est autem promptitudo omnium rerum in bello longe optima. Interea dum tantum corpus mollitur & se expedit, lucrantur vicini tempus sibi suisque rebus quam optime prospiciendi.

Adde his, quod is, qui vicit hostes, fere sibi metuit à sociis, quos in pugnae victoriaeque parte venisse nouit. At hic dum sibi consulit, sepe amittuntur occasiones, aliquando & ipsæ amittuntur expeditiones. Quid quod aliquando milites facti insolentes, victores Principes sequi recusant? quod accidisse nouimus Alexandro & Lucullo. Neque omittendum est, nimis magnum exercitum deuastatis regionibus, per quas ducitur, sibi ipsi amputare media viuendi, ut fame concidere aut dilabi necesse sit copias, etiam nullo infestante hoste. Hinc optimū est ad frangēdos tam immanes exercitus, ut mora debilitetur, donec vel defectu pecuniæ vel alimoniam sponte diffluant atque euanescant. Vltimum quod huius Monarchæ imperium intra certos cōpingit limites, est natura locorum. Caucasus enim, qui in mille brachia & ramos discedit, quædam vicina regna tuta præstat ab inuasionem, quod ea velut natiuo muro cingat, alicubi etiam omnes occludat aditus, præsertim equitatum, in quo maxima vis huius Principis consistit. Neque enim is, qui in planicie & patentibus cæpis bene pugnat, idem in montosis asperisque faciet locis. Ostendunt hoc exemplo suo Resbutenses, qui incolentes Montes Cambaiæ, nihil sibi ab huius Principis magnitudine metuunt. Sunt autem hi Resbutenses reliquæ quædam præcæ nobilitatis in eo regno, qui primo Mahometistarum incursum pulsati suis sedibus, in montes illos se receperunt, qui sunt inter Cambaiam & Diu. Et nunc quidem sua fruuntur libertate, semper armati, aliquando etiam quæstuosas in loca campestria facientes excursiones.

His omnibus impedimentis adiungi potest, quod multæ regiones sint steriles, quædam etiam destitutæ aquis, sicut Dulcinda est in finibus Cambaiæ, ut hac exercitus traduci nō possit. Iunge his, si placet, iacturam temporis, quod ætas fere prætereat, antequam ad destinatum locum duci tantæ copiarum possint: interea moriuntur aut debilitantur saltim equi & homines, superueniente hyeme, fiuntque omnia hostibus magis oportuna. Hæc res coegit multos, ut copias suas nauibus impositas in hosticum deportarent, quod Germanicum fecisse constat bello contra Alemannos. Mogor autem non solum destituitur classe, sed etiam commoditate portuum, cum Lusitanorum sinum Cambaiensem in sua habeant potestate, occlusis eius faucibus beneficio duorum munimentorum, quorum alterum dicitur Diu, alterum Daman.

Postremum est, quod à propagandis imperii sui pomeriis hunc Principem cohibet, potentia vicinorum regum. Neque enim Rex Peguans ei multum cedit potentia, tot regnorum prouinciarumque dominus, ut non necesse habeat, à quoquam sibi metuere. Sic enim ille regnum suum propagauit intra Gangem & Malacam. Postremo, ea est propugnaculorum & munimentorum nostri temporis ratio, ut vel exiguum castellum fatigare atque debilitare possit, quantumuis magnum exercitum: sic enim pauci resistunt pluribus, quos cogunt, omnes suas vires & thesauros in vanum profundere.

Tam late per Europam, Africam & Asiam sparsa disseminataque est, infelix Mahometi superstitione ut maxima regna & imperia prope tota infecerit corrueritque. Inter ea est & hæc pars Indiae, quam modo descripsimus, in qua Mahometismus fere vbique obtinet. Sunt autem his immixti multi Idololatæ: de quibus fufius dicemus, cum ad regnum Narfingæ nos itineris ratio vocabit. Sed & non pauci Iudæi hic reperiuntur, negociationi præcæteris dediti: Nec non quidam Christiani ex Abyssinorum siue Abexinorum gente, quos dulcedo lucri ex intima Æthiopia huc pellexit.

Religionis cultusque diuini ratio.

CAPVT VII.

PERIOCHE.

Wilhelmus Haukinus Anglus à Britannorum rege ad Magnum Mogol Legatione fungitur. Quæ ibi viderit audieritque refert.

Anno à nato Seruatore nostro MDCVIII. misit Serenissimus Iacobus Magnæ Britanniaæ Rex Legatum ad Magnum Mogol Indorū præcipuum monarcham, Guilel-
mum

Legatus Anglicus ad Magnū



Mogol. *mum Hauquinum*, Equitem Anglum, cum litteris & mandatis. Hic cum longum & difficile iter, enauigato Oceano confecisset, postremo *Suratum* urbem matritimam, quæ illius Magni Regis imperio suberat, appulit. Variis autem Lusitanorum petitus insidiis, qui præfectos regios pecunia coruptos in eius concitauerant perniciem, non sine expresso vitæ periculo Agram urbem petiit, stipatus præsidio non suorum tantum sed & Indorum militum. Agram cum venisset, exquisitis à rege exceptus affectusque est honoribus. Acceptis Britanni regis litteris Mogol per suam patrique sui animam iuravit, nihil se Iacobo regi negaturum ex omnibus quæ illa epistola petiisset. Donauit idem in signum amicitia Hauquino magnam vim auri, quod si ad monetam Anglicanam reuocet, facile ter mille & ducentas libras Sterlingorum conficiet. Sed & eidem uxorem dedit cum amplissima dote, Præfecti cuiusdam Christiani, gente Armenii, cuius magna in bello enituerat virtus, filiam. sic mansit Hauquinus totis quatuor annis in Aula Regis Indi, in precio & honore habitus ab omnibus: quo tempore quæ vidit & obseruauit, ipse scripto concepit, Anglisque suis postmodum communicauit: nos ea quæ lectori non ingrata futura existimauimus, huc velut in compedium redeimus.

**Commen-
tarij Hau-
quinii.**

Ait igitur totum istud imperium in quinque magna regna diuidi, quorum primo nomen sit *Pengag*, eiusque ciuitatem præcipuam dici *Labor*. Secundum esse *Bengalam*, eiusque Metropolim dici *Sanarham*. Tertio nomen esse *Malua*, cuius primaria sit sedes *Vagam*. Quartum *Decan* dici, in quo sit primi nominis vrbs *Bramport*, (vt ipse quidem vocat) Quintum dici *Amadauer* cum vrbe primaria *Cambaia*. In Regno siue Prouincia Agra (inquit Anglus noster) sex sunt munimenta fortissima, in quibus Theauri regii asseruantur, quibus hæc sunt nomina: *Agra, Guallier, Naruet, Ratambora, Hafsiera* & postremo *Bughar*. Sunt in eo regno tres reguli, qui ex cuncto Magni regis dominio hætenus se ei satis feliciter opposuerunt, vt Rex eos ne in hunc quidem diem compescere potuerit: rebellibus illis hæc sunt nomina. *Amber Chapu* in Decania tumultuatur: *Bahador*, cuius pater olim Guzaratensium rex fuit, in Prouincia Guzarata; & *Raga Rahana* in Malua.

**Polygamia
Regis Ma-
gni Mogol.**

Filios habet Rex Magnus quinque, quibus hæc sunt nomina, *Cussero, Peruis, Choreu, Sa-rier, Bathus*, quibus singulis *Sultani* appellatio adiungitur: & præter hos filias duas. Vxores eius siue concubinae numerantur CCC. in quibus quatuor cæteris antecellunt, & legitimarum coniugum loco habentur. Nomina dignitatum hæc sunt. *Sultani* appellatio nulli præterquam filiis Regis competit. Fratibus regis & proximis sanguine iunctis *Mira* nomen est. Duces qui apud nos sunt, Indis *Chan* vocantur. Gradus nobilium ex numero equitum, quibus præfunt dignoscitur, hoc modo. *Chan Azan*, regio prognatus sanguine XII. equitum millib. præfectus est. Tres proximi Chani siue Duces, singuli nouenis equitum millib. imperitant. Marchiones sunt octodecim, parentque singulis quina millia. Comites præficiuntur III. millibus: Vicecomites II. millibus: Barones mille: Equites aurati CCC: alii paucioribus vsque ad hecatontarchas. *Manfibda* vocantur, qui vicenis equitibus præfunt, suntque ij ter mille. *Haddij* dicuntur qui stipendium sex equitum mensuram percipiunt, numeranturque ad XXX. millia. Cæterorum aulae ministeriorum, & qui Regiam sequuntur, in quo genere sunt serui atrienfes, tormentarii, ianitores, coqui, stabularii, hortulani, lixæ & eius farinae homines: horum inquam vix iniri numerus potest, cum ad XXXVI. millia capitum accedant. Præfecti equitum & *Manfibda*, si euocentur, CCC. millia equitum cogere & in parato habere tenentur.

**Prouentus
Regiorum
magni-
tudo.**

Prouentus regios, qui ex relatione Angli nostri, ad Europeæ monetæ calculum reuocauerunt, narrant eos quotannis CL. milliones coronatorum aureorum excedere, quæ profecto tanta est summa, vt de nullo alio per totum Orbem habitabilem Monarcha aliquid simile dici possit. Iam si quis recitare velit, quanti in Agra vrbs ærario regio asseruentur thesauri auri argentique facti, infectique, signati & rudis, certum est, cum nostrorum hominum nulli persuasurum, cum omnem fidem longe superent.

**Diuitia
incredibi-
les Regis.**

Idem quoque de Gemmis omnis generis, in ptimis Adamantibus, vt & vnionibus dici potest, quarum rerum preciosissimarum tanta est in repositoriis Regis huius multitudo, vt & *Bathmanis* (quod certum quoddam mensuræ genus est) metiri ea soleant, cum, vt ipsi quidem putant, pauperis sit numerare pecus. Ne tamen solertiam Hauquini nostri leuiter aestimasse videamur, apponemus, quantum eo tempore, quo ipse in Aula Magni huius Principis vixit, in Gaza regia gemmarum fuerit. Sic igitur numerat. *Bathman* mensura est aridorum, quæ continet libras LV. Ergo Adamantum habet *Bathman* vnum cum dimidio. Pyroporum siue Carbuncolorum *Bathmanos* duos. Smaragdorum *Bathmanos* quinque. Margaritarum varii generis *Bathm.* XII. Topaziorum, Coraliorum aliorumque minoris æstimationis lapillorum plus est, quam vel dici vel credi possit. In rebus preciosioribus armamentarii eius reperiuntur MCC.

gladii

gladii siue acinaces, quorum manubria cum vaginis auro variegatis, gemmis preciosissimis affabre inlitis fulgent. Pugionum vero ad eundem modum exornatorum sunt ibi II. millia: Ad hæc his Ehippia lapillis auroque; Iquallentia D. aliaque opere phrygio petpicta totidem: operimenta capitis ad stuporem exornata M. Vexillorum, hastarum inauratarum, ymbonum, Cathedralium, vasorum è gemmis, alabastro, crystallo, ophite, pocolorum omnis generis, pollubrorum, paterarum, & è præstantissima quidem materia (auro enim postremus fere locus est) tantum ibi conspicitur, vt non possit sine stupore & ecstasi conspici, possitque quis dicere, quicquid vsquam sub isto sole est precioso, in vnum hunc locum congestum esse.

**Theauri
Magui
Mogolin-
asimabi-
les.**

Quid iam de stabulis & Theriotrophiis regis dicemus? Equorum Magnus hic rex in Hippocomis suis alit millia XII. cum totidem Elephantis, in quo numero id est differentia, quod quinq; millia sint eorum, quibus dentes siue cornua longe prominent, cæteri vel iuniores sunt vel feminei generis. Camelos habet vicies mille, boues aratores & onera trahentes decies mille, mulos bis mille, canum venaticorum millia tria. ceruos quibus ad aliorum ceruorum venationem vitur, quater centum, Leones mansuetos centum, Bisontes CCC. Accipitres ad aucupium quater mille; columbas ad voluptatem captandumque ventum decies mille. Oscinum & auicularum minorum cantillantium millia tria. Arma pro XXV. millibus militum. Hæc omnia aliaque multo plura in Arce & Palatio Agrensireperiuntur, quanquam de thesauris ærariorum & armamentariorum, quæ in reliquis arcibus ac munimentis vastissimi illius regni reperiuntur, iam nihil dicamus, in quibus ærarium Lahorensis primas post Agrensense obtinet.

**Iumentorum
animalium
ferarum
numerus
ingens.**

Vt verbo dicam, talia hæc omnia atque tanta sunt, vt nos, quibus modicæ per Europam diuitiæ, si cum illis conferantur, admirationi sunt, tantam (vt ita dicam) opum abyssum animo comprehendere non queamus. Sed profecto nihil faciunt res nostræ ad rationes Indorum, quorum etiam antiquis temporibus incomparabiles fuerunt diuitiæ, vt qui eas ex nostrorum Principum captu & prouentibus aestimare velit, longe seipsum decepturus sit. Sed ne ipsius Indiae quidem Reges, quos superiora viderunt secula, cum opibus potentiaque; Huius Selimi conferri possunt, cum quicquid illi longo annorum decursu Thesaurosum in suo quisque sibi regno comparauerit, ad Echebarum, qui illorum prouincias crebris potitus victoriis, occupauit, velut aquæ in Oceanum confluit.

Accedunt consuetudines huius regni, ipsi Principi lucrosissimæ. Cum enim principem aliquem vel illustrem virum mori contingit, omnia eius bona fisco addicuntur, cum Rex hæres sit ab intestato omnium per regnum nobilium, quod vnico exemplo hoc planum fiet. Mortuo enim *Raja Gabinato* regulo, tantum gemmarum rerumque; preciosarum ad regem rediit, vt sexaginta *Bathmanis* auri puri aestimatum fuerit. Sed & nulli mortalium sine dono adire regem, aut vacuis manibus aliquid ab eo petere fas est. Adde quod statò quodam solenni die, qui quotannis recurrit, omnes magnates cum legitimis donis ingentis precii in Aula comparere necesse habent. Neque contemnendam vim pecuniæ inferunt in ærarium multæ, exactiones, confiscationes, vt iam de argenti fodinis quæstuosissimis nihil dicamus. Hæc autem quæ prope supra fidem Hauquini noster recenset, ita reuera se habere, vel etiam maiora dictis esse, innumeri Europæi, qui magnificentiam illam & splendorem ipso Pluto & Diote patre dignum, eminus duntaxat inspexerunt, tam mercatores quam alij, vno ore testantur eique subscribunt.

**Modi di-
tescendi
apud In-
dos reges
usitati.**

Solet autem Elephantorum, Equorum, omniumque; illarum diuitiarum talis iniri ratio, vt veluti censu facto in tot partes distribuuntur, quot dies in anno sunt, & quotidie vna earum pars eius vsibus vel præstatur vel offertur, vt gemmas & vniones, quibus hoc die vsus est, non aspiciat, nisi confecto anni curriculo idem dies anniuersarius recurat. Elephantos, quibus nemo præter ipsum vehitur, sellis ornamentisque preciosissimis exornatos, habet quingentos. Singulis septimanis dies aliquot Elephantorum pugnae tribuit, quos in magno atrio regie pugnantem spectat, si quem vulnerari contingit, etiam si vulnere lethali affectus non sit, in profuentem præcipitari mergique iubet, quo & occisorum cadauera abiicit. Vulnerato enim vti animali parum regium putat.

Neque profecto eum, qui tam sæuus est in tam præclaras bestias, maiore humanitate in ipsos homines vti par est, cum irritatis ad pugnam Elephantis aliquando reos capitalium criminum obiici curat, & deficientibus his seruos aliosque; innoxios: quod nemo adeo mirabitur, qui in cæteris quoque rebus hominis sæuitiam cognouerit, qua eos, quos scit inuito suo parere imperio, velut acrilupato in seruitute continet, maulltque; abiis timeri quam diligi. Neque tamen seueritate ista cauere potest, vt non perpetuis principum regulatorumque; exercentur rebellionibus, cum tres illos, de quibus superius diximus, iam diu regia contemnen-

C 3

temnen-

tementes mandata, hæcenus armis ad officium adducere non potuerit. Is enim, qui omne id terrarum spacium, quod inter Agram Prouinciam & Amandaueram interiacer, obtinet, & iusti prope regni magnitudinem adæquat, equitum quidem in aciem educere potest millia XX. peditum vero L. qui sane non contemnendus est exercitus, accedente oportunitate locorum & claustris montium, quibus tota illa regio oblecta est.

Mos precandi Magni Mogol.

Cum Hauquinus noster in mores & religionem huius regis inquireret accuratius, obseruauit, eum mane sub ortum solis, facie in occidentem conuersa, in secreto quodam conclauis, genibus in lapide, Persico corio tecto, positus, orare solere, & quidæ preculas suas ad numerum globulorū, quos funiculo puniceo dependentes digitis terit voluitque, recitare. Huiusmodi autem Rosaria, (vt vulgo vocantur) in quibus prægrandes vniones, adamantes, pyropi aliaque gemmæ exquisitissimæ globulorum vicē præstant, octo vidit Hauquinus, obseruauitque eum aliquando vultu in imaginem Christi Domini & B. Virginis conuerso orare. Peractis precibus, prodit ad fenestram, seque populo cōspiciendum præbet, à quibus salutatur & propemodum adoratur, quo sine lingulis diebus ingens mortalium numerus eo confluit. Inde rursus se ad quietem componit, cui postquam horas duas indulgit, surgit iterum prandetque. Quod superest vsque ad meridiem temporis, recreationi & ludo cum mulieribus tribuit: hinc se iterum populo ostendit. A meridie aliquot horas spectaculis inque primis Elephantorum pugnae impedit: hora vero tertia præfenti omni procerum aulicorū comitatu, folium regium publice conscendit. Illustribus viris iuxta thronum locus assignatur, vbi consistant, intercedente repagulo purpureo, quo à regis latere separantur. Cæteris designatores & ceremoniarum magistri, pro sua cuique dignitate loca tribunt. Ex aduerso Regis Prætor reorum capitalium cum carnificum tortorumque manu & mortis ministeriis consistit, facie minabunda, bipennibus, cultris scuticisque instructi omnes, ad incutiendum facinorosis terrorem. Rex eo habitu audiendis litigantium controuersis aliquot horas impertit: quibus finitis ad secretum redit oratorium, donec cænæ tempus appetat. Respondet hæc nequaquam reliquæ magnificentia huius Monarchæ cum cænanti raro ultra quatuor vel quinque fercula inferantur, è quibus partem aliquam sumit, nec nisi semel atque iterum vinum toto cænæ tempore bibit.

Frugalia cæna.

Sublata mensa secretum quoddam conclauis ingreditur, quo præter paucos, quibus id peculiari regis fauore licet, nulli datur aditus: quanquam Hauquinus per integrum biennium illorum priuatorum sacrorum conscium participemque fuisse se testatur: hic quinque vel sex cyathos vini generosissimi educit, sumptoque opiato vel alio medicamine soporifero, cæteris discedentibus ad quietem se componit. Hora prima post mesonyction cibum ei offertur, quo degustato, rursus in somnum lapsus, reliquum noctis dormiendo consumit. Hæc autem quæ diximus temporum interualla variis ineptiis ludicrisque distinguit, quæ huc referre nihil opus est, & tamen omnia in rerum ab se gestarum commentarios referri vult, scilicet vt à posteris legantur. Hoc tamen, quod sequitur, in tanto principe laude dignum est. Pauperibus & vilioris conditionis hominibus, cum adeundi regis raro fiat potestas, iussit, vt eo sine funis demitteretur, in ipsum Palatium pertingens, cui aliquot alligata sunt tintinnabula. Hunc funem si quis ex inopi turba trahat, Rex audito crepitaculorum sono, admitti hominem iubet, eumque coram liberaliter audit sententiamque fert.

Sepulchrū paternum Magni Mogol.

Vbi quatuor passuum millibus ab vrbe Agra discesseris, incidet in Monumentum siue Mausolæum, quod Selimus Patri Echebato sibi que ipsi struere occupat, augustum sanè & supra modum sumptuosum, fuitque is annus, quo hæc scripta ab Anglo nostro sunt, decimus quartus, quo toto tempore perpetuo tria artificum millia laborauerunt, cum testarentur, ne intra proximum septennium quidem illud ad colophonem perduciposse. Ambitus huius monumenti DC. passus Geometricos complectitur: forma ipsa exactè rotunda est, assurgitque septem tabulatis, & in supremo regale conditur corpus. Orsus est idem Rex haud procul à Mausolæo isto aliud ædificium operis exquisiti, & amplitudinis tantæ, vt basis eius tria millia passuum habeat in peripheria. Vltimum quod Hauquinus obseruauit nobisque prodidit, hoc est. Si rex equum ascendat, certum est, eum ad expeditionem belli proficisci.

Sin Elephanto vehatur vel lecto gestatorio, (ipsi Pallanquin vocant) ad venationem ire vel aliam oblectationem.

CAPVT

Thomas Roæus, Eques Anglus, à Britannorum Rege in Indiam ad Magnum Mogolum mandatis & litteris ablegatur, vbi quæ digna obseruatione apud eum regem viderit, refert.

ANNO nato Seruatore nostro MDCXV. missus est à Serenissimo Iacobo Magnæ Britanniæ rege, ad Magnum Indorum Monarcham Selimum Thomas Roæus, Eques Anglus, vt apud eum Legatione fungeretur. Enauigato hic Oceano Atlantico, Æthiopico, Arabico & Indico, post tædiosam multorum mensium nauigationem, tandem a. d. XXVI. Septembris mensis Suratum Vrbem maritimam, & deinde a. d. XV. Nouembris Bramportum venit, exceptus satis honorifice à præfeto Urbis, qui mediocri cum comitatu ei obuiam progressus, in Regiam Anglum deduxit. Distat autem Bramportum oppidum à Surato CCXXIII. millibus passuum, in Orientem. Solum huius regionis magna ex parte iners est & sterile, pagi ibi atque villæ nonnullæ, sed tenuissimæ structuræ, è limo lutoque ac culmine omnes sunt domus structuræ, nihil hic solidum lapideumque breuiter, vt paupertatem colonorum etiam sine interprete arguant. Millibus passuum duobus à Bramporto abest Arx multis tormentis æneis, satis quidem crassis ac ponderosis, sed meatu nimis angusto instructa. Altero quam Thomas urbem ingressus fuerat, die, Sultanum Peruisum salutauit, non sine muneribus regis, à quo barbarico fastu, satis tamen magnifice exceptus est. Sedebat Princeps in sella loco editiore constituta, dependente conopeo testudineo magni precii, instrataque humo stragulis Babylonicis: adscendebatur ad thronum istum tribus gradibus, adstantque nobiles aliquot, qui peripetasmata manibus subleuabant.

Thomas Roæus, Legatus Anglicus ad Magnum Mogol.

Accedentem Roæum hortatus est aulæ principalis Magister, vt pro consuetudine Indorum prostratus humi terram fronte pulsaret, & genibus in pavimento positus, pedes Principis contingeret: sed respondit Anglus, non se hominem seruum esse, neque ab eo missum principem, qui vilius alius mortalis agnosceret imperium, vel qui vestigial ac tributum pendere soleret, sed à potentissimo trium regnorum Monarcha. Accipit excusationem Præfetus prætorio, Thomamque admittit, qui in salutando iuvene rege morem patrium obseruauit. Summa Orationis, qua eum Anglus affatus est, hæc fuere capita. Missum se à Magnæ Britanniæ rege, cuius inter Europæ principes præcipua sit potentia, ad Patrem Peruisum, Selimum Indorum regem. cæterum transeuntem se per ciuitatem istam, noluisse in salutato principem ulterius proficisci, cum quod ita in mandatis haberet, tum quod ipsum honore isto omnino dignum existimaret. Ipse vicissim super Anglorum rege ipsa que Britannia multa sciscitatus, cū diutius Thomam importuno colloquio detineret, petiit Legatus regis sui nomine, vti sibi iuxta assidere liceret. Negauit princeps se vel Turcarum Monarchæ, si coram adesset, vel Persarū regi hoc concessurum. Petiit igitur Anglus sibi sellam cathedramue poni: sed nec hoc obtinuit. Cæterum si stando fessus esset, licere ei corpus ad columnam, quæ pone erat, applicare, & ita aliquo modo quiescere: quod ipsum tamen ingens beneficium interpretabantur. Nactus igitur occasionem colloquii, ea quæ ex vsu negotiatorum Anglorum erant, à Principe petiit, & nullo labore obtinuit.

Mos barbarus aduerandi reges Indos.

Paucis diebus post discessit, rectaque via egregiam illam atque per omnem Indiam celeberrimam arcem Mendoampetiit. Sita est hæc in monte satis edito, muro firmissimo cincta, quæ viginti millia passuum ambitu suo cōstituere creditur. Inde confecto itinere aliquot dierum venit ad radices montis, in quo antiqua illa & nostra quoque memoria clarissima ciuitas Cytoria sita est. etsi autem proximis bellis Vrbs ista exhausta variisque modis afflictæ fuit, quæ supersunt tamen monumeta veteris loci magnificentia satis loquuntur. Visunt enim etiam num ibi circiter centum templa maiora & minora, turribus suis & columnis conspicua, accedente artificum & architectorum spectando opere, præter palatia & domus priuatorum non contemnendæ structuræ. Aditus ad hanc urbem non nisi vnus est, isque satis angustus & difficilis, antequam ad portam ciuitatis peruenias, quatuor transeundæ sunt porticus fornicatæ, quæ omnia faciunt, vt nisi fame expugnari hæc Vrbs non posse videatur. Ademit hanc Selimus Rex Ranna regulo armis cum magna parte vicinæ prouinciæ, cui is Ranna dominabatur.

Mendoa Arx.

Cytor Vrbs.

A. D. X. Ianuarii mensis, Adsimetum, sedem Regni primariam Thomas venit, eisdemque in adeundo rege difficultates inuenit, eadem tamen, qua supra, vsus excusatione, morem patriū in salutando Principe obseruauit: postea litteras, quas à Britanno rege attulerat, Indo tradidit, qui eas inflexione corporis & nutu capitis accepit. hinc de salute Fratris sui Angli regis perçun-

percunctatus, cum petitionis capita intellexisset, nihil se ei negaturum pollicitus est. Cumque ex pallore faciei de aduersa Legati valitudine (qui tunc febre laborabat) suspicaretur, medicorum suorum operam ei comiter admodum obtulit. Locus in quo se conspiciendum prae-buerat Rex Indus, Theatro simillimus erat, apparatus autem vere scenicus, ut Personato siue Comico regi quam vero simillior ipse videri posset. Qui illustri loco nati erant, propius adstant, repagulo tamē intercedente: ceteri procul spectatores agebant. Hinc digressus Roxus, tertium Magni Regis Mogol filium adiuit, quem pater praeteris adamabat, eratque sub huius dominio vicina ora maritima. Huic legatus cum dona, non regis sui, sed Negotiatorum nomine obtulisset, conquestus est de iniuriis, quas Angli Mercatores ab Indis haecenus per-pessi fuissent. Excusauit, ut potuit, Princeps, quod eiusmodi querimoniam ad se ante eum diem allatam non fuissent, pollicitusque est, se querelis illis remedium allaturum. Erat autem iuuenis superbus admodum & auarus, qui & Christianis vbicunque poterat, aduersabatur: quibus autem in ceteris fuerit moribus, ex sequentibus apparebit.

Omissa regali filio, denuo Selimum Regem adiuit, estque ab eo exceptus honorifice, vix enim limea atrii attigerat, cum eum Rex, ut accederet propius, signo manus inuitauit. Per-egit hic Mercatorum nationis Anglicae negocia ex voto & sententia, utique postquam Lega-tus ei munera obtulit magni precii, frustra enim eris, si te aliquid hic sine donis & muneribus obtenturum sperabis.

*Noni anni
auspicia
quando ab
Indis cele-
brentur.*

A. d. II. Martii Mensis, qui in nouilunium inciderebat, noui anni auspicia Rex Indus ma-gna solennitate celebravit. Extensa ibi vidit Anglus noster tentoria stupendae magnitudinis, ut interea essent, quae quina iugera ambitu suo caperent, pleraque facta ex tela Abyssina & serica. Circum tendebant aulae proceres principesque regni non multo minore splendore quam ipse rex. Ipsi principes ordine cuncti Regi Xenia offerebant, magni precii munera. Fue-rat prius temporibus mos, ut optimates intra sua tentoria gemmas aliosque thesauros suos explicarent, e quibus Rex ingressus seligebat quae ipsi videbantur: nostro vero auro mos iste exoleuit, offerentibus proceribus, ut diximus, strenas Regi.

Manavit autem huius festi solennitas a Persis ad Indos, celebraturque nouem continuis diebus, quamquam hic rex sex dies festiuitati illi adiecerit, ut quatuordecim diebus sint feriae: quibus elapsis, ex aulae suae comitibus, quos vult, nouis ornat honoribus, eo prope ritu, quo apud nos Equestris dignitas nobilibus conferri solet.

Finis erat ceremoniarum, cum *Ranna* reguli, quem ipse Rex deuictum sibi vestigalem fecerat, filius Magnum Mogol accessit, cumque ter genua humi posuisset, quarto prolapsus in faciem & terram fronte pulsans, honorem ei habuit. Dono hic regi obtulit peluim plenam ar-gento signato & gutturnium refertum nummis aureis. Amplexus Rex ambabus manibus ca-pit adolescentis, eum ad filium suum dimisit.

*Meres In-
diae & Eu-
ropa.*

Interiectis aliquot diebus accessit regem, sed sine dono, acturus apud eum causam mer-catorum. Ut autem vacuus accesserat, sic inanis abiit, nulla re effecta. Post longam autem di-sceptationem cum aulae proceribus, quos Lusitani suis calumniis Legato minus beneuolos effecerant, Rex ipse cepit diligentius in Anglorum ceterorumque Europae principum diui-tias inquirere, & an apud eos terra quoque ut apud Indos gemmas atque aurum gigneret, sciscitatus est. Respondit Anglus, res istas in Europa rariores esse, & ab Indis aliisque orienta-libus populis peti solere, reperiri tamen apud eas gentes res plurimas mira artificum industria elaboratas, statuas affabre sculptas, imagines artificiose depictas, telas aureas argenteasque, & opere phrygio acu pictas, cum panno precioso aliaque materia vestiaria, instrumenta in super & vasa varii generis, e quibus ipsi magnatibusque eise quaedam dono oblaturum pollicitus est Roxus. Accepit rex promissa Legati hilari animo, cumque de Equorum, quos Anglia gi-gnit, praestantia quaedam obiter referente Roxo, inaudiuisset, ante omnia canterium Britan-nicum sibi offerri petiit. Pollicitus est Legatus, daturum se operam, ut si fieri posset, Equus Anglicani generis ei sisteretur.

*Emulatio
inter fra-
tres Regis
filios.*

A. d. XII. Iunii Mensis anno A. N. C. MDCXVI. Selimus Indorum Rex tertium filium suum *Coromen* nomine summum ducem exercitus, quem in Decanensem prouinciam missu-rus erat, constituit. Tulit hoc indigno animo *Perruisius*, secundo genitus eius filius, qui & pa-tri nunciari iussit, nisi imperium copiarum fratri ablatum, sibi tribueret, se primo fratri, dein-de demum hosti bellum illaturum. Narranti haec Tribuno, subiratus Rex, pugnent sane, in-quit, fratres, & qui victor futurus est, imperium exercitus accipiat. Non autem fratrem dun-taxat in eo fastigio aduersarium habuit Coronem, sed & duces tribunosque copiarum, qui se militaturos negauerant omnes, nisi alius praeficeretur exercitui.

Audiuerat rex, me tabulas eleganter pictas in conclaui meo habere, inquit Roxus, ratus igitur

igitur me domi inter famulos pictorem habere, petiit a me, ut eum sibi adducerem. Negavi me quenquam inter domesticos habere artis pingendi peritum (& sane nullus inter nos e-rat) mercatorem autem quendam adolescentem me nosse, qui ludendi vel fallendi temporis ergo aliquando animal aliquod, puta Elephantum aut tale quid crassis lineamentis describeret: illius tamen figuras plurimum a vera pictura distare. Audito nomine Elephanti, arbi-tratus rex, qui verba mea non bene perceperat, me Elephantum ab ipso dono petere, libera-liter pollicitus est, non hunc se duntaxat mihi se donaturum, sed & aliud quiduis quod ab eo petiturus essem. Actis igitur gratis, satis mihi iam ante ab ipso praestitum modeste significa-ui. At ille ultra instare, & ut aliquid peterem, vrgerem, multa sibi esse in regno suo, quae meis prod-esse possent vsibus; ceterum se ignorare, quid mihi potissimum arrideret: dare se igitur mihi optionem, eligerem quae vellem, dummodo iuuenem illum rudem sane pictorem, ei adducerem. Cum viderem parendum omnino esse, adduxi eum sequente vespera ad aedes *Asaph Chani*, v-bi tunc rex versabatur. Hic iuuenis deinde valde utilis fuit mercatoribus nostris Anglis apud primum Purpuratorum.

Cum a. d. VI. Augusti mensis regem de more adiuissim, iniecit sermonem de picturis tabulisque, hinc ad encausta & sculpturas deuenimus. Ibi rex imaginem suam auro in sculptam se habere dixit, seq; missuram eam Anglorum regi, si sciret ipsi futuram non ingrati. Obtuli ego operam meam, meque ad regem delaturum eam significavi, siquidem missurus esset: interim affirmavi sedulo, gratissimam eam fore rem meo Regi. At Mogol, mutata sententia, Regi quidem Anglo se imaginem suam non missurum dixit, quod ipsi cordi eam futu-ram non arbitraretur: mihi vero vnam donaturum, quod & e vestigio praestitit. Eo enim qui sequebatur die, imperavit mulieribus, quae praesto erant, ut imagines aureas afferrent. Pa-ruerunt illae, at *Asaph Chanus* acceptam vnam collo meo circumdedit (dependebat enim a catenula aurea) meque ita exornatum ad regem adduxit, ut pro munere eo gratias ei agerem. Monebant me qui pone adstant: ut inclinato ad terram corpore more Persico humum fronte pulsarem, sed Rex magno clamore, ne id facerem, vetuit. Nulli hanc imaginem publi-ce gestare licet, nisi cui id rex magni beneficii loco permisit, qui solis principibus regni in si-gnum peculiaris gratiae id licere vult.

A. d. XX. illius mensis tam densi imbres & impetuosa procellae de caelo deciderunt, ut inundatis longe lateque campis periculum esset, ne domus quaedam per madefacto solo euer-terentur. Nec procul habitationes Anglorum ab exitio aberant. Quin & ipse princeps cum Gynaeceo suo, meta submersionis in vicinum montem se recepit, translatis secum eo valis & omni supellectili regia cum equis iumentisque. Pagus vero meae habitationi vicinus, cum domos haberet plerasque argilla & ligneis parietibus leuiter structas, plurimum detrimenti accepit. Narrant autem incolae, eiusmodi tempestates singulis propemodum annis regiones istas vexare, imbres etiam aliquando atrocius saeuire.

*Fada tem-
pestas &
imbres in-
soliti.*

CAPVT IX.

PERIOCHE.

Natalis Magni Mogol plusquam regio splendore & magnificentia cele-bratus. Legati Persici ad Regem Indum aduentus; expeditio bellica in Regem Decanensem.

Inciderat in II. diem Septembris Mensis Natalis regius, qui incredibili magnificentia & luxu celebratus est. Antiqua obtinuit hic consuetudo, ut dependente ingenti trutina, in vnam quidem lancem ipse rex imponatur, in alteram tantum gemmarum, auri, ar-genti, subtilissimae telae Abissinae atque sericae aliarumque rerum preciosarum, ut i-ges-pius regis pondus adaequant. Haec postea omnia Braminis siue sacerdotibus eorum cedunt. Rex ipse adeo Gemmis vnionibusque praestantissimis obitus tectusque e-rat, ut vix vnquam quicquam tale vel simile in rerum natura visum fuisse existi-mem.

D

Duce-



Sultan Cozoone.

Femina captiua.

Selim Shah Magnus Mogol.



۱۶۴۰ قمری ماہ میں سلطان کوڑو نے سلطان سلیم شاہ کو ہدیہ پیش کی۔

Elephantorum ornatus sumptuosus.

Ducebantur ante regem Elephanti magno numero, quorum nonnulli, qui velut principatum inter ceteros gerebant, monilibus, tintinnabulis aliisque ornamentis aureis argenteisque superbiebant. Singulos ad hunc modum exornatos comitabantur octoni alii, minoris conditionis, velut illorum satellites. Omnes pariter, cum propius ad regem venissent, honore ei reuerentiamque suo more exhibebant. Erant autem Elephanti omnes in XII. distributi agmina. Primi agminis dux & velut antesignanus stupenda corporis vastitate erat, ornatus in fronte & pectore bracteis argenteis aureisque, multis magnisque gemmis infitis, in primis vero fulgebat Sardonicis & Smaragdo. Rectores eorum dum prætereunt regem, singuli donatium aliquod ad pedes eius deponunt.

Mensa ingentis precij.

Appetente vespera mensam satis grandem ex solido auro apponi, & super eam quinquaginta vasa aurea, diuersæ quidem magnitudinis, omnia tamen gemmis preciosis lucida constitui iussit, quarum rerum precium à nobis ne æstimari quidem potuit. Circumstabant mensam proceres Aulae splendidissimo ornatu, Regique assidenti vinum fundebant, & alia præstabant officia. Potanti Regi obtulit Roæus duas imagines pictas, quarum conspectu ipse valde delectatus, inuitauit Anglum, ut simul biberet, natalemque regium lætus celebraret. Precatus hic omnia prospera Principi, placere sibi ait, quicquid ipsi collibuisse, dummodo non cogeretur ad ebrietatem usque bibere. Cyathum ergo grandiore aureum partim vino natiuo partim factitio impleri, & Thomæ offerri iussit, ea lege, ut si vno hauitu educere non posset, bis terue biberet. Cum autem mixtura illa fortior acriorisque gustus esset, quâ potus cui adsueuerat Anglus, sternutationem ipsi attulit, qua rex cum suis in cachinnu solutus est, iussitque vvas passas & pomalimonia cum aliis fructibus recentibus & conditis in aurea lance apponi, eumque comedere. Hoc ubi fecit & scyphum aureum, quem eduxerat, & lancem ipsam, è qua bellaria degu-

Liberalitas vere regia in exteris.

degustaueram, ei dono dari iussit, dixitque adstantibus, nullum vnquam Francum (ita Europæos confuse nominant) perinde sibi cordi fuisse ac Roæum. Postremo cum rex varia dona inter aulae suæ proceres distribuisset, cubitum se contulit.

Quarto Septembris mensis die Legatus conuenit Asaph-Chanum, postulauitque pluribus verbis, ut negotia, propter quæ ipse ex Anglia venerat, expediret, & litteras regio sigillo firmatas sibi impetraret. Pollicitus est primo Asaphus, se curaturum; sed postea satis ostendit, se nihil tale in animo habere. Sensit Legatus hominem à Lusitanis corruptum, ipse igitur adiuit regem, qui intellecta Thomæ petitione, Socorallo Secretario suo, qui res Suratenes tractabat, mandauit, ut diploma pro Anglis negociatoribus expediret. quo facto acquieuit Roæus.

Exercebant interim Selimum quædam domestica mala & rebelliones primorum præfectorum, Abdala Chani, qui prorex erat Insularum quarundam Oceani Eoi, facileque princeps inter proceres regni: & Channa Chani qui imperator erat exercitus aduersus regem Decanensem. Verum ille, persuasus à Corone regis filio, ad officium rediit, precatusque errori veniam, eam impetrauit. At hic, cum in suspicionem clanculariæ cum hoste conspirationis venisset, abdicare se imperio & alteri tradere exercitum iussus, parere noluit. Accedebat fratrum, Peruisij & Coronis dissidium, & Channæ potentia regi erat formidabilis. Statuit ergo blanditiis & donis cum Channa redire in gratiam, eique confirmare copiarum imperium. Preciosam ergo vestem ei dono mittere volens, tradidit eam mulieri cuidam, quæ consanguinitatis iure Channam attingebat, mandans ut ei offerret. At hæc vsurum agnatum suum veste illa negauit, veritum scilicet, ne veneno tincta esset, quod cum iam bis veneno petum affirmaret. Ibi Rex se ipsum per integram horam vestem illam corpore gestaturum dixit, voluitque, ut mulier agnatum suum de ea re certiore faceret, qui intellecta securitate non esset repudiaturus donum. Cui mulier, scio, inquit, Rex, Channam nec tibi nec mihi vitam suam concediturum. Ad hanc vocem mutauit rex sententiam de confirmando in imperio copiarum Channa, statuitque omnino successorem ipsi mittere Coronem filium. Ergo Channa, qui nihil non poterat apud Decanenses, sua sit eis, ut legatos de pace ad Selimum regem mitterent. Remisit eos Selimus ad Coronem filium, qui cum esset adolescens ambitiosus, cupiens bello illo magnus euadere, postulationes eorum cum fastu repudiauit.

Quia autem in belli Decanensis mentionem incidimus, paulo ordiemur altius. Præfecerat ab initio copiis Rex Cosseronem filium suum primogenitum, eundemque ob errores quosdam in illo bello commissos, mouere loco constituerat. accedebat alia causa, quod Cosseronem duces præfectique valde colerent & tantum non adorarent, unde suum imminutum iri honorem rex verebatur. Reuocatum ergo ab exercitu filium, ut vulgi oculis eximeret, in munitum quoddam castellum inclusit, subrogato ei in imperio copiarum Channa. Cumque huic deinde Coronem filium substituere vellet, author fuit dissidiorum & domesticarum calamitatum.

A. d. XIII. Octobris gratum accepit Roæus nuncium de aduentu quatuor nauium Anglicarum, quæ in portu Surateni appulerant. Fuerant ab initio sex omnino profectæ, sed vna, cui Rose nomen fuerat, in Oceano vi tempestatum submersa perierat. altera cui Cyono nomen fuerat, cursum versus Bandam deflexerat. Inciderant hæc quatuor naues iuxta Comoram Insulam, quæ gradibus XII. minutis L. ab Æquatore abest, in prægrandem nauem Lusitanicam, in qua præter homines nauticos sexcenti milites vehebantur, eratque nauis Prætoria illius classis quæ ad Portum Goæ vrbis in Anchoris stabat. Aduentantibus Lusitanis Angli nauem vnâ, cui Globo nomen fuerat, in occursum miserunt, & paulo post aliam. Volentibus Anglis, ut dederent se cum nauis, Lusitani contentim responderant: petiti ergo quinque tormentorum ictibus, ipsi pluribus explosis machinis responderant, unde ad manus pugnamque naualem ventum est. Interea nauis siue Caraque Lusitanica in scopulos delata hæsit, vrgentibusque Anglis, cum pulvis pyrius Lusitanorum (casu an de industria incertum) ignem concepisset, repente tota nauis cum omnibus, qui in ea vehebantur, in flammam & fumos abiit, ne vno quidem cõseruato. Hæc ubi intellexit Roæus, confestim se ad regem contulit, eique omnia ut gesta fuerant, exposuit. Audito Anglicarum nauium aduentu, primum omnium, quænam sibi attulissent dona, percontatus est. Cui Legatus: Regem Iacobum Magni Indorum regis expetere maximeque, facere amicitiam, non ignatum, maioris partis Asiae atque Orientis hunc esse dominum, ideoque diuitiis affluere. Idem igitur futurum fuisse, si ei aurum gemmasque ab Britannia misisset, ac si aquas in Oceanum, qui sit pater omnium fluuiorum, infunderet. Misisse tamen alias res perelegantes, in quibus non tam materiæ præstantia, quam curiosarum manuum artificium commendaretur. Cupiditas inceserat regem cognoscendi, quænam illæ res essent; negauit Legatus se scire, quod nondum exoneratæ naues essent, debere illum moram exiguam patienter ferre. Rex contra, eequid

Virtus filii patri suspicionum prauarum causa.

Aduentus IV. nauium Anglicarum in Portu Surateni.

Tragicus casus marinus.

Molossi Anglicani aduenissent, interrogauit. Cui Thomas, nonnullos in tam longo itinere mortuos, quosdam in pugna cum Lusitanis interiisse, duos tamen adhuc superstites esse: quæ res magnam regi lætitiã attulit. A canibus ad equum peruenit, pollicitusque est Legato, si Canerium sibi Anglicanum traderet, se ei tantum vicissim donaturum auri, quantum X. millia librarum sterlingensium conficiunt, talem enim equum se pluris quam integram aliquam prouinciam facere. His dictis mandauit libellorum Magistro, ut diploma regium conficeret, ne quis in res & merces Anglorum inquireret, sed ut omnia à vectigalibus solitis immunia è nauibus in apothecas inferrentur.

Legati Persici aduentus ad Regem Indorum.
 Paucis post hæc diebus venit ad Aulam Magni Regis Legatus ab Rege Persarum, nomine *Mahomet Rasfa Beag*, stipatus quinquaginta equitibus, qui omnes vestibus sericis byssinisque induti arcus pharetrasque sagittis plenas ferebant, & scuto muniabant latus. Hos sequebantur quadraginta alii in equis cū sclopetis, more Europæorum, & CC. pedites ad curam sarcinarum destinati. Aduentanti Persæ Rex Indus obuiam misit centum Elephantos, cū magno nobilium virorum numero & quibusdam symphoniis. Adductus ad regem nimis seruiliter, & parum pro dignitate regis sui, honorem ei habuit, bis humi prostratus, quod nemo legatus Persæ ante eum diem fecerat. Exhibitas litteras Rex inclinato parum corpore accepit, sciscitatusque nonnulla de fratris sui Regis Persæ valetudine, Legato septimum locum inter Principes aulae suæ assignari iussit. Nimis hic vilis visus est: sed dissimulauit Persæ, quod se in mandatis habere diceret, omnia summa cum lenitate & patientia agere, unde nonnulli in eam venere suspicionem, quasi Rex Persæ opem auxiliumque Magni Mogol aduersus Turcarū Monarcham ea Legatione ambiret, quamuis pax inter Regem & Decanenses prætexeretur.

Munera à Persico Legato Regi oblata.
 Dona quæ Rex Persæ Indo miserat, hæc erant. Ter nouem equi, qui numerus apud eos facer habetur, ab Arabia & Perside petiti: nouem mulæ admodum speciosæ; septem Cameli materia serica onerati: duo vestimenta operis Veneti: telæ sericæ, auratæ atque argentatæ vis magna: arcæ siue cistæ Persicæ duæ materiæ & artificii exquisiti: quatuor tormenta manuarum pulcherrima; horologia affabre facta quinque: Camelus vnus tela aurea Persica onustus: aulae Babylonici operis variegata octo: duo Sardonyches in globi forma prægrandes: Cameli XXI. ferentes vtres vino natiuo plenos: quatuordecim Cameli gestantes vasa liquore facticio dulcibusque; Iulapiis plena; septem onusti aqua rosacea destillata; septem pugiones & toridem gladii cum manubriis gemmatis: septem specula Veneta admirandi artificij. Hæc autem dona non è vestigio obtulit Legatus Persicus regi Indo, sed tantum indicem tradidit, ipsam præsentationem in alium diem differens. Ipsi quoque Legati supellex preciosa valde erat, quem sequebantur nouem Cameli auro & argento facti in te ctoque onusti: ipse tiaram capite gestabat gemmis vnionibusque; immensi precij rigentem. Obseruauit tamen Legatus Anglicus, se in nullo honoris genere Legato Persico postponi, in quibusdam etiam anteferri, in primis quod ad libertatem ceremoniarum attinet in salutando Magno Rege.

Expeditio regij filij in Decanensibus.
 Sed nunc demum ad bellum Decanense redeundum est. Igitur a. d. i. Nouembris Coronæ filius Regis ad castra & capessendum copiarū imperium profectus est. habebat autem in exercitu suo Camelos innumeros, Elephantos vero sexcentos, qui arma & apparatus bellicū portabant militariter instructi. In equitatu eius erant X. millia nobilium virorum, quorum nonnulli veste è tela aurea, alii extantibus à pileorum apice prælongis plumis, conspicui erant. Ipse Princeps tela argentea adamantibus & margaritis obsita conspiciebatur. Faerat proficiscētem Selimus Pater aliquousque comitatus, eumque deosculatus præstantissimis prosecutus muneribus, gladium donauerat cuius vagina è solido auro infertis gemmis, & Elephantum cum duobus equis immensi precij, iusseratque; per omnē viam qua filius ingrediebatur, nummos aureos argenteosque spargi, vsque ad ipsa castra, quæ ad quartum milliare inde distabāt.

Vt magnificentiam pompamque illam in pauca contraham, tantus fuit in apparatu Principis illius ad bellum proficiscētis luxus & diuitiarum ostentatio, ut totus Oriens suas in hunc vnum locum congesisse opes videri possit, & hic quam maxime locum habeat illud Hannibalis ad Antiochum; *Satis fuisse Coronæ copias instructas ad prædam, etiamsi Decanenses omnium hominum auarissimi fuissent.*

Apparatus bellicus Regis Decanensis.
 Ineunte mense Ianuario sequentis anni (nostro quidem computo) venerunt nuntiantes, Regem Decanensium esse in finibus regni sui, cum equitatu quinquaginta millium, ut Indos aduentantes exciperet, Coronæ vero tantarum copiarum metu se recepisse, & cum Channa legato suo in arce Mandoa delitescere: & hæc quidem in aula Magni Mogol referebantur. Persuaserant sibi ipsis *Asaph Chanus* & *Normahela* coniux regia, Decanensem ad primum aduentus Indici exercitus rumorem terga obuerturum, ideoque potissimi huius expeditionis suauius auctoresque fuerant. Cæterum cum viderent, scenam longe aliter strui ac ipsi opinati fuerat.

ti fuerant, tentauerunt, an persuadere regi possent, profectioem illam tam operosam animi fallendi; temporis ergo institutam, neque vero Decanensium regem dignum iudicandum esse, contra quem tantus Monarcha expeditionem suscipiat: fatius igitur esse Agram reducere copias. Cum autem hæc consilia non satis è re sua & dignitate esse arbitraretur Rex, statuit omnino sibi ipsi aduersus Decanenses proficiscendum: interca vero subinde nouos milicum delectus habuit, ut laboranti filio copias & supplementa submitteret.

Fuerat hæcenus Legatus Persicus ad Aulam. Cum autem videret, se nihil eorum, quæ *Discessus Legati Persici.* petitum venerat, ex animi sententia conficere posse, statuit sibi tempus non vlterius inutiliter terendum esse, sed quam primum domū redeundum. Plenus igitur mærore & tristitia omnia ad discessum adornauit, Magnoque Regi triginta equos Persicos dono obrulit: pro quo Mogol antidori nomine ei tria millia Rupiarum (monetæ genus est) numerari iussit. Parum hoc visum est Persæ, nec potuit à querelis abstinere. At rex cum ea quæ ipse hæcenus in Persam eiusque comites impenderat, maximi æstimaret, Persarum vero munera extenuaret, residuum sibi solui voluit. Sic irritus Legatus, simulata febris, ad suos rediit.

CAPVT X.

PERIOCHE.

Exemplum litterarum Iacobi Magnæ Britannia Regis, & Epistola responsoria Magni Mogol.

Iacobus D. G. Magnæ Britannia Francia & Ibernia Rex S. D. Potentissimo Monarchæ, Magno Mogol Selimo, Orientalis India Dominatori, Candaharis, Casimeria & Corazonis Regi. Certiores facti de egregia qua in mercatores ciuesque regni nostri vsus es, beneuolentia, in primis qua ad negociationis immunitatem & securitatem attinet, à quibus omnem vim iniuriamque edicto publico arcuisti, velut nobis fidelis dilectusque noster Thomas Bestus retulit: voluimus ad te mittere Legatum, Nobilem virum, domesticum nostrum, Thomam Roëum ut porro ea præsens ipse conficiat, qua ad vtriusque nationis, Anglicæ, inquam, & Indicæ, commoda pertinent. Illi igitur Legato nostro mandata dedimus, Sigillo nostro Regio munita, quibus ut plenam fidem habeas, rogamus, ut & aliis omnibus, qua coram ipse expositurus est. Postremo petimus, uti dona atque munera, qua tibi Legatus iste nostro nomine oblaturus est, boni consulas, quo pacto tibi nos in aeternum deuincias. Vale.

SCHA Selimus, Magnus Mogol, Indorum Monarcha, totius Orientis Rex & dominator, S. D. Iacobo, Regi à progenitoribus Regibus legitime descendenti, Magnanimo Heroi, virtute & iustitia ornat, Regi omnium Regum dignissimo, Defensori Legis, quam Magnus ille Propheta Christus docuit. Amor tui tam profundas in corde nostro radices egit, ut euelli inde delerique nullo vnquam possit tempore, sed quotidie crescat, suauemque beneuolentiæ odorem profundat. Epistolam, qua nobis res ac negotia mercatorum tuæ nationis commendasti, Legatus tuus rectè nobis exhibuit, ex qua affectum in te nostrum intelleximus, rogamusque, ne nobis vicio veritas, quod non priores ipsi te litteris nostris salutauerimus. Porro voluntatem in te tuosque nostram vel hinc collige, quod diplomata regia in omnia Emporia portusque regnorum nostrorum misimus, quibus seuerè mandauimus, darent omnes operam, ne quis negociatoribus Anglis vlllo pacto impedimentum, vim iniuriamue afferret. sed eos vbicumque opus esse defenderent, eorumque res ac rationes adiunarent. Patent igitur tibi tuisque regna nostra, emporia, portus, vrbes & oppida, ut eò, quando cuque visum fuerit, appellant & negocientur. Munera qua nobis à Legato tuo exhibita sunt, gratissima fuere, dabimusque operam ut intelligas nos ne in hac quidem parte officij nostri immemores esse. Scimus enim qui nostro tempore inter Magnos Principes sis mos atque consuetudo. Vale.



Dubium
de impri-
mendo si-
gillo.

Has litteras ubi Magnus Aulæ Regiæ Magister expediuit, traditurus eas Roæ Legato, anxius animi fuit, quo loco Sigillum imprimeret. Si enim supremo loco, verebatur, ne Angliæ regem offenderet: si inferiori, ne regis sui imminueret dignitatem. Ipsum igitur sigillum Legato tradidit, ut ipse quo loco optimum ei videretur, imprimeret affigeretue. Est autem Sigillum illud argenteum totum, nec vlla in eo figura aut aliud quippiam expressum est, quam stirpis eius à Tamerlane Genealogia & successio principum, qui ita numerantur? Amir Temur Schahab Quran. 2. Ebni Miran Xah. 3. Ebni Mirza Soltan Mahomet. 4. Ebni Soltan Abulaid. 5. Mirzah Amar Xek. 6. Babor Pad Xah. 7. Hamaiun Pad Xah. 8. Ebni Achar Pad Xah. 9. Almozaphar Nur Gihangir. Huius Magni Sigilli e typon Tabulæ Geographicae, qua totum huius Principis Imperium descripsimus, adiecimus, in quo nomina illa circulis inclusa & Arabicis litteris perscripta sunt: ubi & videre est aliud signum cum armis huius Regis: Leo decumbens cum Oriente sole.

Inscriptio
sigilli regij.

CAPUT XI.

Pergit Thomas Roæus, Legatus Anglus referre ea, quæ tempore Legationis suæ apud Magnum Mogol partim ipse vidit, partim ab aliis fando accepit, & ad suos per- scripsit, annis AN. C. MDCXV, & MDCXVI.

Qvem supra Echebatum nominauimus, Selimi Patrem, Indorum Monarcham, eum Roæus noster Escharshah nuncupat: de quo hæc talia refert. Præclaræ indolis fuit hic Princeps, nouitatisq; mirus amator, & qui diuersas de Deo opiniones studiose audiebat. In hunc finem tres Iesuitas in Curiam suam ab Goa vrbe vocauit, ut cum Gentilibus & Mahometanis in regno suo disputarent, neue hoc ipsi fraudi esset, amplissimo cauit diplomate. Idem Hieronymum Xauerium Nauarrenum iussit librum conscribere, quo suam de Deo sententiã adstrueret, alienam contrariamque refutaret, quem librum ipse Rex, de nocte potissimũ perlegit, non sine occulta Christianorum spe & gaudio. Hinc diplomata Xauerio expediri iussit, quibus ei fiebat potestas, habendi conciones & administrandi Sacramenta, cæterosque ritus Ecclesiasticos Romano more peragendi, cauitq; ne cui posthac professio Christianismi Sanctique lauacri susceptio fraudi esset. Mahometismum, etsi eo à puero imbutus fuit, postremis tamen annis parum probauit, recordatus Mahometem Prophetam quidem, sed simul hominem fuisse: humanum autem esse errare. cæterum non mirandum, quod in tanto fuerit honore & precio, qui simul Rex extiterit. Et hæc est causa, quod filium suum, qui nostro tempore Indis dominatur, circumcidi noluerit.

Liber Xa-
uerij pro
defensione
Christia-
nismi.

Selimus
Magnus
Mogol A-
thenis.

Ergo filius eius, qui hoc ipso tempore Orientis impetium obrinet, circumcisis non est, neque adeo vlli præ cæteris addictus Religioni, cum ita volente patre in Atheismo educatus sit. Profiteretur se nonnunquam Maurorum probare sectam, Brachmanorum tamen obseruat placita, & tam illorum quam horum festos celebrat dies. Ut autem regni paterni, ita quoque deliriorum paternorum hæres esse videtur, cum se maiorem esse iactet ipso Mahomete, vnde & mira mixtura ex omnibus (sic dictis) religionibus peculiare dogma fabricauit, nec destituitur, ut sit, sectatoribus, ut multi ne cibum quidem capere fas putent, ipso insalutato: & hinc fit, ut singulis diebus ad ortum Solis populo de fenestra se conspiciendum præbeat. Mahometum ipse quidem conuiciis non incesit, gaudet tamen tacite, si eum ab aliis parui fieri audiat. In vniuersum cum ipse tum sectatores eius magno studio cauent, ne verbum proferant, quod in Christi contumeliam vergere possit, nec talia facientes ferunt. Quin & omnia priuilegia, quæ Pater eius Christianis indulsit, confirmauit ipse, additis etiam nouis, multotiesque disputationibus de Religione vsque ad vesperam interfuit. Francisco Corsie Lusitano pueros nonnullos Indi generis tradidit, non tantum ut eos in Hispanica lingua, bonisque litteris & artibus erudiret, sed etiam ut Christianæ fidei fundamentis imbuitos, plenius institueret. Adde quod & Scholam Christianis aperire permisit, in qua duo adolescentes Regio orti genere, ipsiusque Principis ex fratre nepotes instituti, & postea magna solennitate in templo Christianorum, quod in vrbe Agra est, baptizati fuerunt. Quidam hoc fauori in Christianos datum interpretabantur; alii ideo factũ aiebãt, ut pueros nobilissimos in odium & contemptũ apud Mahometistas adduceret: neutri tamen horum scopum diuinando attigerunt. Pueri enim cum adoleuissent, more gentis & Legis Mahometicæ plures sibi mulieres deposcebant. Negantibus hoc Iesuitis, & vnam duntaxat habendã vxorem, eamq; non infidelem, verum Christianã ex lege nostra asseuerãtib; monuit ipse Rex iuuenes, ut à Iesuitis singuli singulas Lusitanici generis vxores peterent. Hæ cum in Iesuitarum potestate constitutæ non essent, offensi iuuenes, simulque odio habentes monogamiam, palam ad Mahometi impietatem re-

Neophiti
reduentes
ad vomi-
tium.

lapsi

lapsi sunt, ut vix vlla Christianismi apud ipsos vestigia extiteriut. Et ut verum fateamur, pauci ibi sunt, qui Christum Dominum legitime & ex animo colunt, præter pauperes quosdam ab Iesuitis aliisque Lusitanis ab seruitute redemptos, qui simul in domo quadam sub Iesuitarum dominio viuunt, vnde satis mirari non possum quorundam vanitatem, qui tot millia Christianorum in illis Orientis partibus reperiri sine vlllo fundamento prodiderunt.

Accidit eodem anno, ut domus Iesuitarum cum vicino Templo fortuito igne correpta prope tota conflagraret; inter ruinas repertum fuit Crucifixi simulacrũ ab igne illæsum. Trahentibus hoc nonnullis admiraculum, Rex, qui disputandi occasionem aucupabatur, vocatum Iesuitam, suam de ea re dicere iussit sententiam, & an ipsi hoc miraculose factum videretur? cũ in affirmatiuam inclinare videretur Iesuita, quanquam satis ambigue responderet: vos quidem, inquit Rex, multi estis in prædicatione miraculorum, quæ Propheta vester Christus patrauit, & vos ipsi eum imitati: sic igitur facite: proiците imaginem Crucifixi vestri in ignem: quæ si à flamma læsa non fuerit, spondeo vobis me vltro nomen Christianismo daturum. Videns rei ambiguam difficultatem Iesuita, negauit fas esse tentare Deum, qui res miras operetur, cum ipsi placuerit, non cum nobis libuerit. Quod si rex ipsum ad ostendendam fidei suæ certitudinem ardentem pyram ingredi iubeat, non recusaturum. Ibi Regis filius Coroones instare Iesuitis, nec iniqui quicquam postulare patrem, quod exigeret miracula ab iis, qui tantopere miracula creparẽt: postremo exigere à Iesuita, ut si in patratione miraculi deficeret, Mahometismum amplecteretur. Ibi interlocutus Rex suscepta Iesuitæ aduersus filium defensionem, nihil id esse necesse pronunciauit, cum nec ipse Mahometum magni faceret.

Disceptatio
super mi-
raculis.

Huic narrationi subiiciemus aliam non minus festiuam. Erat ciui cuidam Bengalensi Simia miræ sagacitatis, ut in ea diuini aliquid latere crederetur. Hanc cũ is ad Aulam adduxisset,

Narratio
de Simia



multa



extrahentes
se fortis.

multa de solertia animalis prædicans: Rex detractum digito anulum subter vestem pueri alicuius, ex numero duodecim qui ibi temere sedebant, absente Simia, occultari iussit. Hinc introductam bestiam, vbinam lateret anulus, percontatus est. At hæc recta puerum illum petens, latentem anulum veste extraxit, Regique reddidit.

Alio quodam die Rex per Brachamanes suos nomina duodecim celeberrimorum Legislatorum diuersis schidiis inscribi iussit, nempe, Thefei, Minois, Rhadamanti, Solonis, Lycurgi, Zaleuci, Platonis, Draconis, Moyfis, Romuli, Mahometi & Christi. Has schedulas confuse in saccum conici præcepit, iussitque Simiam illius nomen extrahere, cuius Legem veram & saluificam existimaret. Hæc nihil morata Christi nomine inscriptum schidion protulit Regique porrexit. Latere fraudis aliquid suspicatus rex, eadem nomina, non vt antea vulgatis Persarum litteris, sed sacris Indicis & in sola Aula vtitatis, inscribi chartulis iussit: ibi Simia nihilo secius quam antea, Christi nomen extraxit. At Nobilis quidam ex familia Aulica, vt ludificaretur animal, vndecim pagellas in saccum tertio coniecit, occultata intra volam manus ea, in qua Christi nomen inscriptum erat, iussitque simiam iterum fortiri. Ibi mirum accidisse ferunt. Simia enim, cum verum nomen ibi non reperiret, extrahere nullum voluit. Cum quo iussu regis vrgeretur, vt proferret schedulam, irata omnes lacerauit: super latente vero charta Nobilem illum adiuit, eumque quod occultauerat nomen, è manu proferre coegit. Magnus regem eo facto cepit stupor, nec minus admirati sunt spectatores, qui ad trium millium hominum instar eo conuenerant.

Pietas filii
in Matrem.

Incredibilis fuit Magni huius Principis in Matrem affectus & pietas, vel hinc colligenda. Vehebatur illa lætica gestatili, à ciuitate Lahorensi ad Agram. Huic obuiam factus Rex filius, desiliens ab equo, læticam ipse humeris subiuit, Principibusque suis & Nobilibus qui sequebantur, vt idem cum studio facerent, imperauit. Neque vero huic petenti vnquam quicquam negauisse filius Rex perhibetur, præter hoc quod sequitur. Volebat mulier vindictæ cupida, vt Sacer Bibliorum Codex ab asini collo suspenderetur, ipse vero asinus hoc pacto ornatus per compita & vicos vrbs verberibus ageretur: intellexerat enim Lusitanos expugnata nauî Æthiopica Alcoranum Mahometi naçtos, de prægrandis Molossi collo suspendisse, canemque virgis exagitauisse. Non est petenti id Matri obsecutus Rex, cum dixit. Lusitanis id factum ignominiam conciliare, qui ob læsum numen pœnas effugituri non essent: sibi vero nequaquam decorum fore, si de innocenti & nihil sentiente libro pœnas Lusitanis debitas exigeret.

Regium
dictum.

Apostatas & à Religione patria temere desciscientes cane peius & angue odisse solet Rex iste. Armenius quidam, qui ante fidem Christi professus fuerat, dixit se Mahometismi amplectendi cupiditate teneri, nobilemq; Aulicum, vt id regi significaret, rogauit. Rex vocatū ad se Armenium interrogat, faceretne id lucri aut dignitatis adipiscendæ gratia? Negat vtrūque Armenius, sed se salutis suæ rationem eo facto habere responderet. Probauit Rex desiderium hominis. Cū autem paucis interiectis diebus porrecto libello supplice nescio quam luculentā conditione peteret, ibi rex: cum tua sponte animæ tuæ consulueris, æquum est vt etiā corpori consulas. Vocauerat ad se Rex Armenium quendam, qui à Iesuitis ad fidem Christi conuersus fuerat, ei que obiecerat, videri sibi plerosque nouitios Christianos turpis lucri gratia Mahometismum abiicisse. Cui Armenius: non procul esse arcessenda in contrariam partem testimonia, ait, se enim in seruo suo experimentum daturum, Christianis potiore esse curam æternæ salutis quam opum diuitiarumque. Adductum igitur seruum dicere iussit Rex, quibus motus rationibus Christianam doctrinam amplexus fuisset? vbi quæ visa fuerunt, dixisset seruus, tentat rex eum promissis muneribus à suscepto Christianismo dimouere: pollicitus cum magnis opibus dignitates præcipuas. His famulus contemptis ita respondit, vt quemadmodū se non amore diuitiarum Christianum factum diceret, ita neque spe lucri desertorem futurum. Rex ad pistrinum se eum rapturum, tortoribusque lacerandum daturum, nisi Christum negauisset, minatur. Pariturum se Regis imperiis profiteretur miser, in accepta Religione constantiam præstiturum. Non indelectatus hominis perseverantia Rex, cū eum ob animi firmitatē laudauisset, thesauris insuper prouentibusque annuis donauit. Tertio mense post, cū Rex in venatione Aprum venabulo confecisset, nec Mahometana lex permittat, aprugna vel suilla carne vesci, Aprum illum se Armenio illi Christiano donare dixit. Misit hic seruum suum, cuius iam ante laudauimus constantiam, vt eum domum suam deportaret. Sublatum in humeros aprum cum ita baiularet seruus, à Mauris porcorum hostibus per toram viam irrisus contumeliosque affectus est, donec & his & pondere fessus, bestiam in vicinam foueā abiecit. Hoc intellectu, Rex, vocatum seruum grauitè increpuit, quod intempetium pudorem Christiani-

Elusus
Apostata.

Constantia
seruuli
in Fide
Christi.

Christianæ Legis libertati, quæ discrimen istud ciborum non agnoscit, prætulisset, vnde leuitatem illius, qui tantillum opprobrium ferre non potuerit, incusans, reuocari ab eo omnia dona iussit, insuperque centum verberibus affici.

CAPVT XII.

PERIOCHE.

Error Cosmographorum in describendis finibus Imperii Indici. Fruges, animalia & fructus huius regni variores.

Non possum hoc loco facere, quin accusem quorundam Cosmographorum nostri temporis oscitantiam, qui Imperium Magni Mogol cum Sinarum, siue (vt hodie vocantur) Chinesium regno coherere prodiderunt, cum multæ variæque intercedant nationes, multæque ac ingentes prouinciæ, vt inferius patebit. Nec plus excusationis meretur eorum error, qui Indum fluuium in Sinum Cambaiensem irumpere, ibique suas cum Oceano miscere vndas autamant, cum Ostium amplissimi illius fluminis multo magis in Occidentem vergat, vbi Sindæ regnum est. cuius rei hæc est euidentissima ratio, quod Laborenses ad Sindæ regnum nauigiis secundo fluuio deuchi solent, ad Cambaiam autem terrestri itinere proficiscuntur. Cum autem de amplitudine huius imperii, de que finibus eius in superioribus satis prolixè egerimus, recitatis præcipuis eius prouinciis, vt bibus, Emporiis: nunc de fertilitate soli aliquid dicemus.

Igitur pleraque huius regni agrum habent frumenti omnis generis feracissimum, abundantem tritico, oriza, hordeo, farre & leguminibus. Triticum nostrati pene par, nisi quod granum eius speciosius est, & intus candidius, vnde panem conficiunt quouis pane meliorē. Coquunt & placentas ac dulciaria, imponuntque eas craticulis ferreis, subiecto carbone. Butyri insuper, casei & lacticiniorum hic magna copia, cum vaccis, ouibus caprisque tota abundet regio. Bubali insuper hic frequentes, quibus pellis sine pilo, glabra & læuis. Caro iis velut bobus, feminae etiam lac vberibus fundunt. Ceruorum hic in Syluis nemoribusque affatim, & leporum, nec non piscium & volatiliū insignis vbertas, in primis perdicum attragemumque, quanquam altitia, anseres, columbæ, anates & omne gallinarum genus vix vllibi terrarum maiore copia inueniri credantur. Vnde magna carnis vilitas, vt viderim ibi agnum vel etiam ouem decem nummis Anglicis, octo gallinas tantidem vendi, leporem nummis quinque eodemque precio tres perdices, vnde de cæteris coniectura fieri potest. Nec desunt ad condimentum horum ciborum aromata, nec sal, neque saccharum, cum singulas sacchari libras binis assibus vendi viderim.

Quid iam deinceps de fructibus arboreis dicemus, aliisque qui humi nascuntur? Poma enim Granata, aurata, limonia, ficus & dactyli hic in nullo prope habita sunt precio. Palmae ficumque hic horti pleni, & Platanones frequentes, malus insuper punica & Armeniaca, aliæque arbores suauissimorum fructuum feraces. In partibus tamen septentrionalibus pomorum & pyrorum maior prouentus, vt & olerum aliarumque bonarum herbarum. In Meridionalibus Gingiber crescit propemodum temere per agros. Porus apud has gentes delicatior Indorum lingua Tatti appellatur, estque succus arboris cuiusdam altæ & rectissimæ quæ ramis destituitur vsque ad summum cacumen. Incisuris hæc quibusdam extillantem liquorem illum de nocte fundit, albo vino nostrati non multum absimilem. Si mane bibatur, lapidus est & vini saporem refert: si vsque ad vesperam seruetur, vapescit.

Iuxta Saratum & Agram nisi certo quodam anni tempore vix vnquam plui, tamenpe cum Sol Tropicum capricorni petit, continuantibus imbribus, donec is ad æquatorem red- eat: tunc enim effusi cadunt imbres cum tempestatibus, tonitruis fulminibusque, tribus integris mensibus, magis tamen de nocte quam interdiu. Aliquando per quartam Lunæ sine intermissione pluit: qua inudatione, cum summi calores eam sequantur, terra excocta supra modum fertilis redditur. quin imo etiam in sabulosis locis, vbi humus arenæ sterilitate damnata videtur, superuenientibus pluuiis septem dierum spacio terra viridi pallio amicitur. Bobus ad aratrum iunctis terram colunt, quæ commissa semina largo cum fœnore refundit. Maio & Iunio mensibus sementem faciunt, Nouembri vero & Decembri metunt. Fœni apud illos neque ratio nota nec vsus, cum per integrum annum recenti vtantur gramine. Est & iis serendi plantandi; Tabaci modus cognitus, quanquam non tam frequens hic quam apud populos Occidentalis Indiæ vsus.

E

De Ar.

Errores
Geographorum.

Fruges

& Animalia.

Fructus
apud Indos
præstantissimi.

Agricul-
tura ratio.

E
De Ar.



*Arbores
exotica no-
bis igno-
ra*

De Arboribus, quæ etiam nostris per Europam notæ sunt, superius aliquid diximus: præter hæc sunt etiam aliæ, nostratibus multum dissimiles, interq; eas quædam, quæ humore succoq; plenæ, latissima habent folia, ad scuti Indici instar. Tamarindi hic frequentes, fructum ferentes cuiusmodi fere sunt fabæ siliquis inclusæ, huius usus est ad refrigerandum purgandumque sanguinem. Inprimis autem Arboris Indicæ mira est natura, demittit hæc ab summo ramusculos pendulos magna copia, qui ubi terram contigerunt, radices agunt, sursumq; crescunt, ut ad eum modum vnica arbor occupato latissimo spacio totum nemus constituat.

Qua in Austrum extenditur India, ob calorem assiduum & humus & arbores perpetuo virent, odorata tamen plantæ & frutices rariores, cum præter rosas & duos tresue diuersi generis flores vix quicquam quod nares fragrantia delectare possit, ibi viderim.

*Flumina
in hoc re-
gno.*

Irrigatur Regnum Magni Mogol fluminibus nobilissimis maximisque, inter quæ Ganges & Indus facile principatum obtinent, compertumque est poculum vnum aquæ ex Gange hausta vna vnica leuius esse, si trutinerur, quam vlla alia aqua: & hæc causa est, ut ea Magnus ille Rex, & non alia vtatur, sed semper eam præsto habeat. Fontium riuorumque inire numerum ociosi hominis esset: stagna tamen digniora sunt siue lacus vastissimi, syluis nemoribusque fere cincti, estque nonnullorum ea amplitudo, ut aliquot miliaria circuitu suo cõplectantur. Minores lacus per hyemem iugibus pluuiis ita implentur, ut vel intensissimo æstu Indis, quibus fere alius præter aquam potus non est, seruiant sufficientique ad aquationem. Aquam eos duntaxat bibere cum dico, de vilioris conditionis hominibus loquor, lautiores enim factitio vtuntur vino, quod ipsi *Raak* vocant, è saccharo & cortice arboris cuiusdam decocto, quod quidem si modice sumatur, insalubre non est, largius haustum offendit ventriculum. Vinum natiuum etiam habent, multi tamen ex lege Mahometi ab illo abstinent, eius loco decoctum haurientes liquorem, cui *Cocha* nomen indunt, qui licet saporis grati non sit, concoctionem tamen adiuuat, spiritus acuit sanguinemque purgat.

*Ædificia
Indorum
qualia.*

Domus Indorum vulgo humiles vilesq; sunt: quanquam in maioribus ciuitatibus ædificia viderim artificiose structa, in his domus sunt aliquot tabulatis in altum assurgentes, recto lato & leniter decliui, patentibus receptaculis per quæ ventus nocturnus excipitur. Caminos in ædib. vidi nullos, cum alius quam ad coquenda cibaria eius usus vulgo non sit. Cumque multis pateant cænacula cubiculaque eorum fenestris ad recipiendum acie, vitreis tamen valuis non vtuntur. Materia ædificiorum præcipua constat lapidibus scætis & latetibus. Ante domus, tam in vrbibus quam pagis, plantatæ sunt arbores ad præbendam in immenso æstu vmbra, estque earum tanta copia, ut qui ciuitatem aliquam procul intueatur, syluam nemusue se videre putet.

*Mercatura
genera.*

Præcipuum in multis oppidis est mercaturæ genus, quod colore siue pigmento cæruleo, Indico ob id dicto, & Gossypio exercetur, ex qua posteriore innumeræ telæ Xylinae apud eos texuntur, aliæ quidè teneriores, aliæ sili crassioris. Præter hæc omnia serici hic inuenitur plurimum, ex qua materia preciosas vestes intextis filis aureis argenteisque conficere nouerunt, nec non holoserica & subserica stragula & aulæa variegata.

Metalla

Metallifodinis nequaquam hæc Orientis pars destituitur; argentum enim in aliquibus locis effodiunt, plumbum vero, ferrum & æs cyprium in multis. Aromata rariores, quanquam in his regionibus non proueniant, ex insulis tamen Moluccis, Iaua & Sumatra, quantum volunt adipiscuntur. Hortorum & viridariorum ad delectationem nullibi maior amenitas, aut copia quam hic, arboribus pulcherrimo ordine constitis, & intercedentibus fontibus riuulisque, qui postmodum in Aquæductus collecti alio deriuantur, ut naturæ hic & artis certamen agnoscere possis.

Equi

Præter equos peregrini generis, quos ex Arabia, Perside & Scythia nanciscuntur, habent Indi equos optimos domi natos, quos apprime instituere atque regere nouerunt, Anglicanis non minores, neque pol minoris precii. His curandis ingens impendunt studium, singulisq; singulos seruos adhibent. Pabulum eorum non tam auena & ordeum, quam certum leguminis genus quod ipsi *Donnam* vocant, fabis minoribus non absimile. Hoc, quia durius est, aqua clixant, ditiores etiam saccharum inspergunt, equosque exhibito butyro purgari affirmant. Cætera animalia hæc fere sunt: Cameli, Dromades, Muli, Asini, & his quidem iumentis vtuntur, Rhinocerotus vero ad oblectationem alunt. Elephantorum in his omnibus regionibus vis ingens, cum Rex in suos duntaxat usus mille & quadringentos alat: Principes vero & proceres Aulæ, singuli pro loco dignitatis suæ, quam à rege obrinent, & alii quidè centenos, alii vero quinquagenos, & sic deinceps. Propius hoc tam vastum animal ad rationem humanam accedere creditur, quã vllum aliud sub Sole. Corpore est ingenti, meminiq; me videre vnum, qui quindecim pedes altus erat, sed hæc proceritas rarior est. Cutis iis densa, sine pilis,

*Elephanti
plurimi.
Natura E-
lephantorum.*

mirum

mirum aquarum desiderium, cum frequenter fluminibus lauari gaudeant, etiam natandi periri. Adeo dociles sunt, ut non tantum magistri intelligant verba sed & exsequantur imperia. Iussi enim alicui peregrino terrorè incutere, horrendum barritum cient, & omnia dira gestibus minantur, mox verso in hilaritatem vultu blandiuntur. Mandante Custode vt aliquem conspuant scædentque, aqua obsæna & limosa proboscidem implent, & eum perfundunt conspuuntque. Iussus Elephas reum mortis celeriter trucidare, prostratum humi vno ictu pedis conterit. Sin lento mortis genere eum perdere debet, paulatim ossa miseri confringit. Vnum duntaxat subiiciam exemplum, è quo belluæ huius sagax memoria colligi possit. Vendeat mulier quædam in foro olitorio herbas & olera. Hæc transeunti Elephantum cum magistro suo subinde manipulum olerum porrigebat. Tempus erat cū Elephantus furor incessit (agitantur enim quotannis oestro venereo in insaniam) & Elephantus furibundus per forū discurrebat, ruperat enim obiices & vincula. Fugientibus omnibus à foro, mulier quoq; olitoria aufugit relicto præ trepidatione inter herbarum fasciculos infante. Delatus more suo ad olera fatiosus amator, memor adhuc inter ipsius insaniam raptus acceptorum beneficiorum, conspecto puero, velut mirabundus, sistit gradum. Deinde blandissimo contactu puerum è terra sublatus, caute & ne quo pacto offenderet misellum, in locum altiore ac proinde tutiorem deponit, & porro in furioso suo cursu pergit. Non esset hoc adeo mirandum, nisi bellua furiosa fuisset: quo tempore genus hoc nec equis neque camelis aliisque animalibus, sed ne Magistro quidem suo aliquando parcat.

CAPVT XIII.

PERIOCHE.

*Natura, Religio, Mores & Consuetudines incolarum huius
partis Orientalis.*

INDI qui etiam antiquissimis temporibus dicti fuerunt, nostro æuo *Indostani* vocantur, quo tamen nouo nomine ij tantum, qui intra Gangem & Indum fluuios incolunt, proprie intelliguntur. Brachmanorum, Pythagæorumque placita & Ethnicorum ritus hi olim secuti, postremo cum à Tamerlane Scythia subacti fuissent, Mahometi paulisper susceperunt dogma. Versantur autem inter ipsos Indos innumeri Persæ, Tartari, Armeniæque gentes Asiaticæ vt & plurimi Æthiopes & Abexini ex intima Africa. Iudæi quoque hic reperiuntur, sed nomen eorum probrosum est.

Statura corporis Indis qualis nostris per Europam hominibus, licet vulgo proceriores sint: recto corpore plerique omnes, cum vix vnum alterumue in tam numerosa gente gibbosum aut distortum viderim. Color iis fuscus, capillitium non crispum, vt Æthiopibus, sed rectum & tenue. Color corporis albus apud ipsos in contemptu habetur. Radunt Mahometani mentum, mystacem in superiori labro alentes. caput circum verticem radunt, in medio cincinnos longiores relinquentes scilicet vt eos Mahometus arreptos in cælum capillis eleuare queat.

Vestimenta vulgi, tam virilia quam muliebria ex gossypio faciunt, nec multum ratione formæ in iis differentia. Thorax à ceruice ad vmbilicum vsque corpus strictè amplectitur, hinc se spargit in sinus, demittiturque togæ instar vsque ad pedes. Calceorum iis domi usus nullus, cum prodire foras volunt, pedibus eos induunt, interiora enim domus, non solum parietes sed & pauimenta, aulæis stragulisque cooperiuntur, quibus insident & inambulant. Salutantes se inuicem non aperiunt capita, sed inflexo corpore, primam manu terram, deinde frontem tangunt: verum hæc inferiorum est salutationis ratio, cum potentiores obuios habent. Inter æquales moris est, vt alter alterius mentum dextera contingat, additis boni fastique omnis verbis. Fæminæ (exceptis pauperibus & impudicis, quæ corpora prostituunt) extra limina domus raro progrediuntur, forma faciei illis non inuenusta, etsi fusca: summum caput velo vincunt, capillos per humeros spargentes. Quæ lautiores cum fortuna sunt, gemmis lapillisque plurimis ornantur, & ab naso auriculisque vniones præstantissimos dependentes habent. Partus Indicis mulieribus facilis & expeditus, si cum nostris conferatur. Vidi quandam grauidam partuiq; vicinã equo alacriter vehi, eandemq; postero die circa vesperam cum infantulo in vlnis eundem conscendere equum. fuerat enim præcedente nocte enixa.

Vulgatum Indorum horum idioma facile est, loquela expedita, quam more cæterorum Orientalium ita scribunt, vt à dextra manu versus sinistram progrediantur. Lautiores & Aulæ

comitiua fere Persica & Arabica loquuntur lingua. Litterarum scientiarumque rudes non sunt, etsi paucos habent libros, eosque manu scriptos. Aristorelis pleraque scripta in suam couersa linguam habent, plurimique faciunt Auicennam, quod Samarcandæ in Tamerlanis patria natus fuerit, quanquam alii eum in Boccara siue Baëtris genitum affirmant: huic omnem medicandi debent scientiam. Egrotudinibus enim corripuntur, in primis dysenteria aliisque hæmorrhagiis, ut & febribus ardentibus, quas longo ieiunio subtracta materia pabuli, curare nouerunt. Præter hoc malum inter ipsos non infrequens est Lues venerea siue scabies illa Indica.

Musci & Astrologi.

Musices plerique valde studiosi sunt, delectanturque harmonico concentu & canoris instrumentis: historiamque suas carminibus patrio ritu describunt. Astrologia ad superstitionem usque dediti sunt, adeo, ut vix vnquam quicquam Rex auspicetur, nisi consultis Astrologis, quibus probantibus auspicia, exequitur cogitata. Annū, ut omnes Mahometistæ, mense Martio ab æquinoctio verno auspicantur, quo tempore nouendiale festum celebrant, ut superius diximus.

Vinendi ratio in Aula.

Palatium Regium, quod *Mandoæ* est, celeberrimum amplissimumque omnium eorum est, quæ in his oris vidi, fornicibus columnisque affabre structum. In Regia apud *Agram* duæ assurgunt turres, puro coopertæ auro, quamuis minor decem pedum diametrum habeat, Regiam ingredi, præter mulieres, Eunuchos, & pueros quosdam, quibus ad auersam venerem abutitur Rex, nulli mortalium fas est. Prædenti cænantie regi, fercula per Eunuchos in discis siue lancibus aureis contectis obsignatisque inferuntur; non ignari sunt artis Apicianæ, cum carnes omnis generis, in primis ferinam, lapidissimis condimentis ad irritamenta gulæ aptare nouerint, ut credam hoc edulii genere Iacobum Isaaco patri benedictionem Esauo fratri præreptam eblanditum fuisse: vix enim quicquam suauius comedi.

Diuersorum frigidum & inops.

Diuerforia hic Tabernæque publicas frustra quæsieris, exceptis magnis vrbibus, in quibus sunt amplæ quædam domus, vbi tamen præter tectum & nudos parietes viator quo fruatur nihil inueniet: lectum, instrumenta, cocta cibaria, pabulum pro iumentis vel ipse afferat necesse est, vel aliunde conquirat. Iumentis enim crebro vtuntur, facientes iter, equis, mulis, dromadibus & camelis: quin & bigas ad currum iungunt, duabus solummodo rotis instructum, & ab summo ad vitandum æstum coopertum. Nobiliores Elephantis superbe exornatis vehuntur, vel in sella gestatoria aut lectica conopæo cooperta portantur, more Italico, ut huic referre possis illud Iuuenalis:

Causidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso -----

Venatio & Aucupium.

Præcipuum oblectationis apud Indos genus in venatione ceruorum, leporum & capreolorum consistit. Canes venaticos habent, quamuis non multos, eosque humiliores nostratibus & corpore tenuiori. Pantherarum in super & Leopardorum opera in captandis feris vtuntur, quæ bestia tanta sunt celeritate, ut oblatam prædam vno alteroue saltu assequantur. In captandis alitibus aquatilibus solerti vtuntur artificio. Auem vnâ eius generis, cui struunt insidias, ita conformant aptantque, ut quanquam simulacrum sit, verus tamen ales videatur. Fictitiam hanc auem applicat faciei auceps, seque totum aquæ immergit extante tantum naso & ore, ut spiritum attrahat. Accedentes propius ad falsam illam sociam alites, latens sub aquis insidiator, repente pedibus corripit capitque.

Sagittandi peritia incredibilis.

In arte sagittandi insignem ostendunt peritiam, cum auem in aere volantem velut destinatam metam certo ictu feriant. Arcus iis ex cornibus bubali artificiose inter se contextis: sagittæ ex arundinibus ab summo acuto ferro munitis.

Tempus domi, cum ociosi sunt, fallunt astragalismo, chartisque lusoriis vel depictis tabellis. Scurrarum apud eos est histriionumque affatim, qui variis iocis diceriisque potantibus delicias faciunt, cum nobiliores interdiu sole omnia exurente, raro in publicum prodire soleant. quin & eo tempore, cum in sellis lecticisque coopertis gestantur, semper adest seruus, qui lato umbone coriaceo, quem subinde concutit vibratque, ventulum æstuantibus afflat.

bestia carniuora & truces.

In ea huius regni parte, quæ magis in Austrum vergit, Simiarum albicantium magna est copia, ea quidem magnitudine, ut canibus venatoriis minores non sint, aliquando etiam altiores crassioresque. Cum his certant auiculæ astutia, gnaræ enim Simias insidiari pullis suis, nidos suos in tenuissimorum ramorum extremitatibus veluti pendulos construunt, quo firmæ ob corporis pondus accedere non audent, proposito certo præcipitio. Inueniuntur & hic multæ bestia carniuora & rapaces: Leones, Tygres, vulpes, canes feri & erratici instar luporum sæuientes, aliaque animalia noxia: ut iam de serpentibus draconibusque varii generis taceamus. Intra tecta periculum ipsis est à Scorpionibus, quorum ictus lethales sunt, nisi illito oleo vis veneni retundatur. Interdiu cum muscis, de nocte cum culicibus luctantur, accedentibus muribus domesticis, quæ omnia somnos frequenter rumpunt. Aprilis, Maio, Iu-

nio

nio mensibus, adeo solari æstu omnia feruent, ut nisi iucundi ventorum flatus flagrantem illum feruorem diluerent, ferri omnino non posset.

Summam fidem & promptum Indorum erga peregrinos, à quibus conducti sunt, obsequium, nemo satis digne laudauerit. Hos enim iter facientes cum scuto, arcu & sagittis sequuntur, ad sanguinis vitæque iacturam pro iis depugnare parati: neque sane magno emittitur eorum opera precio, cum duobus fere florenis mensuris contenti sint. Tanta insuper est Indorum in parentes pietas, ut iis egentibus omnia liberaliter subministrant, etiam ultra facultatum suarum modum captiuæ, etiam si sciant sibi ipsis deinde egendum esse.

Arms & Instrumentis bellicis vtuntur minime contemnendis. Tormenta habent *Arma & instrumenta bellica.* maiora ex metallo partim mixto fusa, partim è ferro. Magnam insuper multitudinem tormentorum minorum, longitudine sex pedum, quæ Elephantis baiulanda imponunt. Pulueris pyrii apparatus ingens, & funicularum ad concipiendum ignem, nec non Musquetarum, ut nostri vocant, quas satis dextre tractare nouerunt. Cætera arma sunt lancea, gladius, scutum, arcus cum pharetra sagittis plena. Gladios ad uncas incuruosque iure harpas appellare possis, acutissimi ii sunt, sed temperamento in ea duritie destituti, ut flecti nequaquam possint, sed rampantur. Equitis armatura, uti ego quidem vidi, hæc est. Acinace latus munitur, ab altero latere equi dependet arcus cum pharetra, in dorso fert sclopetum alligatum, è genere leuiori. Ceruix & humeri scuto teguntur: caput galea munitum est: dextra præfert haltam equestrem, sinistra equum regit.

Templa Mahometistarum tota ex lapidibus fabrica eruditissima structa sunt, fornicata & columnis subnixa: ipsi *Mesquitas* appellant. Latus quod in occidentem vergit, muro præstruitur, orientale vero columnis innixum peruiumque est, ut longitudo eorum ab Austro in Arctum protendatur. In angulis Templorum, quæ in vrbibus visuntur, assurgunt modicæ turres cum pinnaculis: has aliquoties interdiu conscendunt sacerdotes, atque inde magno sublato clamore hæc verba Arabica lingua pronunciant: *La Illa è Allala, Mahomet Resul Alla*, quorum hic est sensus: *Deum non nisi vnum Deum esse, & Mahometum Prophetam Dei.* Hic boatus illis campanarum vicem præstat, quas Lex Mahometi non fert. Accidit anno A.N.C. MDCXVI. vt mercator quidam Anglus, nomine *Koriat*, clamorem illum ægre ferens, & ipse alius turris pinnaculum, è regione vociferans sacerdotis, conscenderit, altaque voce proclamauerit: *La Illa è Ilala, Nazaret Ecça Eben Alla. Non est nisi vnus Deus & Christus filius Dei.* Hoc si apud Mauros Turcaque aut alias gentes, quæ maiore feruore Mahometi legem colunt, fecisset, procul dubio atrocissimo mortis genere necatus perisset. Verum apud Indos (vt supra diximus) licet impune impostorem illum contemnere.

Templa Mahometanorum.

Irrisus sacerdos Mahometanus ab Anglo.

Qui nobiliores sunt inter Mohometi asseclas, fere dum viuunt, sepulcra sibi construunt, *Sepulchra.* in quæ & luorum corpora inferri volunt. Hæc monumenta, quæ spacium satis magnum complectuntur, muro valido cingunt, operam dantes, ut iuxta vel scaturigo fontis vel stagnantis aquæ lacus sit ad ablutiones, nec non arbores, magno studio illic plantatæ. Hic defunctorum tumulantur cadauera, neque vt apud nos sit, in templis porticibusque sepeliuntur. Hæc monumenta apud ipsos sacrosancta sunt, ad quæ quotannis magna cum deuotione peregrinationes instituunt, tumuloque donis verbenisque exornant. Omnium autem Monumentorum splendorem multis parafangis superat Mausolæum Echebati, qui ante Selimū regnauit, quod duobus ab Agra vrbe milliaribus etiamnum viuus struxit, & in quo corpus eius sepultum est. sed de hoc in superioribus satis multa commemorauimus.

Sacerdotes eorum, (quos ipsi Mooloës vocant) potissimum tempus in diuinis negociis templisque consumunt. In habitu corporis & amictu à cæteris vix quicquam differunt. vxores habere eis licet, quanquam qui se ex Mahometi progenie originem trahere gloriantur, & ob id austeriorem vitam viuunt, à matrimonio abstineant, meditationibus & speculationibus instar Monachorum perpetuo dediti. Sacerdotes neque sacras lectiones neque conciones in templis habent, preculas duntaxat certas determinatis horis Arabica lingua & populo ignota demurmurantes, easque subinde repetentes, & quidem ad globulorum numerum, vt multis locis per Europam fit. Ingressuri loca sancta calceos pedibus detrahunt; precaturi oculos claudunt & aures digitis obstruunt, ne alienis turbentur cogitationibus. Orantes submissa vtuntur voce, Æternitatem, Omnipotentiam, Sapientiam Dei subinde nominantes, suamque deplorantes indignitatem. Quinquies fere posthabitis omnibus negociis templum oraturi ingrediuntur: & ante meridiem quidem sextam, nonam & vndecimam; pomeridiano vero tempore, tertiam & iterum sextam horam obseruant.

Sacerdotes apud Indos quales.

Frequentes in precibus Mahometista.

Mira horum hominum in cibo potuque continentia. Celerius mortem acerbissimam subiuerit, quam quispiam de prohibitis in Lege Mahometi quicquam gustauerit, sed ne licitis quidem reb.

E 3

nisi



nisi temperanter & sobrie, ad efficiendas vires naturæ vtuntur. Ebrietatem ita oderunt, vt ab infania nihil differre credant, vnde Ebrum & Furiosum eodem appellant nomine, suaque lingua vtrunque *Mesto* vocant.

Ieiunia Indorum.

Ieiunium statum & solenne Augusto mense quotannis ipsis recurrit, quo tempore qui adstrictioris disciplinae sunt, vsque ad occasum Solis ab omni penitus cibo potuq; abstinere. Sepulto die, bibunt comeduntq; quantum libet. Aiunt autem se in memoriam defunctorum amicorum, quorum grata apud posteros est recordatio, ieiunare, vnde multi horrendos tollunt eiulatus, & appetente nocte magnam lampadum vim accendunt, nec nisi exhaustis iis consumtisque cibum capiunt. Finito ieiunio illustriores Mahometistæ Templum aliquod siue Mesquitam adeunt, & Moolen quendam siue Sacerdotem precio conducunt, qui in eorum gratiam caput vnum atque alterum ex Alcorano prælegat, & sic se omnibus sacris perfunctos arbitrantur.

Festum Arietis apud Indos.

Nouembri Mense festum aliquod celebrant, quod ipsi *Buccare*, id est, Arietem vocant, in memoriam illius Arietis, qui succidanea factus est victima pro Isaaco, quem mactaturus fuit Abrahamus pater, quo festo & ipsi Arietes iugulant. Habent enim libros Moysi, quem ipsi *Moosa Carym Alla*, id est, *Mosen iustum illum Dei*, appellant: Abrahamum vero *Ibrahim Calim Alla*, id est, fidelem Dei, cæterosque in populo Dei viros sanctos peculiaribus ornant eulogiis. Nemo inter eos, nisi sit ex ima face plebis, indignum de Christo Seruatore verbum profert, sed eum Christum Dominum semper appellant, eumque fuisse virum bonum, iustum, peccati expertem & mirabilium patratorem agnoscunt. Fuisse autem filium Dei, neque credere se posse, neque vero animo concipere. Ad hunc modum cum de Christo Mahometani sentiant mirandum est, eos à Christianis vt impuris hominibus ita abhorre, vt ne cibum quidem cum ipsis capiant. De Deruisis aliisque apud Turcas, Indos, omnesque Mahometistas in vniuersum Monachis, vt & de cæteris earum gentium superstitionibus, cum multi ante nos copiose scripserint, pedem hic figemus, ad alia transituri.

CAPVT XIV.

De Gentiliis apud Indos Sectis, opinionibus, ritibus, festis, ceremoniis, sacerdotibus.

Gentilibus Ethnicisque apud Orientales Indos permixtos Mahometistas passim colere in superioribus diximus. Cum autem de his iam satis fuisse egerimus, etiam de illorum superstitionibus deinceps dicemus. Nominabimus autem Gentiles siue Ethnicos omnes eos qui neque doctrinam Christianam, neque Iudæorum aut Mahometi placita sequuntur, sed peculiare quid ac diuersum ab omnibus illis sentiunt. Ingens horum varietas & discrepantia, cum in sectas siue opiniones LXXXIV. scindantur, quas omnes hoc loco commemorare longum foret, præcipuas igitur nominasse suffecerit.

Gentiles qui hoc loco.

Bramini quales sacerdotes.

Igitur primarii sacerdotes eorum in vniuersum *Brachmanes* siue *Bramini* vocitantur, quorum plerorumque is est stupor & ignorantia, vt ne ipsi quidem sciant, quid sentiant. Templum habent exigua vel ædículas potius, in quibus quod latet Idolum, *Pagodem* ipsi appellant: cui quidem Idolo horrenda species est & formidabilis. Alii campos Elysiacos somniant, ad quos per Styga & Acheruntem fluuios eundem sit, vt ibi transacto aliquo tempore animæ defunctorum noua induant corpora. Tertii mundum hunc adeoque totum hoc vniuersum breui renouatum iri credunt, & iam nouum cælum nouamq; terram animis præconciipiunt. Braminorum nonnulli vnum fatentur Deum, quem mille oculis, totidemque manibus ac pedibus præditum aiunt, puto ad innuendam illius prouidentiam & potentiam, si quidem ita sentiunt. Hanc opinionem se ab Propheta suo *Ram*, qui ante VI. annorum millia vixit, accepisse gloriantur, qui & illud memoriæ prodiderit: septem esse Orbem cælestes, & supra hos omnes Deum sibi constituisse solium suum, vnde rerum sublunarium curam ad ipsum non pertingere. Hunc tamen ipsum Deum certo includunt loco, eumq; substantiæ visibilis esse autumant. Dæmones catenis vinctos coerceri, ne pro malitia sua nocere possint. De Adamo primo nostro parente tam stultas narrant fabulas, vt eas ob absurditatem ne tangere quidem velimus. Sacerdotalis dignitas, vt olim apud Iudæos, hæreditaria apud Indos est: soli enim Braminorum filii ad sacerdotium aspirare possunt, legitque quisque eorum sibi ex eadem tribu vxorem.

Coniugium parile apud Indos.

Sed & ea matrimoniorum parilitas apud cæteros quoq; obseruatur: verbi gratia Mercator mercatoris filiam ducit, opificis opifex, rusticus rusticanam puellam sibi iungit, qua ratione fit, vt omnes intra status conditionisque limites consistant. Vxoribus singuli singulis contenti sunt, nec in vnius illius consortio tanta Zelotypia laborant, quam Maho-

Mahometani in illa multitudine: Braminorum enim vxoribus foras prodire, aliquando etiã peregre proficisci incultoditis licet, à qua libertate Mahometanæ procul arcentur. Contra-huntur autem sponsalia inter septemnes fere, pronubis parentibus, quorum deinde liberi, si decimum quartum attingere annum, conficiunt nuptias.

Habitu corporis & vestitu à Mahometanis parum differunt, nisi quod Gentilium mulieres annulos digitis pedum inserunt, ob quam etiam causam nudis pedibus incedunt. armillis quoque aureis argenteisque, pro captu facultatum cuiusque, lacertos & crura cingunt, quem morem etiam Iudaicis mulieribus familiarem fuisse, ex Isaia Prophetae tertio capite quis conicere possit.

Faminiæ pariter ac viri singulis diebus mane corpus abluunt laucris illis internam animi munditiem argui existimantes, imitati in hoc Pharisæos illos apud Euangelistam. Accedit alia ratio, quod diuini aliquid habere fluuios, inprimisque Gangem arbitrantur, cui & sacrificia statis temporibus offerunt, aurum, argentum, gemmas, aliasque res preciosas in aquam proicientes. Oblatis his donis, insipientes in fluuium abluunt se, cui lotioni etiam varias admiscunt ceremonias.

De resurrectione carnis loquentem ne audiunt quidem, vnde & corpora mortuorum flammis absumunt. Vidua, mortuo marito, ad secunda vota non transit, sed crinibus abscissis in perpetuo luctu vitam solitariam degit: hinc multæ perosæ miserum hoc vitæ genus, spontanea morte id præueniunt, insipientesque in rogos vna cum maritis concremantur: quo quidem honore maior contingere mulieri non potest, vt ante nos multi memoriæ prodiderunt. Simile prope refert de Iudæis Propheta, Molocho liberos suos exurentibus.

Sunt autem hi Indi Gentiles corpore quidem laboris patienti, ingenio vero viuido. Nã & agri colendi optimam no vere rationem, & artificii magis feliciusque intenti sunt quam Mahometistæ, quos crassioris indolis esse ob voluptates quibus immergi sunt, satis constat, adeo vt & inter illos pictores non absurdi reperiantur. Ab omni animalis mactatione, & escu carnis in vniuersum abstinere, contenti herbis, oleribus, fructibus, pane, lacte, butyro, caseo, aromatibus, inprimis gingeris vsu, quod tam viride quam conditum saccharo comedunt. Quidam tamen pisces in cibum admittunt: cumque nonnulli aliam atque aliam alii carnem comedant, à bubula tamen vniuersi abstinere, cum boues vaccas nescio qua superstitione pluris faciunt quam omnia animalia cætera.

Qui inter eos *Baniiani* dicuntur, Metempsychosin, id est transiitionem animæ devno corpore in aliud tenacissime retinent, fideles Pythagoræ discipuli, & bonorum quidem hominum animas bouum vaccarumque intrare corpora: facinorosorum vero in simiarum, porcorum leonum, serpentumque migrate pelles. Animal hi omnino nullum, ne muscam quidem aut pulicem occidunt, sed ne serpentem quidem quantumuis noxium interficere sustinent, quod humanas in iis latere animas credunt, quas ante tempus nefas sit expellere.

Benefici hi supra modum sunt & liberales, etiam in peregrinos, cum in tanto regionum illarum æstu & feruore solis magno labore fontes aut lacustris aquæ receptacula iuxta vias publicas effodiant, magno viatorum bono, qui aliquando cum iumentis suis siti essent perituri. Diem Iouis hi sacrum, vt Mahometistæ diem Veneris feriatum habent. Religiosas peregrinationes multas instituunt, inprimis ad *Negracut* & *Cybam*, vbi tantam fuisse quorundam stultitiam accepimus, vt vel linguas sibi ipsis abscissas Idolis in signum penitentia obtulerint. Alia apud eos dictis etiam absurdiora animaduertimus, quæ tamen tanta perniciosa intempestive impressere animis, vt citius mortem sint subituri etiam per atrocissima supplicia, quam vel minimum eorum errorum abiicere, cum meliora suadentes ne audiant quidem, sed pro insanis habeant.

CAPVT XV.

PERIOCHE.

Vnde genus ducit Magnus Mogol. Supplicia noxiorum. Officia publica in regno. Splendor Aulicus.

Omnes hipopuli, siue Mahometi sequantur deliria siue Gentilismum, Magni Regis Mogol subiecti sunt imperio. Significat autem apud Orientales *Mohel* siue *Mohol* ad-

Magol quare ministra-



unde dicatur.

ministratorem circumfisionis, unde quidam suspicantur eum sic dici, quod se circumfisorum, id est Mahometitarum Patronum Principemque fateatur, quamquam non ignoremus, aliam in superioribus huius nominis rationem adductam fuisse. Ducunt autem hi Principes originem generis sui a magno illo totius Orientis domitore, quem *Tamerlanem* nos vocamus, *Scythæ vero Teimur lang*, id est, *Temar claudum*, eo quod aliquando de equo lapsus, femur luxauerit, unde claudicatio. Ipse Mogol inter alia Tituli sui Eulogia se *Regem Iustitiae, Lumen Legis Mahometicae, & Debellorem vniversi* nominat. Est enim iustitiae amator, ut qui res & controversias maioris momenti posito tribunali ipse audiat, sententiamque ferat, exempla & dictata rationis pro lege scripta habens, qua Indi destituuntur. In cæteris prouinciis & ciuitatibus id præfecti regii faciunt, a quorum sententia nemo facile prouocat. Erga conuictos criminis alicuius parata est executio sententiae, pro modo delicti, vel enim suspenduntur, vel truncantur capite, aliquando Elephantis, serpentibus effertisque canibus obiiciuntur, vel perpetuis addicuntur vinculis. Præfecti Prouinciæ singulis annis mutantur, ut ita motus publici vitentur. Qui his libellos supplices porrigunt, nisi donum aliquod adiungant postulationi, præfecti sine fronte id exigunt. Si quod tenuius offeratur munusculum, respuunt remittuntque, & splendidius aliquid petunt. Prætoris magnus est aduersus obæratos rigor, qui solutionem non expedites carceri mancipat: qua seueritate multi territi seipfos, vxores liberosque vendunt, ut creditoribus satisfiant.

Pœna facinorosorum acru & expedita.

Dorophagia Iudicium publica.

Rex se populo quotidie ter conspiciendum præbet: Primo, Oriente sole de fenestra Palatii despicit, acclamante populo, viuat viuat Rex. Secundo sub Meridiem, cum pugnantibus Elephantos aliasque bestias spectat. Tertio circa Vesperam, quando de fenestra in Occidentem Solem conuersa prospicit: ab hoc loco reuertitur domum præeuntibus instrumentis Muscis, & concentu harmoniaco. Rege ita publicè se ostentante, si quis è populo sublatis manibus se petere innuat, confestim deducitur ad Regem, qui cum comiter & attente audit. Septimam & octauam horam vespertinam Principum Procærumque aulae colloquio tribuit, quibuscum se dormiturus hilarius inuitat. Nec præfecturæ nec dignitates in hoc regno hæreditariae sunt, sed eas rex cum titulis tribuit quibuscumque vult: sed nec bona & possessiones nobilium hæreditatis iure ad liberos eorum transeunt, sed certæ duntaxat quædam facultates. Quod si quem filium ex affe hæreditatem paternam capeßere Rex sinat, ingentis id fauoris signum & beneficentiæ documentum est. Mercatores Indi id summo studio agunt, uti ope diuitiasque suas calet, ob periculum ab Rege imminens. Diuitiæ & dignitates Illustrium nobiliumque virorum ex numero equitum, quibus præfunt, æstimantur, cum nonnulli tribus, nonnulli duobus millibus, alii paucioribus imperitent ut superius quoque diximus. Si quem nouo officio Rex nouaque dignitate ornat, nomen quoque nouum ei indit, putoad exemplum Pharonis in Iosepho, ut Sacræ habent litteræ. Verbi gratia, *Chan Mahobet*, id est, Dominus dilectus: *Chan Iahaun*, Dominus cordis mei: *Chan Allan*, totius Dominus, & sic de aliis.

Primatiorum officiorum in aula nomina hæc fere sunt. Magnus Atrarii Præfectus, Custos Thefaurorum, Præfectus Eunuchorum, Magister Aulae, Secretorum conscius, Magister Elephantorum, Præfectus castrorum, Capfarius regius. Minorum dignitatum titulos nunc enumerare nihil attinet. Cærulei coloris vestimento indutus, cum is color luctus indicium sit, in regis conspectum non admittitur, sed ne in colloquio quidem, audiente rege, Mortem nominare fas est, sed inepta circumlocutione vitandum.

Diuitia & splendor.

Splendore & magnificentia, opibus diuitiisque abauri & gemmarum immensam copiam vix vllum sub sole Principem cum hoc rege certare posse existimo. Habet hic apud ciuitatem Agram in Palatio suo Thronum regium, ad quem per gradus ascenditur, quem circumstant quatuor leones è solido argento deaurato ad viuorum magnitudinem, tegiturque Thronus ille papillione siue Vmbone ex panno aureo gemmis atque vnionibus oblitto: cum ipse quoque nullam vestem induat nisi gemmis, auro, margaritis grauem, ut iam taceam de monilibus, torquibus, capulo vaginaque gladii quem quotidie gestat, quæ omnia sunt tanti precii, ut à nostris hominibus animo concipi non possit.

Gynæceium ingens alit trahitque post se Rex Indus, ut vltra mille mulieres numerentur in Palatio eius siue potius Gynæconitide, quas si quis præter Eunuchos adeat, capitale est. Iuncturus sibi vxorem, suo potius id facit quam aliorum arbitrio, neque enim affinitates vicinorum regum principumque quarit, aut splendorem claritatemque generis, sed intra regni sui fines, quæ potissimum placent, eas sibi deligit. Et hoc pacto ex infima plebe hominibus datur adscensus ad summos honores. Quidam *Noore Mahal* (quæ vox ducem Curiae significat) humiliter ac plebeio genere natus, ad tantas emerfit dignitates & opes, ut non regem duntaxat

sed pro-

sed prope vniuersum regnum in sua potestate habeat. Cum autem tot habeat vxores & concubinas, liberos tamen non plures quam sex ex iis genuit, filios sex, filiam vnam, quorum nomina superius recensuimus. Primogenitus ex vxore legitima decedenti patri in regno succedit, ideoque appellatur *Magnus Frater*. Hic etsi fratres minores necare non soleat, quod Turcæ faciunt, constat tamen eos diu superstites esse non posse, quod magnis fere euidentibusque periculis obiiciantur. Narrant *Echebatum* Regem, *Selimum* filium qui nunc terum potitur, a successione diadematis excludere constituisse, quod vxorem Patris *Anar-Kaleam* (quæ vox granum mali Punici significat) durius increpisset, quam tamen senex efflictim deperibat: hanc tamen exhæredationis sententiam vicinus morti reuocauit. *Echebatum* illum hoc modo perisse accepimus. statuerat multos ex proceribus regni ad cænam vocatos, propinato veneno interimere. Ipse ut securus toxicum haurire posset, statuit pridie antidotum sumere. Verum fatali errore deceptus, venenum pro antitoxico sumsit, eoque periit. Iusta quidem numinis vindicta,

— nec enim lex iustior vlla est
Quam necis auctorem fraude perire sua.

CAPVT XVI.

PERIOCHE,

Transitus è Continente Orientalis Indiae siue Regno Magni Mogol ad vicina
Chersonesi Aureæ regna, Siam, Pegu, & Malaca.

At temporis, opinor, triuimus in pererranda illa Orientalis Indiae parte, quæ Magni Mogol agnoscit Imperium, & partim Indo & Gange fluuiis includitur, partim longe lateque vltra vtrumque portigitur; ad vicina igitur regna allecti commoditate transibimus, vbi prius vnam atque alteram illius Imperii ciuitatem, quibus maior præ cæteris splendor atque claritas, considerauerimus.

Bramportum vocant Angli oppidum satis amplum & copiosum; ab eo abest ciuitas *Feti-pora* duo decies mille passibus, quam *Echebati* Regis pater ante multos annos extruxit, magnificentumque in ea Palatium excitauit, adiectis muris firmissimis & hortis amœnissimis, cum viridariis supra modum iucundis. Decrescit tamen nostro æuo in singulos dies, rege *Selimo* lapides multos preciosos & alia structuræ ornamenta ad Nouam Agram subinde deferente.

Delli oppidum est, sed instar pagi dies noctesque patens. Plurimæ sunt hic nobilium domus cum viuariis hortisque pulcherrimis, & earundem illustrium familiarum sepulturæ. A iunt olim Sedem regiam hic fuisse: translata vero Aula imminuuntur quotidie incolarum ope & veteris Palatii splendor. Hinc vsque ad urbem *Lahorensem* ager fertilissimus est, eaque de causa diligentissime colitur, abundans non tantum frumento fructibusque, sed & saccharo. Disposita sunt toto hoc itinere ad sextum quemque passuum millenarium diuersoria, in quibus viatoribus hospitium & pro iumentis stabulum præstat gratia, munificentiæ regia. In primis autem via ab *Agra* ad *Lahoram* iure regia dici potest, consita ab vtroque latere arboribus, densa serie iunctis, unde crebri latrones in iis peregrinantibus insidiantes, in primis nocturno tempore: interdum enim minor est grassatoribus illis audacia.

Est autem *Lahora* vrbs amplissima omniumque Indicarum longe celeberrima, ad ripam Indi fluuii structa, obtinetque quasi centrum Indicarum ciuitatum, quæ Emporiis in mediterraneis nobiles; hinc enim infiniti Thefauri ad *Tattam* & *Armussum*, atque hinc in Persicum regnum exportantur. Sed & Europæi in hanc urbem plurimum piperis aliorumque aromatum inferant, aurum argentumque & merces Indicas vicissim exportantes. Terrestris quin etiam itinere quotannis aliquot equorum & camelorum millia, dorso omnis generis merces ferentium in Persidem deducuntur, certis statisque temporibus, quamuis interdum in sextum mensem vsque per loca deserta & æterno calore exusta iter faciant.

Sequitur hanc *Multa*, vrbs sane ampla & vere regia, aliquot milliaribus ab Indo fluuiio, paucioribus à *Niliabo* distita. Hic omnes peregrini & Mercatores Persicum regnum petitori aliquando decem, interdum pluribus diebus commorari coguntur, donec proficiscendi licentiam à protege impetrent: interim crescunt ciues opibus ex horum hospitium molestissima nec necessaria commoratione. Qui tamen donis muneribusque non parcere didicerunt celerius expediuntur. Valida admodum potensque est Vrbs *Candahar*, antiquitate insuper illustris. Incolunt hanc *Baniani*, residetque in ea Præfectus Prouinciæ illas cum præsidio XV. millium equitum,

F nomine

Successor
in regno.
quii.

Bramportum, ciuitas, & Fetipora.

Delli oppidum.

Lahora ciuitas præcipua Indorum.

Multa ciuitas.

Candahar vrbs.

nomine Magni Mogol, ad compescendas excursionses Persarum Aquilonarium: est enim candahar vrbs limitanea, ad occidentem ingenti ac præcipiti rupe munita, ad austrum vero montibus, vt & ad orientem validissimis cincta. Creuit hæc ad incredibilem magnitudinem gliscientibus bellis inter Indos atque Lusitanos, vnde ei suburbia adiecta sunt, ipsa vrbe veteri spaciosiora: huc enim omnes Carauannas siue agmina mercatorum, qui in Persidem & Indiam negociantur, siue eant siue redeant, diuertere necesse est. Sed & Persæ atque Indi hic noua iumenta ad reliquum iter sibi conducunt, nec fas est sine permissione Proregis hinc discedere, vt aliquando in vicesimum vsque diem hic commorari necesse habeant. Et hæc quoque non minima causa est illius incrementi. Quamuis autem cum vrbs ipsa tum vniuersa prouincia rebus omnibus ad victum necessariis abundent, ob nimiam tamen mortalium copiam pleraque hic magno venduntur. Mercatura ex professo hic non exercetur, nisi forte fortuna mercatores Persæ ac Turcici in vrbe Indis occurrant, merciumque permutationem faciant. Qui hinc porro in Persidem proficiscuntur, minoribus agminibus iter faciunt, ne pabuli inopia in illa montium sterilitate premantur: diuisi ergo in manipulos ingrediuntur, aliquot dierum cibaria secum ferentes.

Quæ porro itinere in occidentem couerso sequuntur, cum ad Persici regni ius & dominium pertineant, differemus, donec nos retum Persicarum series & narratio eo vocabitur: nunc vero polliciti memores magno saltu in Austrum facto, vicina Magni Mogol Imperio regna videamus, inque iis primo SIAM.

SIAM
Regnum.

Primaria huius regni vrbs Siam, nonnullis Sion vel Silon dicitur, cis Camboiam versus Orientem sita. Est autem tantæ amplitudinis, vt præter ciues indigenasque, triginta millia familiarum Mahometi deliria sequentium ibi commorari perhibeantur. Saltus & nemora in hoc regno densa & alicubi imperuia, inque iis præter alias feras plurimi Leones & Tygres, & monstri quoddam genus quod Indi Mariches vocant, aiuntque illi vultum esse puellari faciei non absumilem, cum promissis crinibus; ipsum vero corpus in caudam scorpionis desinere. Maximo huius regni fluuio Menam nomen est, eiusdem cum Nilo ratione exundationis naturæ, ortumque cum aliis fluuiis ex Chiamio Lacu ducens. Et hæc est causa, referente Balbo, vt incolæ necesse habeant domos suas in locis editioribus construere, cymbasque suas iuxta instructas habere, quarum beneficio se suosque de loco in locum transportare possint, cum omnia aquis obiecta latent. Qui tenuioris fortunæ sunt, casas suas tabulis ligneis vel raribus inædificant, quas remorum impulsu quocunque volunt, promouere possunt, & sic omnes suas facultates vere mobiles habent, Fæminæ potissimum in hac gente mercaturam exercet. Mouent nonnulli controuersiam, quibus veteres Geographi, Ptolemæus Marciarius alique sub Sinarum nomine, hoc regnum intellexisse videntur, non autem vastum illud Chinense. Verum nos hanc quæstionem illis discutiendam relinquemus, quibus plus est ocij.

Monstru.

Dubium
Geographi-
cum.

Seruitus
Monastica.

Monachorum (sunt enim innumeri in hoc regno) tanta est in viuendo austeritas & continentia, vt qui nostros cum illis conferat, hos Bacchanalia viuere existimare queat, Fæminarum notitiam habere, aut cum illis verbum colloqui, præsentissima mors est.

Pedibus omnino nudis ingrediuntur, ne alutæ quidem parte munita planta; corporis tegmento nihil vilius cogitari potest; herbis radicibusque, & oryza ostiatim emendicata famem tolerant. Sed has res neque procando neque rogando petunt, sed velut muti ad ostium dato signo, oculis deiectis, quod datur expectant: id vero manibus non contingunt, sed aperta manica danti offerunt, vt iniiciat quod velit largiri. Hi prorsus nudi sæpius se intensissimo Solis calore vstulandos præbent, aliquando vesparum muscarumque stylis cõfigendos, vt discant patientiã. Circa mediã noctem intrantes Orationum suam, aliquot horas ante Idolum suum precantur. Si negocietur, emant vendantque; aliquid, vel si oblatos Monasterio fundos agrosque accipiant, aut aliquid facultatum acquirant continuo in hæreticorum album referuntur.

Siamitaru
opinionem
varia.

Porro Siamitarum de Deo opinio præcipua hæc est. Deum à principio omnia creauisse: eundem piis præmia, improbis pœnas constituisse: vnicuique homini geminos adesse Genios, bonum atque malum, & ab hoc quidem ad scelera allici, ab illo deterreri, Tempora Idololatriæ multa habent, inque iis statuas & simulacra eorum, quos Sanctos arbitrantur. Viderunt Angli in quodam statuam quindecim pedes longam, Patri generis humani dedicatam. Hunc enim cælitus delapsum cæteros ex sese genuisse mortales opinantur. Sacerdotes vestibus longis flauisque vtuntur, quod is color Sanctus habeatur, eam, puto, ob causam quod ad auri Solisque splendore propius accedat. Adeo his omnibus fæminis & quicquid est huius sexus, interdicitur, vt ne gallinas quidem domalere iis liceat. Vinum gustasse capitale est. Ieiunia annua multa habent, vnum autem cæteris rigidius obseruatur, quo durante ingens est populi ad fana & delubra concursus. Habent & tam interdum quam de nocte certas statasque ad orandum horas,

quas

quas Canonicas appellare possis. Mundum hunc VIII. annorum millibus duraturum autumant, & iam quidẽ VI. præteritisse, duo restare. quibus elapsis omnia igne conflagratura. Cæterum in isto incendio aquas è Solis corpore delapsas refrigeraturas cineres, qui permadefacti in duo oua sunt coalituri, & ex illo quidem mare, ex hoc famellam emerituram, hæcque fore noui mundi semina. Aquas marinas salvasque ex eo tempore dulces futuras omnes, terramque sine cultura hominum fruges & alia bona ex sese daturam, breuiter futurum aureum seculum. Et hæc somnia atque superstitiones ab Siamitis ad plerasque Orientis nationes manuisse rumor est.

Narrat Caspar de Cruce, Braminos hosce siue Sacerdotes Siamensium Magos esse, Regisque præcipuos ac intimos ministros. Deos hi complures sibi fingunt; primo quidem, quem ipsi Probat-Missat vocant, omnium rerum creationem tribuunt; sed precariam hanc fuisse potentiam: secundum enim Pralocustatum ei hanc à tertio Prassurio impetrauisse. His insuper quartum adiungunt, Prassur-Metri, eosque omnes pari veneratione colunt. Tanta autem est horum impostorum multitudo, vt qui regnum peragraverunt, tertiam illius partem his fumiuentulis constare arbitrentur. Qui inter eos auctoritate pollent, cæteros elato supercilio despiciunt, à quibus & habitu distinguuntur; sed & à plebe non aliter ac ipsa Idola adorantur. Si quis tali pontifici aduersetur aut contradicat duntaxat, ingens adit periculum, adeo sacrosancti habentur. Cælorum orbis vigintiseptem numerant, quos Mahometici Paradisi instar delitiis affluere perhibent, ibique formosis mulieribus, epulis ludisque omnia referta esse, omniumque rerum viuētium ibi statuunt receptaculum, ita, vt ne muscas & pulices quidem illinc excludant: hanc tamen pediculosam cæli partem & culicosam iis tribuunt, qui vitam ecclesiasticam monasticamque non vixerunt: Superiores enim cælos clericis & Religiosis seruant: supremam spheram & cæteris omnibus altiore Diis suis fictitiis adscribunt. Eundem ordinem in assignandis pœnis facinoroso generi apud inferos obseruant, diuiduntque infelicem illum locum in tredecim veluti tabulata, tribuentes cuique pro modo delictorum singulare ergasterium.

Est inter Religiosos ingens ratione ordinis & prærogatiuæ discrimen: qui enim Mass-cauches appellantur, illo loco ipso rege superiorem obtinent. Nassendeches Episcopis nostris similes sunt: post hos sequuntur Mitires, illis vno gradu inferiores, qui Capuzes & SaZes sub se habent, quos Canonici nostratibus prope comparare possis. Horum omnium vitam, res & facultates immunes sunt: cæteri omnes, quocunque nomine astimuntur, instar mancipiorum regi sunt, qui vitam ac necis in eos habet potestatem, & dominus est omnium quæ quique priuatim possidet, facultatum. Perdiderunt autem libertatem suam, eamque cum fæda illa & pudenda seruitute commutauerunt Siamitæ, tunc cum in Regem quendam concitata rebellionem, inferiores facti, ad hunc modum capite sunt diminuti.

Anno A.N.C. MDCVI. primo appulit Tarnasserim Vrbe Balthasar Sequerius Iesuita, atque inde superatis ingentibus aliquot fluminibus syluisque ac montibus inuis, ac feris permultis, in primis Elephantis & Rhinocerotibus infectis, Odiam venit. Hoc loco mixtis cum Talipois qui sacerdotes sunt, sermonibus, quæ horum esset opinio intellexit. Narrabant enim, nullum amplius Deum superstitem esse: tres enim, qui vicissim Mundum rexerant, interiisse: sed expectari quartum iam nimis diuturnas necentem moras. Hæc & similia deliria, etsi absurdissima, magna tamen superstitione accipiunt atque venerantur incolæ, digni huiusmodi diis & doctoribus. Festa sua Talipoi isti secundum dimensiones Lunæ obseruant, apertisque templorum valuis plebem ad deuotiones & sacrificia inuitant. Cæterum Tempora illa ædificia sunt ampla atque spaciola, quibus adiecta sunt ambulacra, porticus, Xysti, intus vero sacella atque oratoria secretiora habent, cum area lata totam ædem ambiente. In vno eorum Templorum vidit Sequerius colossum octodecim cubitos altum, Magno Deo dicatum.

Abstinentia incredibilis est horum hominum, vt vinum vel primoribus labris gustasse nefas morte piandum existiment. Chorus eorum Cantoribus perstrepat, qui circa occasum solis præcipue & mediam noctem strenue vociferantur. Orto sole dato signo, ad mendicandum prouolant. Pro defunctis sacra faciunt vigiliaeque peragunt: eorum vero cadauera loculis imposta, cum primis nobilibus, sumtuose sepeliunt, præuiis tibicinibus & symphonicis: vnde non parum emolumenti percipiunt Talipoi isti. hæc tamen Sequerius.

Sunt autem in vniuersum Siamitæ voluptatibus & luxuriæ dediti, artiumque mechanicarum nullo tanguntur studio, etsi in Agtorum colendorum ratione orientalium facile primi. Sunt apud eos publica quædam Gymnasia, in quibus Leges patriæ & colendi numinis ritus iuuentuti lingua vernacula proponuntur: cæteras scientias, quas ipsi abstrusiores opinantur, peculiari idiomate proponunt. Adorant autem præter Idola, quæ innumera habent, etiam quatuor Elementa, & sicut in his colendis viuunt, ita etiam post mortem sepeliuntur. Qui enim terram adorauerunt, terra tumulantur: quibus ignis numen fuit, exuruntur: qui

F 2

aerem

Sacrifici
Siamensium
Magi.

Ordo clericorum
apud Siamitas.

Balthasar
Sequeira.

Talipoi sacerdotes
& horum deliria.

Ingenium
& mores
incolarum.

acrem coluerunt, penduli in aere computrescunt: qui aquam venerati sunt, in fluuium aliquē proiecti piscibus pabulum fiunt. Cum primum Rex solium conscendit, templum magnificū struere incipit adiectis turribus porticibusque, idque idolis innumeris replet, estque in vrbe *Socoroia* simulachrum metallo fufum, octoginta spithamas longum, vt ii, qui id viderunt, retulerunt.

Situs & Potentia huius regni.

Sentiunt Geographi, *Auream* illam regionem *Ptolemai*, & *Arriani* Continentem *Auream*, ipsissimum hoc regnum Siam esse, cuius mappam Chorographicum Abrahamus Ortelius anno A. N. C. MDXCVII. edidit. Hanc deinceps sequitur *Chersonesus Aurea*. Cohæserunt olim vna, vt fama est, sed, vt videtur, maris violentia hæc ab illo intercedente æstuario separata est: quod ipsum & de *Sumatra* Insula opinantur, quam *Tremellius* & *Iunius*, Sacri codicis interpretes, *Salomoni* *Ophir* fuisse existimant. Extenditur autem totum istud terrarum spacium in longitudinem versus Austrum, tenui velut lingua aut brachio porrectum, numeranturque secundum littus maris ab vrbe *Campa* ad *Tuyam* miliaria D. quanquam in hoc tractu multa Arabes obtineant siue Mahometistæ, cum oppidis *Patana*, *Pahana*, *Iora* & *Malaca*, vt iam de cæteris nihil dicamus.

Odia vrbs ingens.

Caput totius regni est *Odia* vrbs incredibilis magnitudinis, vt præter ingentem conuenarum numerum quadragies mille familias contineat. Alluit hanc *Caipumo* fluuius, in quo CC. millia scapharum cymbarumque reperiri autumant. Rex ille nouem regulis vicinis imperitat, habetque in præsidio vrbs suæ L. millia militum, & Elephantorum XIII. millia, è quibus tria millia ad militiam instituuntur. Quas possident Nobiles illius regni facultates & agros, beneficio regis obtinent instar Timariorum apud Turcas, sed ad dies vitæ duntaxat iis vtuntur: hinc fit, vt suscepturus expeditionē Rex in hostes, equitum quidem XX. millia, peditum vero CC. millia facile colligere possit, etiam nullis numeratis stipendiis. Cingitur regnum hoc vndique montibus præaltis, quibus velut amœna quædam vallis interiacet, vt cum situs humilitate tum fertilitate soli *Ægypto* non inique comparari possit. Laici populi vicinorum metu se huic regi submiserunt, eius implorato patrocinio.

Copia ingentes Regis Peguanus.

Narrat quidam superiorū temporū Historicus, Regem Peguanū anno A. N. C. MDLXVII. Siamesem in vrbe sua obsidisse cum exercitu CCC. millium hominum, & quidem per vnum & XX. menses. durante hac obsidione alterum exercitum hoc nō minorem supplemētū loco accepisse, neque tam ingentibus illis copiis vrbe capere potuisse. Proditione tantum præfecti portas ad extremum ei apertas fuisse. Rex Siamesis proditum se videns, hausto veneno periit, regnum vero liberorumque suos victori hosti reliquit. Defuncti filius patri quidem successit, sed cum onere tributū annui Peguano regi soluendi. Aliquot annis post, cum filius illius regis Peguani, qui Siamesem vicerat, acerbius insultaret tributario, contumeliā cladī addidit, eumque ad regiā suā citauit, dicturum causam. Venire recusantē obsedit cum exercitu CM. millium hominum. At Siamesis viribus diffidens, conuersus ad dolos, facta spe dedicationis tempus traxit, donec inundatione fluuiorum cooperta terra ingens spacium ad sexagesimum vsque milliare aquis impleretur, qui cataclysmus, cum solito celerius euenisset, potissima Regi exercitus pars submersa periit, eos qui effugerant, per sequentibus Siamesis, quorum successu eo tanta fuit audacia, vt Regem Peguanum in vrbe sua vitro obsiderent. Audita autem fama de aduentu Lusitanorum soluta fuit obsidio.

Rex Igneus & Rex Albus fratres.

Sed Procurator quidam Mercatorum Anglorum, in illis residens partibus, hæc accuratius ad nos perscripsit in hunc modum. Pendente (inquit) Rege Siamese vectigal Peguano, accidit, vt duo adolescentēs, nepotes regis Siamesis, qui in curia Regis Peguani obsides fuerant, clam aufugerent. Maior natu inter eos, cui Malabarensiū lingua nomen erat *Raia Api*, id est, *Rex Igneus*, tam prospero successu vsus est in Peguanos, vt supra audiuimus. Neque contentus hac victoria profectus vltius cum copiis, Camboiam, Laniagu, Patanen, Lugorium, Ternasserin cum aliis prouinciis regnisque occupauit. Mortuus est victoriosus ille Rex anno A. N. C. MDCV. nullis relictis liberis, diadema regni fratri relinquens, qui ob ingenii mansuetudinē *Rex Albus* cognominatus est. Hic cum lethali morbo decumberet, non satis compos mentis, importunis *Iocrome Wai*, qui ad regnū adspirabat, suasionibus victus, maiore natu filium occidi iussit, ipse paulo post expirauit. At interfecti frater, cū elisis *Iocrome Wai* conatibus, regale conscendisset solium, interfectore fratris sui vicissim trucidari iussit. Habuerat *Iocrome Wai* iste in famulatio suo CCLXXX. mancipia, Iaponici generis. Hi serui intellecta nece Heri sui, concitato tumultu Aulam intrumpentes, coegerunt nouellum regem, vt sibi quatuor è primis aulae proceribus dederet, in quos cū cruento animaduertissent supplicio, postremo aucti viribus & audacia, totā regiā deprædati sunt, nihil pro Rege molientibus Siamesibus ei uibus: ditarique innumeris spoliis, & abductis simul aliquot sacerdotibus, Iaponiam patriā petierunt.

Audacia ingens seruorum.

petierunt. At rex Siamesis, misso ad Iaponensem Regem Legato, sceleratos illos sibi dedi postulat, vt pro tanto facinore pœnas de iis sumere possent: nec frustra id petiit, annuente Rege Iaponiæ, & se missurum flagitiosos illos promittente.

Interea dissipato rumore illo, Camboienses, contempto rege Siamese, qui tantillæ latronum manui resistere non potuissent, iugum excusserunt: quorum exemplum secuti sunt Lanagenses & Bangenses, qui compacto in Siamesem insurrexerunt. Et *Pegir* quidem Bangensis cum L. millibus hominum ad Regem Auæ transfugit: acciditque hoc anno A. N. C. MDCXIII. Quin & Rex Lanagensis cum ingenti exercitu Siamese regnum ingressus, magnisque progressibus itineribus, tertio die ad Odiam vrbe accessit, ratus se omnia ibi tumultibus domesticis impedita inuenturum. frustra quidem. Rex enim Siamesis cum validis copiis ei occurrens, infecta re domum redire coegit. Et quanquam duo illi reges, Bangensis & Lanagensis in Siamesem conspirauerint, nihil tamen effecerunt.

Anno A. N. C. MDCXII. cum Angli regnum Siam attigissent, Regiamque intrauissent, impetrauerunt ab Rege licentiam exercendi mercimonia vbicunq; in regno voluissent, qui & iisdem domum sane commodam donauit. Fuit is annus perpetuis pluuiis & fluuiorum exundationibus madidus: october autem mensis validissimis ventorum flatibus infamis, quorū tanta fuit importunitas, vt *Mausolæum* regium magnificum quidem funditus euerterint. Sunt autem huius *Chersonesi Aureæ* Reges Mercatores ipsi, neque cuiquam vendere vel emere quicquam licet nisi de ipsorum voluntate.

Extremum huius Peninsula obtinet Regnum *Malacense*, à ciuitate *Malaca* denominationē trahens. Hanc *Alphonsus* Albuquerque Lusitanus subiecit, dux bello aduersus Indos felicissimus, quiq; plura in Oriente Regi suo subiecit, quam vllus ante eum, aut post eum ad hæc vsque tempora. Vbi *Iohannes Barrus* de primis huius vrbs fundamentis initiisque loquitur, ait, eam CL. annis ante Lusitanorum aduentum in illas Indiæ partes structā fuisse: ante enim *Singapura* vrbs, quæ gradu vno cum dimidio versus Aquilonē ab *Æquatore* abest, maximæ in illis partibus fuerat auctoritatis, & ob multitudinem populorum, qui iis in locis ex omnibus partibus orientis conuenire solebant, & ob mercimonia. Imperabat iis temporibus in vrbe *Singapura* Rex, nomine *Sangesinga*, qui moriturus duobus quos habebat filiis tutorem fratrem constituit. At hic oblitus fidei, cum maiorem ex iis interfecisset, arrepto imperio, tam insolenter & superbe omnia faciebat, vt pertasi tyrannidis eius proceres regnum desererent. At Rex Siamesis cuius gener *Sangesinga* fuerat, inuaforem alieni regni throno deiecit. Hic cum duobus circiter seruorum millibus fugit, *Pyaticam*que in illis oris exercuit. Paulo post apud fluuium *Muar* CXL. millibus à *Singapura*, manus illa prædatoria confedit, quorū dux fugitiuus munimentum ibi erexit, in quo ipse cum nonnullis aliis habitaret, exclusis cæteris. Hi dolentes de repulsa XV. millibus à *Muar* fluuiū vltius progressi, malia sibi struxere eo in loco, vbi nunc *Malaca* vrbs est. His cum se indigenæ, homines feri & indociles ante eum diē iunxissent, paulatim aucto domiciliorum numero, munimentum cum fossa adiunxerunt. hæc prima fuere oppidi initia. cum autem ambitus ille nimis angustus esset, vicinam vallem fertilitate & amantate spectandam simul occupauerunt: vbi se dux eorum, deserto primo munimento, allectus comoditate loci cum iis coniunxit, nouumque oppidum *Malaca*, id est, *exilium*, appellauit. Successu vero temporis mercimonia & negociationes ab *Singapura* ad *Malacā* migrauerunt.

Initia vrbs Malaca.

Exulis huius filius *Darsa Saquemus* nomine, se patrocinio regis Siamesis commisit, qui suo imperio totum illud terrarum spacium à *Singapura* vsque ad *Pulo Zambilam*, quæ ab *Malaca* CXX. miliaribus in occidentem abest, subiecit, vt regnum eius ad CCLXX. miliaria secundum littus maris porrigeretur. Venti, quos Indi *Monfones* vocant, in his oris à fine Augusti Mensis vsque ad vltimum octobris diem continuo flant: ab initio vero Nouembris vsque ad principium Aprilis Aquilones dominantur: à Maio mense vsque ad principium Augusti Auster & vulturinus regnant, quæ ventorum notitia cum primis nautis cursus suos in illa loca directuris utilis est.

Aer, quo Malacenses afflantur, ob vicinatem lineæ *Æquinoctialis*, à qua vrbs illa non nisi duobus gradibus abest, param salubris est, accedente ipso loci situ, qui nimis humidus est & depressus: quæ duo incommoda si sustuleris, populosiorem locum in toto Oriente vix habebis. Saquemus postero extensor factus à tributo Regis Siamesis paulatim colla subtraxerunt, vtique postquam à Persis & Gussaratis ad Mahometinum persuasi sunt. Hinc fauere conatibus eorum fortuna, liberum sibi & peculiare regnum constituerunt. Et quanquam Rex decimo ante Lusitanorum aduentū anno classem ducentarum nauium aduersus Regē *Malacensem* Mahometistā miserit, nihil tamen ei detrimenti afferre potuit: naues enim Siameses nauatarum imperitia & tempestatibus scopulis illisæ, partim fractæ perierunt, partim dispersæ sunt:

*Siamensis
infelix ex-
pediitio.*

quæ effugerant perniciem, in manus Malacensium inciderunt. Deiectus spe sua Rex Siamensis, maiorem expediuit aduersus Malacenses classem, ipse vero exercitum, in quo triginta millia militum & CCCC. Elephantos habebat, terra versus Malacæ duxit. Cum autem milites, ut solent, multa facerent insolenter & maleficè, exacerbati Cherronitæ occurrentes cum armis, Siamenses pedem referre coegerunt. Versantem in tertiæ expeditionis apparatu Siamensem, nouum bellum Lusitanicum excepit, de quo vide Massæum lib. IV. historiarum suarum.

Mirum est quod de Tygribus bestiis ferocissimis in his locis referunt; tantam olim earum fuisse multitudinem & rabiem, ut ipsa oppida rapturi homines ingrederentur; narratque Barrus, vnam præ cæteris grandem ea fuisse immanitate, ut transiens murum oppidi tres captiuos homines trunco ferteis compedibus affixos interemerit rapueritque, euerit simul eodem furore cippo. His melius occurri de nocte non potest, quam incensus multis magnisque ignibus, quos metuunt feræ illæ efferatissimæ. Etsi autem solum Malacense prope sterile est, ipsa tamen vrbs omnibus rebus supra modum abundat, ut annonæ hic & omnis generis alimonia viliori possit emi precio, quam in iis ipsis locis, unde affertur. Cum Alphonsus Albuquerque quis (de quo superius diximus) incolas ab his oris armis profligasset, Lusitani in hoc litore variis locis habitationes sibi erexerunt, suntque tanta prosperitate vsi, ut elati nonnulli etiam nomen Regium sibi arrogauerint.

CAPVT XVII.

Regnum Patanense cum vicinis aliquot prouinciis.

*Patana
vrbs &
Regni no-
men.*

PATANA nomen est primariæ vrbi in his oris, quæ toti regno suum nomen impertit. Distat autem ab vrbe Siamensi septem gradibus versus Austrum, & difficiis frequens, sed è vili materia structis, ligno & arundinibus, ita tamen, ut in illa vilitate artificium laudare possis. Templâ vero eorum siue Moscheæ (Mahometistæ enim ut plurimum sunt) ex quadrato lapide & latere cocto assurgunt. Maior hic Chinesium quam alibi copia, ut ipsos ciues multitudine superare credantur. Tres linguæ hic in vsu sunt, multum tamen inter se differentes: Malacca, quæ Patanensibus est natia: Siamitica; & Chinesis. Prima Hebræorum more à dextra versus sinistram scribitur: secunda verso ordine à sinistra ad dextram: tertia ab summo deorsum perpendiculari linea characteres suos pingit. Chinesium & Siamitarum templâ plena sunt statuis & simulacris: sacerdotes eorum flauo vtuntur amictu: quibus se iungunt iuuenes oraculorum & rerum futurarum scientia clari. Populus consiliū horum captaturus, certo interiecto spacio è regione Idoli confidet, & iuuenum illorum, qui ante statuam crinibus passis humi procumbunt, vultus curiose contemplantur, ipsi interim psallentes & musica pulsantes instrumenta, donec se iuuenis sponte è terra eleuet. Ibi furore plenus, horrendum intuens ac dæmonio agitatus circumcursitat gladium manu vibrans, veluti se iuxta ac alios interfecturus. Ibi consulturi oraculum, energumeno isto furiosiores, in genua ante eum subsidunt, orantes, ut Idolorum mentem sibi explicet. quicquid autem hic dixerit, ipsi attentissimè captantes verba, Oraculum interpretantur.

*Adulterii
seuerior
quæ apud
nos poena.*

Adulterium apud has gentes capitis supplicio punitur: cogiturque vel pater adulteri vel proximus rei agnatus ipsum iugulare: neque tamen hac seueritate coherceri potest effrenis mulierum libido. Viderunt Hollandi seueræ illius executionis exemplum in nobili adultera quæ cum mæcho capitali supplicio affecta fuit: Mulier quidem laqueo suffocata, adulter vero pugione bis terue in pectus ab agnatis adactus. Et scortatio quidem inter cælibes nulli prope vicio vertitur: quinimo quam primum Mercator aliquis extraneus appulit, statim adfunt, qui ex eo sciscitantur, egeat ne alicuius mulieris ope: sed & puellæ vltro nec vocatæ adfunt, suum offerentes peregrinis seruitium, vbi inter eos conuenit de precio, mulier interdum quidem ancillatur, nocte vero se substernit hospiti. Postquam autem matrimonii legibus se adstrinxerunt, non sine præsentissimo capitis periculo exorbitabunt. Regina cum Gynæceo suo intra Palatium inclusa, solitariam prope degit vitam, rarissime foras prodiens: quod cum aliquando recreandi animi gratia facit, Elephantio regio insidens in publicum prodit.

*Elephantorum
captiendorum
ratio.*

Elephantorum in hoc regno captura hoc modo potissimum fit. Vir Elephantio mansuetus insidens sylvas peragrat, ferosque ac indomitos peruestigat. vbi se quis offert, Cicur cū fero acrem pugnam init; quibus luctantibus. accedens venator, pugnantis indomiti posteriora cura catena siue fune alligat, qui adeo intentus est prælio, ut fraudem vel non sentiat, vel impeditus ab altero vitare non queat. Deiectam ad hunc modum bestiam mâsuefacere conatur: quam si adeo feris videat moribus, ut de cicuratione desperandum sit, interficit.

*Ariolorum
vanitas
detestanda.*

De diuinis ac vatibus Patanensium supra diximus. horum aliquando ingens est vanitas & mentiendi licentia, licet plurimum fidei apud stolidam plebè inueniant. Prædixerat furiosus iuuenis, intra constitutâ diem vrbe igne cælitis delapso cõstagnaturâ. Crediderunt multi, & translatis

& translatis aliò rebus suis, è ciuitate migrauerunt. Vbi dictus dies adfuit, nec fulmen cecidit, nec ignis visus est vllus. Irrisi ergo illi, qui cesserant vrbe, cum vate suo, ad domicilia sua reuersi sunt.

Anno A.N.C. MDCXII. Angli quidam Mercatores cum litteris à Iacobo Rege Patanam venerunt. Epistola Regia iussu Regis barbari, pelui aureæ imposita, super Elephantum vexillis monilibusque exornatum, præeuntibus Musicis instrumentis, in Regiam delata fuit. Sed & ipsa Aula ad excipiendum Legatum Anglum cum litteris magnifice culta, aduentum hospitem præstolata est. Summa postulata hæc fuere, ut iisdem quibus Hollandi vtentur, Anglis negociari liceret conditionibus. Facile id impetrauit Legatus Britannicus, quamuis Hollandi iam perintegrum decennium ea libertate atque priuilegiis gauisi fuissent.

Porro ipsa vrbs Patana bis intra sex annorum spacium à Japonibus subiecto igne prope tota exusta fuit: flagrabatque non id duntaxat regnum bello, sed & vicinæ prouinciæ eodem anno. Rex Iohorensis mense septembri anni A.N.C. MDCXII. suburbia Pahanensium exussit: & Camboienses, Lanagenes & Iagomæi inito fœdere in Regem Siamensem arma mouerunt.

A.D. XXXI. Decembris Mensis Regina, Patanensis stipata præsidio sexcentorum militum, è Palatio suo, extra quod septem proximis annis pedem non detulerat, ad venationem vicinas sylvas petiit. Viderant eam Angli, aiuntque Matronam fuisse grauem & satis venustâ, sexaginta circiter annos natam, proceram & maiestatis pleno corpore, postremo talem, qualem ipsi in vniuersa India non viderant. Comitabatur eam soror, experta connubii, quamuis iam quadragesimum annum ageret: hæc, quia sororis hæres erat futura, iam iunior regina vulgo vocabatur. Aderat ei & altera soror, nupta Regi Pahanensi (quæ ciuitas est in parua quadâ insula haud longe inde distita) quam viginti octo annis non viderat, nec vllis blanditiis aut legationibus à marito, ut vxorem Patanam mitteret, impetrare potuerat. Regina igitur Patanensis, indignata precibus suis ab affine locum non dari, statuit vi obtinere, quod blanditiis nequiuerat. Sed nihil erat opus armis. Rex enim Pahanæ ab Iohorensi ad extremas redactus angustias, cum videret ardere vrbs suæ pomeria, accepta vxore & duobus filiis vltro Patanâ venit, cum antea omne pabulum & alimoniam in agris corrupisset. Aduentante eo canes omnes per vrbes occisi, vel aliò asportati sunt, quod vir ille naturali quadam Antipathia canem ferre non posset. Augusto mense Regio conuiuio, cui etiam Angli Mercatores interfuerunt, ab Regina exceptus est hospes, testanturque nostri, spectasse se ibi Comædiam à solis mulieribus (ut & in Insula Iaua moris est) & satis quidem histrionice & eleganter peractam. Secutæ sunt choreæ & tripudia, vbi primo mulieres cum adolescentibus, deinde nobiles Indi, tertio Angli & Hollandi saltauerunt: quarum rerum omnium regina quoque curiosa fuit spectatrix.

*Regina Pa-
tanensis
qualis.*

*Canum
ingrosos.*

A.D. I. Octobris mensis vniuersa ciuitas Patanensis horrendo incendio conflagrauit, ex hac causa. Erant duo viri illustres, Datoë Besar, & Datoë Laxman. Vterque magnū numerum mancipiorum domi habebat, pro more gentis. Ibi quidam seruorum ad Besarem detulit, coniurasse quosdam è seruis suis in Laxmanni necem. Besar, qui alterum amabat, quatuor è suis coniurationis reos in vincula duci iussit. At prætor capitalis, cum id facere renuisset, ab irato hero confossus perit. Iauanenses igitur, (ex hac enim gente plerique serui erant) concitato tumultu, Besaris domum irrumpunt, quem & sine dubio obruncassent, nisi à domesticis repressus, celeriter se in fugam dedisset. Hero non inuento, in obuios quosque cædibus grassati, postremo domui herili ignem subiecerunt. At serui Laxmanni, audita lociorum audacia nec vi nec minis blanditiisve cõtineri potuerunt, ne ruptis ergastulis se cum Besarianis coniungeret, quorum insuper tanta fuit insania, ut totam ciuitatem, excepto Palatio regio, Moscheis siue templis, & paucis priuatorum ædibus incendio consumserint. Postea Iauanenses, perpetrato tanto facinore, raptis insuper ciuium vxoribus & filiabus, in diuersas partes dilapsi sunt.

*Horrendū
incendium.*

Anno A.N.C. MDCXIII. Rex Achinensis vrbem Iohor siue Ior validis cum copiis obfedit, & post diem vigesimum nonum cepit. Aliquot diebus antequam Regis Achinensis exercitus aduenit, appulerat ad Iohorensis ciuitatem Nauis Batava, cui SPEI nomen erat. Ipsa nauis vehebat octoginta milites & nautas, cum XXIV. tormentis æneis, LXX. millibus regalium nummorum crassiorum, & magna vi preciosarum mercium. Primo statim die à superuenientibus Achinensibus XXIV. nauis Hollandi capti fuere, cæteri fuga salutem quærentes, Patanam elapsi sunt. Narrat Coplandus Mercator Anglus, qui per id tempus Achini fuit, vidisse se CXX. Celoces & Liburnicas, quibus Laxmannus Thalassiarca præfuerit, ab obsidione illa reduces. Hic non ea duntaxat potitus victoria, sed & duabus Prouinciis, Ioarensi & Siamensi regi suo subiectis, illustris & cum Triumpho vrbem ingressus est.

*Hollandi
ab Achinensibus
capti.*



Continuantur reliqua Indiae Orientalis regna, & populi superioribus vicinis
Camboienses, Laoi, alijq., cum nonnullis Insulis in sinu Gan-
getico: Zeilon, Pallecto, S. Thoma.

Campare-
gnum

Electentibus iter à Cauchin-China (qua de prouincia in sequentibus dicemus) in Austrū, primum occurrit regnum *Campa*, cum ciuitate satis ampla eiusdem nominis, in qua mercimonia diuersi generis exercentur. Crescit hic in montibus plurimum ligni Alōes, quod tamen caro vendunt precio & argento contra appenso permutant, eoque in balneis duntaxat & funerationibus nobilium vtuntur. Religio cultusque ratio his eadem quæ Chinesibus, quibuscum & communes scribendi habent Characteres.

Regnum
Camboia.

Vbi regnum hoc non lane magnum desinit, incipit *Camboiense*, ad Septentrionem vicinam habens Cauchin-Chinam, ad Austrum regnum Siam, ad Orientem Oceanum Eoum. Amplissime patet hoc regnum, diuitiis & incredibili populi multitudine abundans, in quo & Elephantum plurimi inueniuntur & Rhinoceros. Viderunt hic Angli multis locis erectas cruces, vnde Christianismi apud illos initia esse suspicati fuerunt: istud certe constat, Dominicanos Monachos ante aliquot annos hic instituisse populum. Rege mortuo, cum cadauer eius comburitur, vxores eius simul igni traduntur: quas & proceres Aulæ quidam sequuntur, & quos ille viuus præ cæteris dilexit, morte quidē vltro sibi irrogata. Anno A.N.C. MDCII. cum naues aliquot Hollandicæ in his oris appulissent, Camboienses blanditiis & ficta amicitia circumuentos in littus suum inuitauerunt. Sed hos omnes barbari insigni perfidia trucidauerunt, solo Admirante viuo relicto, quem vt cæteri Bataui redimerent, aliquot machinas æneas Camboienses tradere coacti fuerunt. Nemo horum vel iter suscipit, vel quicquā aliud maioris momenti auspicatur, nisi prius consultis fortibus, quas Magus aliquis expedit, qui ad eam rem etiam Alectryomantheia vtitur.

Hollandi à
Camboien-
sibus caesi.Mecon flu-
uius Cam-
boia.

Calambe lignum nullibi quam hic maiore copia reperitur: quod si verum genuinumque sit, auro argentoque contra carum æstimatur. Transit regnum *Mecon* fluuius, quem fluuiorum regem ipsi vocant, quiue haud procul ab vrbe ista Oceanum irrumpit. Eadem hæc quæ Nilo natura, vt exundans longe lateque terras operiat, easque fertiles reddat. Sunt Camboienses vulgo in hac opinione, non homines duntaxat, sed omnes omnino animantes recte factorum præmia & malorum pœnas post hanc vitam manere.

Laoi, Auā
& Bramai
populi.

Hinc vbi te ad mediterranea conuerteris, occurret *Laorum* gens magna potensque, nec non & *Auā* & *Bramai*: verum hi montes inhabitant. *Guei* vero homines effera barbarie & immanitate ante alios, etiam humanis vescuntur carnibus, corporaque sua stylis ferreis compuncta variis figuris notant, ornatus & dignitatis, vt ipsi aiunt, gratia. Montium summa & spelæorum latibula ferocissimi hi Androphagi colunt, vicinisque valde infesti sunt.

Laorum
gens.

Laorum populorum mentionem facit *Caspar de Cruce*, solere eos certis anni temporibus Camboiam petere, transito fluuio ingenti, qui alicubi XV. alicubi XX. passus profundus sit. Eisdem quoque vastissimas habere sylvas, in quibus multi viuunt indomiti Elephantum & Rhinoceros, in quo genere mari ingens cornu à naso sursum promineat. Superatis his syluis ad locum *Cadurmuchum* ipsos venire, qui duodecim millibus à Camboia vrbe absit, ibi transeundum iterum esse fluuium, superiore non multo minorem, qui quidem è lacu amplissimo oriatur, cuius tanta sit vastitas, vt in medio eius constitutus quispiam, extremam ripam oculorū obtutu assequi non possit. Causam vero exundationis horum flumium eam esse asserit, quod per hyemem tumefacti, cum mare petunt, ab aliis transuersim influentibus fluminibus superiori aquarum moli cedere nolentibus, ita impediuntur & regurgitent, vt omnia longe lateque instar oceani cooperiant, & incolæ superiora domiciliorum incolere cogantur tabulata, desertis ob aquas inferioribus, & omnia itinera & congressus eorum cymbis perficiantur. Sic *Mecon* fluuius obstructo meatu in contrarium cursum impellitur à Iulio mense vsque in Septembrem. Ostenderunt Lusitani Anglo nostro collem satis editum, dixeruntque tantam fuisse aliquando aquarum eluuiem vt nauis Lusitanica cacumen illius transierit, cum interiora regionis peteret. Moschum odoratum hi Laoi à Campsi oppido Camboiam afferunt, narrantque carnem & sanguinem esse cuiusdam animalis. Ipsi à capite vsque ad umbilicum toti nudi incedunt, crinesque ab summo in nodum constringunt, ac si pileo caput tectum haberent. Sacerdotes eorum flauas gestant tunicas multis suturis laciniisque distinctas. Superstitiones his eadem quæ Siamensibus.

Exunda-
tionis flu-
uiorum
causa.Laorum
habitus.

LATTAG

Lattagus in suis commentariis de his populis refert, quod iuxta originem *Meconis* fluminis habitent, in tuguriis mapalibusque; ligneis, aliqui etiam in scaphis lintribusque ætatem degant, ob fluuii commoditatem: fluuii que eius ripam in confinio Tartarici & Chinesis regni ad CCCC. milliaria porrigi, hinc inde habitationibus barbarorum cultam. Anno A.N.C. MDLXXVIII. Laoi isti cum exercitu CC. millium transito fluuio *Mecone* Camboiam inuaserunt, quorum tam infelix fuit expeditio, vt omnes vel occisi, vel submersi, vel à Camboiensibus viui capti fuerint. Fuit autem illa victoria Camboiensibus non incruenta, cum in eā Rex ipse perierit, filiumque puerum admodum reliquerit, qui postmodum à Siamese Rege victus, tributum ei annum pendere coactus est.

Habet Regnum Camboiæ oppida quædam egregia & satis culta, in quibus iis Templis innumera, in quibus ingens numerus *Bonziorum* (ita vocant sacerdotes suos & Religiosos) qui iidem quibus Chineses & Iapones superstitionibus ritus sacros peragunt. Et si vero Laoi rudes & imperiti valde sunt, auro tamen abundant, quod è terræ visceribus eruere & detergere nouerunt. Anno A.N.C. MDXCVIII. Rex Camboiæ Iesuitas in ciuitatem suam admittit, eisque libertatem dedit annunciandi Euangelium & instituendi populū in Christianismo. *Iacobo Velloso* Lusitano, qui partes Camboiensium in bello aduersus Siamitas adiuuerat, Peninsulam quandam dono dedit, quæ ad tres Leucas in mare porrigitur, ea conditione, vt feudi nomine obtineret, & incolas fide Christi imbueret. Sunt hi ingenio non fero aut barbaro, sed miti, exercentque mercaturam cum Chinesibus & Iaponis, nec inter eos vlli Mahometistæ, vt alibi reperuntur.

Templa &
Sacerdotes
Camboien-
sium.

Aboluta horum regnorum & prouinciarum qualicumque descriptione, ad *Sinum Gangeticum* (quem nostri temporis nauæ *Golfum de Bengala* appellant) stylium conuertemus: istud duntaxat præfati, ea quæ iam deinceps dicemus, maxima ex parte ex commentariis *Guilelmi Metholdi* Angli, qui eas regiones aliquot annis peragravit, hausisse.

Incipit autem nobilissimus ille Sinus, Gangeticus à veteribus dictus, à Promontorio *Comorino*, quod octo gradibus ab Æquatore versus Septentrionem abest, porrigiturque vsque in gradum XXII. quod spatium si secundum littus metiaris, ob curuaturas & sinus minores prope M. Anglicana milliaria conficere creditur. Latitudo huius Sinus vbi maxima est, CM. milliaria conficere creditur. *Ganges* fluuius celeberrimus huic Sinui nomē dedit, in quæ multitalii fluuii ingrediuntur, qui ab hoc absorpti, omnes sua perdunt nomina. Nondum certo constat, vbi sit huius fluminis origo, alueus tamen eius admirabilis & latissima extensio ac colistantum admirationis incusit, vt diuini ei aliquid inesse credant, adeo, vt huius aquis abluti, ab interioribus quoque scelerum sordibus mentes suas perpurgari arbitrentur. Multa igitur frequentisque huic Indorum peregrinatio, & sempiternum velut Iubilæum, vt Angli ex ipsis Indis non semel perceperunt. Vrbes huius Sinus illustriores sunt *Bisnagar*, *Golgonda*, *Bengala*, *Tarnasseri*, cum aliis quæ vicinis regnis nomina sua impertiunt.

Sinus Gan-
geticus si-
ue Benga-
lensis.Ganges
fluminis.

Insula in hoc Sinu celeberrima est *Zeilon*, quam alii *Ziloam* vocant, magna ex parte iuris Lusitanici, quorum tantum est in ea robur, vt eam aduersus quoscunque se defendere posse arbitrentur. Cætera peculiari suo regi parent, quem vulgo Regem *Candii* appellant. *Fama* est huic olim Danorum naues appulisse, & de exercendis ibi mercimoniis cum rege *Candieni* tractauisse, verum conatu irrito. Profectos igitur inde Danos apud *Negapatnam* & *Trangabiam* cõse disse, excitatis iis in locis munimētis: de quibus quid postea factū fuerit, nõ satis constat.

Zilan In-
sula.

Primum quod in hoc sinu occurrit, est antiquissimum illud regnum *Bisnagar*, quod in complures distributum est prouincias, imperitantque singulis sui Præfecti, vel, vt ipsi vocant, *Naiiecci*. Defuncto enim vltimo rege multi ad Diadema aspirauerunt, quibus singulis *Naiiecci* aliquot, prout in quemque affecti fuerant, adhæserunt: hinc, vt fit, bellum intestinum, & fames per aliquot annos prouincias illas afflixere, vt parentes liberos suos extraneis pro modico frumento venderent. Est in hoc regno *S. Thomæ* oppidum, sub Lusitanorum ditione, qui hic ea lege dominantur, vt *Naiiecco* illius prouinciæ partem lucri pendant. quod cum Lusitani neglexissent, oppugnati armis ab *Naiiecco*, pacem præsentem auro emere coacti sunt. Neque enim oppidum ab ea parte, qua continentem spectat, muro aduersus vim externam satis munitum est, à mari tamen difficulter adiri potest.

Regnum
Bisnagar.S Thomæ
oppidum.

Pallectum ab oppido *D. Thomæ* non longe abest, cuius vicinia Lusitani non multum lætantur, vtique postquam Hollandi ibi firmissimum extruxere propugnaculum. Ab his enim Lusitanorū res in eas redactæ sunt angustias, vt vix vllum nauigium portum *S. Thomæ* intrare possit, quod non Hollandi magno Liburnicarum numero instructi, inuadant diripiantque. Quin & iidem Hollandi non semel ipsum portum ingressi, naues Lusitanicas vel deprædati sunt, vel abduxerunt: vnde sapientiores facti Lusitani, omnia nauigia, quam primum portum

Lusitani
inferiores
Hollandis.

G

subin-



subintrant, exonerare solent, ipsasque naues ad ipsa vsque vrbes subducere mœnia. Ad hunc modum oppressi Lusitani, ipsi vicissim in colas exhauriunt, & ad extremam paupertatem reducunt, cessante cum primis mercatura. Iure tamen hoc quicquid est, patiuntur, cum Batauis ad primum eorum aduentum nimis inuidiose & pertinaciter aduersati fuerint, eosque quamuis Priuilegio Regis Bisnagarensis instructos, intra domum suam obsederint, & trucidatis nonnullis reliquos captiuos fecerint. Rex igitur ob hanc iniuriam iratus Lusitanis, propugnaculum istud Hollandis attribuit, ea tamen lege, vt media præsidiorum militum pars ex Indis constaret. Satisfecerè Hollandi ab initio huic conditioni, fuitque munimenti illius custodia Indis pariter Hollandisque commissa. Cum vero, vt fit, inter eos contentiones obortæ fuissent Hollandi profligatis Indis totius propugnaculi possessionem sibi solis vendicauerunt, eique nomen GELDRIA imposuerunt. postea vero, anno videlicet MDCXIX. cum Anglis pacti sunt, vt æquis portionibus tam hi quam illi lucrum perciperent & sumtus in præsidium castri facerent.

Geldria Munimentum Hollandorum.

Aliquoties conati sunt Lusitani, conductis barbaris, Mercatores Batauos opprimere eorumque negociationes disturbare, sed id efficere non potuerunt, debiliores multo in iis locis, & à Proregis Indiæ potentia tam longe remoti, vt opportunum ab eo auxilium expectare non possint. Accedit alia causa, quod ipsi ad rationes Indiæ publicas nihil contribunt, nec subsidia pecuniaria mittunt, sed cum sociis in Sinu Bengalensi negociantibus in toto fœdere peculiarem quandam rempublicam constituunt, à Regis Hispani patrocínio exempti. Ne tamen ab inferendo Hollandis detrimento penitus feriarentur Lusitani, egerunt superioribus annis cum Naieccis siue Præfectis aliquot, vt prope totis quatuor annis cum sex millibus militum Pallecutum & in eo Hollandos obsiderent, sed procul constitutis copiis suis & extra reli iactum, vnde obsessis quidem damni inferri nihil potuit. Euentus huius expeditionis is fuit, vt Naiecci ad persoluenda militi stipendia destituti nummis, cū Hollandis pacti fuerint, datis obsidibus pro exigua pecunia, quam tamen non Bataui, sed ciues oppidi Indi numerauerunt, qui hoc quicquid fuit oneris, libenter in se receperunt, quod ab Hollandis nihil iniqui perpetiantur, sed sua quadam in negociando gaudeant libertate, vnde & promptum iis subministrare solent aduersus Lusitanos, si opus sit, auxilium

Pallecuti obsessio frustranea.

CAPVT XIX.

PERIOCHE.

Muslipatan & Golconda regna. Intolarum mores. sacra, commoda & incommoda.

Muslipatan oppidum quales.

Muslipatanam urbem non magnitudo, sed Portus egregii commoditas & securitas commendat. Situs eius intra XVI. & XVII. gradum ab Æquatore versus Arctum. Ipsum oppidum frequentissime habitatur, quamquam mœnibus destituatur, & male instructum sit cum aliis rebus, tum præcipue fontibus, qui hic aliam aquam quam falsam non præstant. Æstuantem mari omnia foris oceani fluctibus cooperiuntur. Fuit hic olim pagus exiguus, à piscatoribus habitatus, qui vix se suosque alebant. Vbi vero portus illius paruit commoditas, confluentibus mercatoribus, primum oppidi speciem accepit: postremo ope Batauorum & Britannorum Emporium non incelebre euasit. Clima cæleste huius loci mediocri bonitatis, aer vero valde salubris est: ipsi annum in tria diuidunt tempora siue partes, Martium, Aprilem, Maium & Iunium cum parte Iulii mensis tempus calidum appellantes: nec sine ratione. Sol enim eo tempore ab Æquatore rediens non solum terram exurit desiccaturque, sed & aerem nimio feruore æstare facit, vt si Iunii mensis initio occidentales venti spirent, non tantum viatoribus, sed & intra domicilia sua concludis periculum sit à suffocatione. nã & in plateis omnia feruent, quasi à vicino incendio, & vrensilia intra domuum septa subinde aspersa aqua refrigeranda sunt, cum aliter sine manu offensioe tangi vix possint. Vt autem nihil violentum diuturnum est, ita calor ille nimius & intolerabilis non multis diebus durat, paulo enim post venticirca vespertinum tempus ab Oceano spirantes feruorem mitigant. Accidit aliquando, vt Anglus quidam cum Hollando eadem lectica gestatoria extra oppidum veheretur, euentus is fuit, vt vterque intercluso spiritu suffocatus periret, cum ille frustra Londinum hic Amsterodamum inuocaret. Et si autem reliquis mensibus temporis illius calidi feruor aliquo modo remissior sit, multo tamen omnia magis incalescunt feruentque quam quouis tempore in vlla Europæ parte, etiam Sirio vrente agros in ipsis Libycis arenis: adeo vt nulla nec segetis hic nec messis spes

Æstus feruorissimus.

spes esse posset, nisi Augusto, septembri & octobri mensibus cadentibus assiduis imbribus refrigeraretur terra, & arborum frugumque radices benigno suscitarentur humore. Hoc tamen mali habent nimis illæ pluuiæ, vt permadefacta aliquando ædificiorum fundamenta, subsidant, & superstructo ponderi cedant, cum ruina domus. Accedunt inundationes fluiorum, quibus ad instar Ægypti terra obruitur, tantumque ex permadefactione illa acquirit imis visceribus humoris, vt deinde octo mensium feruori oblectari possit. Nouember, December, Ianuarius & Februarius frigidi temporis appellatione notantur, quanquam nunquã ibi frigus maius sit his mensibus, quam in Anglia Maio.

Hunc calorem cum humiditate, quam tellus imbibit, coniunctum sequitur ingens fertilitas soli & perpetuus arborum viror, estque propemodum nullum anni tempus sine messe & collectione frugum, pro diuersitate seminum. Oryza alicubi ter, alicubi bis, vbi minimũ semel in anno metitur, sed hæc opima meliorque cetera esse creditur, quæ sæpius in anno colligitur. Nec desunt alia frumentorum genera, in quibus compar luxuries, præsertim in mediterraneis, vbi triticum pinguisimum prouenit, quanquam apud Indos huius vsus rarior est, quam Orizæ. Radices ibi crescunt omnes, quæ apud nos, maiores tamen & sapidiore, quibus addunt, quas ipsi, vt & nos, *Potatas* vocant. Herbarum odoratæ hic pauca, præter florem vettonicæ, cuius bonitas & egregia virtus, cum ab aliis decantata sit, à nobis tacebitur. Herbas satiuas & olera vel nesciunt, vel negligunt atque contemnunt. Verbo dicam: adeo hoc felix solum est omnibusque rebus ad vitam hominis abundans, vt paruo precio hic omnia emi possint ad victum & voluptatem gulæ, in primis carnes & alites, videmusque octonas gallinas denis assibus emi; capram vel ouem eodem precio: porcum si ginatum viginti assibus. Idem potest dici de piscibus & feris, cuius vilitatis causa est, quod incolæ ex Pythagoræorum placitis ab omni cuiusvis animalis cæde & manducatione abstinere. *Golconda* regnum à primaria eiusdem nominis vrbe nomen acquisiuit. Hanc Arabes Persæque *Hidrabandam* vocant, distantem à Muslipatana leucis XXVIII. quanquam nonnulli ob Leucarum siue Milliarium differentiam longe maius spacium metiantur. Superat hæc vrbs agorum fertilitate, aeris temperie & aquarum commoditate plerasque orientalis Indiæ ciuitates. Palatium regium, quod in hac vrbe speciosissimum visitur, architectorum iudicio omnia totius Orientis ædificia, etiam in regno Magni Mogol longe superat, siue diuitias spectes siue elegantiam. Ambitu enim suo quatuor miliaria Germanica complectitur, ipsum totum marmoreum, parietibus alicubi bracteis aureis crassioribus obtectis, auro etiam in aliis partibus id præstante, quod apud nos ferrum facit; cum cardines, & seræ, & repagula ex solido auro omnia conspiciantur. in cæteris omnibus splendor & luxuries Rege tanto digna vbique lucet: quod quidem huic Principi difficile factum non est, cum inter Indorum reges opulentissimus habeatur. Mahometi is quidem sequitur delirium, sed ita vt non Turcarum sed Persarum placita, à quibus genus ducit, studeat colat. Quanto opere autem duæ illæ sectæ dissideant, hinc colligi potest, quod adhuc meminere, me ex Turca quodam magnæ inter suos auctoritatis audire, credere se non posse Mahometum Prophetam pro vilo Persicæ sectæ addicere, ad Deum preces fundere: quin istud se potius opinari, Christianos in sua lege facilius saluos fieri quam Persas siue Sannes.

Fertilitas soli circa Muslipatan.

Golconda regnum & Ciuitas.

Palatium Regis sumtuosissimũ.

Turca Persas pro hæreticis habent.

Multitudo vxorum inter Lan-desregias.

Rex eodem quo antecessores eius titulo & nomine gaudet: appellatur enim *Cotub-Schah*, cuius appellationis originem ex Hugonis à Linschotten commentariis discere possumus. Duxit hic præsentibus Anglis vxorem filiam *Adeli-Schah*, nomine *Viciaporam*, quamquam iam ante tres legitimas coniuges haberet, & concubinas circiter mille, hanc mulierum multitudinem gloriæ sibi ducens: nec quicquam ipsis videtur rege aut principe indignius, quã quod ex Anglis cæterisque Europæis didicerunt, Regem vnum Christianum in tam late patente imperio vna coniuge contentum esse. Est autem fœdus atque pactum perpetuum inter tres istos Reges, *Cotub-Scha*, *Adel-Schah*, & *Negaim-Scha*, qui & ea concordia hæctenus se aduersus Magnum Mogol defenderunt, quanquam donis potius & blandimentis cum illo certare malint, quam dubii Martis aleam experiri.

Prouentus regis annuus ingens est, quem pro more & ratione gentis ita numerabimus. Inferuntur in Ærarium eius quotannis viginti quinque *Lacca Pagodum*. Vna *Lacca* constituit C. Pagodum millia: valet autem Pagod vnus ferme coronatum vel Scutatam aureum. Hic tantus Thesaurus ex variis tanti regni prouentibus colligitur, cum Rex hic absolutum imperium obtineat, non tantum in corpora suorum, sed & facultates atque bona. Diuiditur autem Regnum eius in Prouincias, Prouinciæ in centurias, centuriæ singulæ in oppidorum & Pagorum præfecturas. Harum Prouinciarum supremũ velut proconsulatum Rex ei tribuit, qui plurimum auri se daturum quotannis pollicetur; hic deinde centurias pagosque aliis inferioribus

Annus huius regis Census.



ribus elocat, eadem conditione, vt quam plurimum auri pendant, quibus licitationibus & exactionibus fit, vt infelicibus colonis penitus exhaustis etiam vitæ succus & sanguis auferatur, adeo vt multi amissa qualicunque, quam hæcenus obrinuerunt, libertate, ad pistrinum addicti, per ætatem molere cogantur. Si quis pecunias ad constitutum diem non soluat, verberibus aliquando vsque ad mortem afficitur. Si qui metu malæ tractationis aufugiunt, eorū vxores, liberi, aliquando & fratres & parentes in vincula ducuntur, donec fugitiui debitum vel ære vel corpore luant. Quod si præfectus alicuius centuriæ vel oppidi pariter in expediendo tributo segnior sit, non multo mitiore pœna afficitur. vnde impositionum & exactionum immitissima illæ sanguifugæ nec modum nec finem nouerunt.

Castella in regno Golconda.

Numerantur in hoc regno Castella siue Munimenta LXVI. quæ à Naiiccis gubernantur, cum præsidio militum ex ciuibus regni selectorum, quibus & stipendium menstruum, etsi non magnum, persoluitur. Sunt autem pleraque illa castella vel editis montibus vel rupibus inaccessis inædificata, ad quæ non nisi per vnum tramitem, eumque per angustum adscendi potest, vt ipsi Angli de plerisque narrant quæ viderunt. Horum vnus ab Præfecto vrbis Cundapoli petiit, vt sibi liceret castrum siue arcem illam ingredi & perlustrare. Negauit præfectus sibi ipsi, quamuis prouinciæ illius Gubernatori, id integrum esse, nisi id diplomate regio impetrasset. Narrauit tamen, Arcem illam sex habere propugnacula, quæ omnia sibi inuicem præsidio & defensionem esse possent. Capacitatem eius hinc colligi, quod ambitu suo stagnantis aquæ lacus, arbores frugiferas & orizæ segetes, complecteretur. esse in ea Arce præsidium perpetuum XII. millium peditum. Erat autem mons ab summo latissime patens, quacunque veteres oculos præcipitiis munitis, muro insuper & aggeribus validis cinctus, vnde capi non posse viribus humanis videbatur, nisi fame præsidiatii cogentur: neque enim tormentis concuti, nec cuniculis subruui locus iste ob fundamentum saxeam poterat. Interfuit inter hoc Munimentum & aliud, cui *Cundauera* nomen est, milliaria XXV. quo toto spacio singulis noctibus ignes incenduntur, & vigilæ constituuntur, respondentibus sibi inuicem duabus istis arcibus, ex disciplina excubiarum.

Arx ingens cum præsidio valido.

Cundauera Arx.

Religionis & cultus ratio.

Religio hic, si qua est, vnicuique secundum diæta men rationis suæ libera est. Incolæ tamen natiui, qui Braminorum veterum Gentilismum sequuntur, ceteros numero vincunt. Mahometistæ in duas sectas hic quoque diuisi sunt, quanquam solis iis, qui Perfarum sequuntur dogmata, liberum sit, Moscheas siue templa habere: neque tamen ij, qui diuersum sentiunt, sua exercere deliria prohibentur, dummodo id priuatim & modeste faciant. Cum vero de Turcarum cultu & differentiis sectarum alii affatim perscripserint, eos hic missos facimus, & de Gentilismi siue Ethnicismi sectatoribus quædam dicemus.

Bramini in Golconda quales.

Habent in hoc regno Bramini Hierarchiam quandam suam Ecclesiasticam, plurimaque & pulcherrima templa obtinent. Rituum ceremoniarumque suarum aliam reddere rationem non possunt, nisi quod eas ita à maioribus suis se accepisse testentur. Vnum tamen à Principio Deum fuisse sentiunt, qui deinde minorum Gentium Deos & velut indigetes sibi socios in imperio assumerit. Et hos quidem, donec vixerunt, insignia miracula sub specie simiarum, bouum, coruorum aliorumque animalium patrauisse, vnde & illis templa constructa sunt, ipsique *Pagodes* appellati.

Animas immortales esse, deique alio in aliud migrare corpus, Metempsychosi Pythagorica credunt, vnde mira multorum est à cæde & esu viuorum abstinentia. Crebro lauantur, in victu & potu certis adstringuntur legibus, non quod id vlla ratione faciant, sed quod ita sibi à maioribus velut per manus traditum dicant.

Mores & vitæ generis.

In Moribus & conuersatione non sunt incommodi: homicidia inter eos & latrocinia rarissima: fraudem tamen caueat & decipulas emtor est necesse, nisi circumscribi velit. Polygamiam etsi non improbant, raro tamen admittunt, nisi primo matrimonio sterili. Adulteria non sunt hic frequentia, quæ tamen sunt, in solis puniuntur mulieribus. Fornicationi nulla est constituta lex, à qua tamen modestiores vltro abstinent. Diuiduntur communiter in tribus siue ordines XLIV. Secundum quos ordines gradus dignitatis singulis assignatur, nulla habita diuitiarum aut paupertatis ratione. Nam qui inter Braminos paupertissimus est, ditissimo Mercatori præfertur, & sic de cæteris sentiendum est.

Ordo Ecclesiasticus.

Primus Ordo siue Tribus est Ecclesiasticorum siue Braminorum, & veste ac signo quodam orbiculari fronti impresso à vulgo distinguuntur. Nouerunt hi artem Arithmeticam exacte vnde à Mercatoribus frequenter consuluntur. Chartæ vicem iis præstant palmarum folia, quibus notas suas stylo ferreo inscribunt, atque hoc modo omnes suas disciplinas omnemque litterariam cõplectuntur. neque tamen hæc veluti mysteria cæteris tribubus comunicant sed sibi ipsis

bi ipsis suisque liberis priuatim seruant. In rebus Astronomicis non parum versati sunt, cum & Planetarum cursus, & Astrorum themata, & horas Eclipseon, & inde dependentes prædictiones Astrologicas nouerint: quarum quidem scientiarum tantam sibi comparauerunt opinionem, vt ne Mauri quidem siue Mahometistæ quicquam maioris momenti ipsis inconsultis auspicentur. Exemplo seruiat, quod Arabs quidam, cui præfectura in Musilipatan commissa fuerat, eam adire noluerit, sed per decem dies integros expectauerit, donec Astrologi commodam & felicem condixere horam. Sunt autem ex hac tribu lecti duo Reges, Calecutensis & Cochinenfis, de quo vtroque Bramini non parum gloriantur.

Secunda Tribus *Fangam* dicitur, & qui in ea, pariter sunt ordinis Ecclesiastici, & inferiores quidem Bramini, eiusdem tamen cum iis Sectæ. Nihil enim viuum vel occidunt vel manducant, abhorrentes etiam à vino, butyro tamen in cibo vtuntur, cætera herbis, fructibus & radicibus contenti, à cæpis abstinent, quod in iis sibi quædam rubicundæ ad similitudinem venarum sanguinearum appareant. Inferiorum subelliorum hos sacerdotes dicere possunt: curant enim ea potissimum, quæ ad cremanda siue sepelienda defunctorum cadauera spectant, velut vespillones & libitinarii. Opificium aliquod Mechanicum addiscere volentes, Sutoriam discere necesse habent. Plurimi inter hos mendicando vitam tolerant, cum suis artibus, quæ viles exiguæque sunt, alere se suosque non possint, nec aliud vitæ genus eligere.

Tertia tribus est Mercatorum, qui in tria distinguuntur genera. Primum eorum est, qui varias merces per pagos & villas colligunt, quas à rusticis paruo coemptas & in vrbes ac oppida conuectas, deinde multo plus vendunt, vel cum aliis mercibus permutant. Secundum genus est eorum, quos Danistas & Trapezitas appellare possis, suntque hi in discernenda adulterina moneta à vera & genuina acutissimo iudicio præditi, vt vel eminus conspicientes nummum nequæ, pronuntiare de eo possint. Neque vero quisquam his inconsultis facile aurum accipiet, adeo frequens est monetæ spuræ in his locis suppositio. Tertii sunt velut caupones & Tabernarii apud nos, qui orizam, butyrum, oleum, saccharum, mel, & cocta cibaria vendunt: & hos quidem ob acumen iudicii in omni genere & ingenii industriam à Banianis ortos putato & huc velut in nouam coloniam transplantatos. Et hi ab esu carniū aut vilius rei, quæ vitæ abstinent, neque cibi quicquam capiunt nisi prius abluerint corpus, quam quidem superstitionem cum superioribus tribubus communem habent.

Quarto loco sequitur Tribus *agricolarum*, quæ longe maxima & numerosissima est omnium. Seruiunt hi quidem nobilioribus, sed ita, vt militiam simul profiteantur. Omnibus vescuntur carnibus, sola vaccina excepta, quod animal illud sacrosanctum opinentur, vnde ne vi quidem aut tormentis adigi possunt, vt occidant vaccam: præterquam enim, quod sic à maioribus acceperunt, indignum factu aiunt, quod præbeat lac, butyrum, caseos, vitulos, & ad aratum applicata terram insuper colat, vnde nutrimenta varia ad mortales redeunt. Inhumanum ergo clamitant, auctorem victus nostri victus gratia iugulare, vnde nulli homini Christiano quodcumque tandem precium offerenti, vnquam vendent vaccam, veriti scilicet, ne tam vile occidat animal.

Boga Waro dicitur quinta Tribus, id est, Tribus *Meretricia*, quæ tamen & ipsæ sunt duplices. Et priores quidem tantum superiorum tribuum maribus se substernunt, contemptis inferioribus. Posteriores vulgatæ sunt & populo patent. Est autem hæc tota velut hæreditaria professio, quam infelices istæ à matribus, auis & progenitricibus acceperunt, & velut successione quadam exercent. Mater enim filiam, modo non sit deformi aut mutilo corpore, ad id educant lenocinium, vt matris in senectutem vergentis defectum suppleat, vnde viperea illa progenies nunquam deficit, tuta patrociniū legum & consuetudinum regni. Adolescentulæ adhuc choreis saltationibusque exercentur, & quia tã dispositione corporis quam teneritudine ætatis agilia habent membra, admirandis corporis flexuris aduefiunt, quæ non tam facile describuntur calamo, quam vsurpantur oculis. Etsi enim verbis gestus eos exprimere conemur, deficiet nos tamen oratio, & res ipsa multum deperdet admirationis: summam rei dicam: tanta est earum agilitas, vt circultores nostri, funambuli & agyræ cum illis collati rustici videri possint.

Ab his Rex aliud vectigal non exigit, nisi vt quotannis semel Golcondam conueniant, ibique suos coram ipso ludos exercent, vbi eæ, quæ agilitate membrorum cæteras superauerint, regiis muneribus afficiuntur. In vniuersum autem omnes oriza & vettonica donatæ dimittuntur. Præfectus loci in quo viuunt, hoc ab iis postulat, vt cõgregationibus publicis interfint, ibique lus & tripudia sua populo gratis ostendant; ad alias vero solennitates, puta circucisionem alicuius Mahometistæ vel epulum priuatorum conductæ precio veniunt. Multæ autem inter eas diuitiis abundant, & in vestitu nitidæ sunt atque sumptuosæ, serica tela ab

In secundo ordine est Tribus Fangam.

Ordo Mercatorum.

Tribus Rustica.

Tribus Meretricia.

umbilico ad pedes, alia vero etiam à vertice ad umbilicum tectæ. Quædam amiculum scapulare, quo humeros, mamillas & lacertos ad cubitum vsque operiunt, gestare solent, ornantes brachia armillis aureis, quibus vniones gemmæque variæ insertæ. Ab auriculis pendentes habent Adamantes spectandæ magnitudinis, collumque preciosissimis cingunt monilibus. Digitis vero non manuum duntaxat sed & pedum aureos gemmatosque induunt annulos, & ventrem lumbosque cingulo magni precii circumdant. Capiti ornamentum nullum addunt, crines tantum in nodos ac cincinnos artificiose plicant, natiuum frontis splendorem acquisito & ficticio præferentes. Et cum ad hunc modum exquisitissime ornatae sunt, corpus tamen venale habent putidissima prostibula. In victu à vaccarum caribus abstinent, reliquis sine discrimine vescuntur.

Ad sextam tribum omne fabricarum genus refertur, lignarii, camentarii, ferrarii, aurifices & omne id genus, qui & inter se contrahunt matrimonia. cæteri vero opifices singuli prope per genera distincti certas trib. constituunt: puta textores, pictores, ephippiarii, tonsores, piscatores, pastores, armentarii & alii. Extremi omnium habentur illi, quos Golcondenses vocant *Piridues*, quos si quis è superioribus tribubus contingat, totum corpus contactu illo velut inquinatum abluit & expiat. Et sane turpia hi solent obire munia, cum morticina ex vrbe efferant, pelles cadaveribus animalium detrahant, cloacas exhauriant, & fæda alia obeant ministeria, neque vsquam deformiores reperiuntur aut immundiores homines, quàm hi exceptis iis, qui Bonæ spei promontorium accolunt. Baiuli etiam in hunc censum referuntur qui Pallanquinos, id est, lecticas pensiles gestare solent. Quaterni fere eiusmodi lecticam, in qua homo velut in lecto, subiecto ceruicibus puluinari, recumbit, singulis diebus per quina miliaria gestare solent: quo labore, cum assiduus sit, ita calore solis indurantur, & humeri eorum plantæque pedum incallescunt, vt Elephanti corio tecti videantur. Adfuefiunt autem asinino huic seruitio ab ineunte ætate, dum primo eorum humeri baculo grauiori vel conto, deinde maiore pondere onerantur, donec lecticæ ferendæ sufficiant, consuetudine difficultatem mitigante, cum qui vitulum portare adfuevit, etiam bouem ferre possit.

Distinctas hæc tribus diximus: hitamen contribules omnes, etsi eandem Gentiliū superstitionem sequuntur in vniuersum, alii tamen ad hunc, alii ad alium Pagodem animo inclinant. Nec inuenta sunt Pagodum illorum delubra, quamuis tenebris squallida & obscura, cum fenestris lucisque diurnæ receptaculis penitus destituantur. Per ianuas, quæ semper apertæ patent, aliquid luminis intrat. Commodum hoc accidit viatoribus, qui spelæa illa non tam religionis ergo quam vitandæ æstus gratia de via subintrant. Est in eo delubro angustum quoddam sacellum, pro sacerdote, in quo preces suas fundit: huic si munusculum obtuleris, accenso lumine ostendet tibi simulacrum, quod fere æneum est. Et cæteris quidem anni temporibus parum his à Golcondensibus exhibetur honoris: cum vero anniuersarium aut tutelare alicuius Pagodis festum recurrit, ibi ingens hominum multitudo confluit: & alii quidē post XXIV. horarum ieiunium corpus lauant, & interim ampullas oleo plenas coram idolo accendunt: alii cum vxoribus liberisque suis tabernas irrumpunt, ibique genio indulgent, vt in nostris encæniis: cum nec mimi illic nec gesticulatores aut meretricum cateruæ desint. Agyrtarum & circumcellionum huc concursus, quorum aliqui horrendos gestus edunt: alii serpentes & colubros vasis vitreis impositos populo ostentant, quos ad concentum musicum eliciunt ergastulis suis, eosque, cum placet, denuo recondunt. Mendicorum in his festis incredibilis colluies, qui miris & apud nos inauditibus artibus ad misericordiam hominum mouendam vtuntur. Infigunt enim sibi ipsis vulnera, aut inter spinas corpus volutant, vel humi fetotos defodiunt, extante solo capite, & vno alteroue brachio. Eleemosyna, quam tantis conatibus exambiant miseri illi, vel est manipulus orizæ, vel teruncius aut minutus obulus vix enim amplius quicquam accipiunt.

Circa mediam noctem Pagodem splendidis indutum vestibus proferunt, quem promiscuum vulgus, non obseruato ordinis aut sexus discrimine, cateruatim sequitur. Ipsum Idolum præeunt instrumenta Musica, tubæ, tympana, fistulæ nec non ignes artificiosi, vsque ad locum Processioni destinatum. Hinc istud ad delubrum suum reducant, & vsque ad eundem diem sequentis anni relinquunt, nihil toto illo tempore ei honoris exhibentes.

Habent Bramini in his locis lapidem rotundum, ad lati galeri similitudinem, quo supremum numen representari fabulantur, dicentes, deitatem, quæ sensibus humanis comprehendendi non possit, neque vlla certa forma aut effigie exprimi posse. Oceano Patri quatuor in anno festa agitare solent, quibus omnes accolæ ad certum confluentes locum mari se abluunt, & à Sacerdote, qui cum illis lauat, benedictionem accipiunt, qui aquas marinas capitibus lauantium adspersens, preculasque tacitas demurmurans, abeuntibus bene precatur.

In de-

In delubris, in quibus maiores Pagodes constituuntur, etiam minora multa simulacra & imaginum diaboliarum dæmoniorum visuntur, narrantque indigenæ, pleraque illa sacella vnus vel sane paucissimorum dierum opera esse. Fundator enim somnio aliquo diabolico monitus, votum fere concepit, nihil se gustaturum, donec eiusmodi sacellum construxisset: accedente Braminorum persuasione, in talibus deperatis sacellis plus latere mysterii & diuinitatis. Nec desunt falsa his idolis miracula aut præstigiæ saltim. Narrat enim Angelus quidam Mercator, vidisse se statuam humanam vnus vlnæ, in quam Sacerdos integrum modium orizæ effuderit, quæ oriza omnis velut glutine infecta simulacro illi adhæserit, ita, vt ne granum quidem delapsum fuerit. Idem Pagodem quendam ait ciathum vini vel lactis, vel aliud quodcunque vas, foramini oris admotum exhaurire solitum, nec sciri, quorsum liquor ille euadat.

Est & Idolum quoddam, cui in singularibus morbis præsertim in variolis infantum & populis medendi vim tribuunt. Statua est biceps, bilinguis, quatuor habens brachia. Cætera quæ de his Pagodibus eorumque stupendo ac infano apud barbaras hæc gentes cultu dici possunt, in secunda parte Orientalis nostræ Indiæ quære, vbi ea affatim descripta inuenies. Nunc ad ritus in contrahendis matrimoniis vsitatos transibimus.

Pater filio suo de futuro matrimonio prospicit, neque filius visendæ sponsæ potestatem adipiscitur, nisi ipso sponsaliorum die. Pater enim aliquam ex consanguineis propinquisque suis (sorore tamen excepta) filio suo absenti despondet. Nec necesse est, vt focer filie suæ doter det, quin contra sponsus futuræ coniugi gemmas, armillas aureas, vestes, aliaque munera, vt est captus facultatum eius, dono mittere tenetur: nec in his stat largitionum modus: focerum insuper focerumque missis muneribus vestibusque demulceat oportet, ipsarumque nuptiarum vnuerfos sumtus ex suo deponat peculio, quæ res facit, vt multi ad senectutem vsque à tam oneroso matrimonio abstineant, cum in angustia rei familiaris constituti, manuum laboribus vel negotiatione vix tantum possint acquirere, quantum in emendam sponsam requiritur, vt iam non dicam de alenda in posterum.

Contra opulentiores liberos suos matrimonii vinculo, clausula de futuro duntaxat, copulant, cum vix ad quartum quintumue ætatis annum peruenerunt, felices se existimantes, qui etiamnum viui soboli suæ tam eleganter prospexerint. Hi autem ad hunc modum coniugati, seorsum educantur donec XIII. vel XIII. annum attigerunt, ibi demum nuptiæ magnis solennitatibus peraguntur: quarum hæc fere summa est.

Nonelli coniuges lecticæ gestatorix (vulgo Pallanquinum vocant Indorum lingua) impositi, per urbem vectantur, præeuntibus mimis, saltatoribus & scortis, nec non ignibus artificiosis & instrumentis musicis. Ad seniorum domicilia delati sistunt omnes gradum, & muneris aliquid à domino ædium accipiunt. Finito hoc curriculo, vbi domum reditum est, Sacerdos illos lectica digressos excipit, & panno quodam inter medios extenso, separat. Hinc preculas quasdam demurmurat, tangente interim altero alterius nudum pedem. Inde festum & epulum nuptiale instituitur, quod triduo integro durat: quo finito, propinqui cum sponsa domum reuertuntur. Hanc, si nimis tenera sit ætate, ad pubertatis vsque annos secum seruant: sed etsi iam matura viro sit, aliquandiu tamen secum retinent: semel enim viro iunctam inuisere deinde non licet. Hinc ad maritum deducitur, qui fere in domo paterna (si Pater superstes sit) vel cum fratre maiore (si ipse sponsus maior natu non sit) commoratur, estque mira fratrum in illis locis & nobis pene incredibilis concordia, quibus eadem familia, & omnium prope bonorum communio. Defuncto marito, ad secunda vota transire mulieri non licet, etiam si infans desponsata fuerit, sed cogitur ipsa toti inferuire familiæ, & perpetuo in lectu degere, neque armillas aureas, monilia aut gemmas corpore gestare licet. Si quæ calcatis legibus hæc limites transgressa fuerit, indelebilem sibi totique generi & agnationi inurit maculam, vnde agnati ignominie impatientes circumuentam eam vel veneno vel alio quouis modo è medio tollunt.

Infantes suos recentè editos neque baptizant, neque circumcidunt, neque vlla alia ceremoniâ iniant; nomina duntaxat iis imponentes, vt plurimum ab alicuius Idoli appellatione mutuata, addita professione tribus, vel notæ alicuius aut euentus notabilis, vt à cæteris distingui possit. Mulieres facilem fere partum experiuntur, vt nonnullæ eodem quo peperere, vel altero die domeltica obire munia possint: sed & eadem facilitate infantuli educantur, quos nudos in arena exponunt, vt se in illa volutent: sordidatos frigida perfundunt abluuntque: ad hunc modum educantur omnes, donec ad paternum opificium vel professionem apti euadant.

Vestitus virorum indecens non est; fæminæ opulentiores ab habitu meretricio, de quo

superius

Tribus Fabricarum.
Tribus sortida & in famis.

Delubra Pagodum qualia.

Encænia Golcondensium nostris similia.

Matrimoniorum contrahendorum ratio.

Matrimonia Indorum onerosa.

Præcocia sponsalia.

Ritus nuptiales Golcondensium.

Repetere coniugium ignominiosum.

Educatio infantium facilis.

Vestitus



*Et culcus
eorum.*

superius diximus, parum differunt. Viris amiculum ab humero ad umbilicum, deinceps stola linea usque ad imos pedes dependet. Crines alunt, quos & in nodum constrictos fascia alligant vel mitella tegunt. Collo torquem aureum iniiciunt, auriculis gemmas inferentes. Colore nec atro prorsus sunt, nec albo, sed fusco & ad flauum propius accedente, alii tamen aliis multo candidiores reperiuntur. Corpora plerisque procera, artus validi, in conversatione urbani & affabiles. Mirum est, omnes opifices eadem mercede diurna operam suam vendere vel locare solere; nam & faber clauicularius, in fabricanda sera, & artifex in concinnando torque aureo, in singulos dies non plures quam tres asses exiger. Hæc tamen merces ita diuiditur, ut duo asses hero, vnus famulo, qui laborauit, cedat, qui & eo per diem istum contentus erit. Quod si cuiquam Thalerum vnum dederis fideliter tibi interuiet per integrum mensem, & de suo sibi victu prospiciet. Nec hoc mirum videbitur ei, qui parsimoniam illorum & tenuem viuendi rationem notam habuerit.

*Diuerforū
laborum
merces eadē.*

Narrant superioribus annis apud Indos frequenter accidisse, ut mulieres supra modum ardentis libidine, viros, quorum eas fatietas cepisset, veneno interimere, & hoc pacto adulteris ianuam aperirent. Huic sceleri obstructum fuisse, lata lege, ut uxores cum defunctis maritis vel sepelirentur, vel comburerentur. Hæc lex cum alibi, tum in Insula Bali, quæ Lauæ vicina est, strictè obseruatur. Apud Indos tamen crudelis ea moriendi necessitas in perpetuam viduitatem mutata fuit. Reperiuntur tamen aliquando, quæ vel tædio vitæ solitariae vel amore & desiderio mariti, impetrata à præfecto licentia, in eundem, quo mariti crematur cadauer, insiliunt ignem, credentes, animas pariter, ut in vita, ita post mortem fore coniunctas atque socias. Exemplum vnum atque alterum recitat Anglus, horum commentariorum scriptor.

*Constans
in muliere
moriendi
propositum.*

Vxor quædam textoris XXI. annos nata, funus mariti, qui à contribulibus suis cum pompa mediocri efferebatur, splendide comita & ornata sequebatur, comitata agnatis & propinquis. Ad locum sepulturæ ubi venit, in cespite viridi consedit: adierunt histriones & citharædi ac cantores, quorum omnium verba illa diligenter attenteque obseruabat, suasque ad modulos actiones accommodabat. Circumstabant amici, porrectæque vettonica herba supremum vale morituræ dicebant. Dum hæc fiunt, nunciatur illa omnia Anglo, qui visendæ rei tam stupendæ cupidus, assumtis duob. famulis suis, celeriter concitatis equis ad locum illum accurrit. Hunc conspiciat morituræ mulieris propinqui, veriti ne à præfecto missi essent equites, qui ipsam mutato instituto viuere iuberent, postquam ipsa mariti cadauer amplexa fuisset, repente in fossam sepulchri vtrumque prouolutes, iniecta terra conuolauerunt. Anglo interim aduecto, quidam ex amicis mulieris retulit, illam cum iam prope tota obruta fuisset, supremis tamen verbis gaudium suum, quod ex illa societate mortis perciperet, testatam fuisse. Reuersos domum propinquos sepulchræ vehementer sibi gratulatos fuisse, quod tam piæ & honestæ feminae consanguineam nacti fuissent. At idem Anglus, aliâ inuocato subinde Idoli alicuius nomine, *Bama Natina*, in ardentem pyram, in qua maritus cremabatur se iniectis. Tertiam vero, cui Præfectus licentiam illam aliquoties negauerat, sponte collum laqueo inferuisse. Huius mercatoris socius & popularis, cum aliquando casu ad talem tragœdiam delatus fuisset, miseratus vicem perituræ mulieris, stricto gladio agmen irrupit, perterritosque cæteros fugere coegit, manente sola muliere, quæ timorem nullum præ se ferebat. Hanc hortatus Anglus ut viueret, se à funesto propinquorum consilio eam liberasse opinabatur. At illa, non de suorum sed sua voluntate se id facere, respondit, & spectante vindice ac sospitatore suo in rogam insiliit.

*Adamantum
fodina
casu reper-
ta.*

Verum nos omiſſa hac infania, quibus diuitiis hoc regnum abundet, videamus: ubi primo occurrunt nobis præ aliis rebus dicendi Adamantes, qui hic maiori copia quam vllibi per totum terrarum orbem, vno quidem loco, eruunt. Fodinam harum gemmarum casu reperi tam fuisse narrat, hoc modo. Caprarius quidam pauper & egenus, dum gregem suum pascit, vidit iacentem humi splendentem supra modum lapillum, quem ignarus quid esset, sustulit, secumque domum portauit. Esuriens autem, cum non haberet quo latrantem placaret stomachum, ingressus Tabernam cauponilapillum pro prandio dedit. Cum ne hic quidem, quid esset, satis intelligeret, paruo precio Adamantem vendidit. Et is iterum tertio & sic deinceps, donec lapillus iste in manus cuiusdam gemmarii incidit. hic cognito thesauro, non destitit inquirere, donec ad caprarium delatus, locum etiam, ubi gemmam illam reperisset, didicit. Interea delata fama ad aulam, Rex profectus ad collem istum fodinam Adamantum opulentissimam inuenit, statimque sibi locum vendicauit collocato ibi præsidio militum. Sparso rumore tanti Thesauri, ab omnibus Orbis partibus, mercatores aduolauerunt, & ita Adaman-

damantes illi Golcondenses per omnes Mundi regiones distracti fuerunt. Distat autem fodina ista, uti Angli, qui eam viderunt, referunt CVIII. miliaribus ab Vrbe Musilipatana Italicis, quod iter omne syluis ac inuuis solitudinibus occupatum est. Viderunt hi apud Præfectum loci aliquot Adamantes ultra fidem nostram magnos, inque iis vnum XXX. caratas pendentem, imperfectum tamen & maculis liuidum: Aiunt autem perpetim XIII. hominum millia in fodinis illis laborare, & alios quidem fodere, alios vero exhaurire tertam effossam, tertios eam dilatare ad IV. vel V. digitorum crassitiem, ut sole exsiccare penitus possit. Ad hunc modum indurata terra & comminuta per cribrum mittitur, crassa & glebosa materia in incerniculo remanet, in sabulo excusso reperiuntur gemmæ. Euentus hic non semper respondet labori, cum aliquando multos, sæpius paucos, interdum nullos omnino reperiant lapillos, pro abundantia vel inopia venæ, quam odore dignoscunt, magis tamen colore, cum aliquando rubicunda, aliquando flaua, interdum alba instat cretæ & sabulosa terra se offerat.

Fodina illæ non sunt, ut apud nos per Europam, subterraneæ & recta linea in humum depressæ, vectibusque ligneis ac truncis suffultæ, sed ab summo, spacio ingenti hiant, in formam quadratam, descenduntque ita ut paulatim angustiores fiant. Quod egerendum est, non trochleis funibusque aut aliis machinis tractoriis, uti apud nos, eruitur, sed ordine dispositi homines sedent in anteriori prominentisque, & imus acceptum à fossore cophinum illi dat, qui supra ipsum sedet, hic rursus superiori, & sic deinceps, donec humus egesta ad hunc modum per manus tradita in lucem efferatur. Putat Auctor noster, hoc incitiam potius & defectu iudicii fieri quam vlla ratione, cum hæc omnia laboriosiora multo sint quam apud nos, ut vel pueri iudicare possunt, quibus metallifodinarum nostrarum rationes vniuersæ cognitæ sunt. Sita est hæc Adamantum Fodina iuxta fluuium quendam, *Christena* ab Indis dictum: cumque locus ille prope ignotus, vepribus ac dumetis olim omnino obitus fuisset, nostro tamen æuo tam frequenter habitatur, ut ad C. millia hominum ibi commorari credantur, fossores, mercatores, caupones, opifices alique, connumeratis pueris & mulieribus. Reperiuntur hic omnia ad vitam necessaria, sed magno emenda precio, cum vicini montis sterilitas in causa sit, ut alimonia omnis aliunde petatur & satis longis itineribus huc conuehatur. Elocauit hanc Adamantifodinam Rex Golcondæ Aurifici cuidam, pro CCC. millibus aureorum nummorum Pagodensium annuorum, referuatis tamen sibi omnibus Adamantibus, qui decem Caratas ponderis superarent. Ne autem fraus interueniat, horrendis exemplis idem Rex in delinquentes animaduertit, constitutis custodibus & satellitibus suis, qui omnia quæ fiunt, diligentissime rimantur. Hac seueritate tamen & vigilantia caueri non potest, quin multi Adamantes, & quidem è nobilioribus furtim subtrahantur, & exteris mercatoribus vendantur.

*Fodina im-
perite stru-
ta.*

*Precium
locationis
huius fodi-
na.*

Anno à n. C. MDCXXXII. Matrix illa Adamantum occlusa est edicto regio, sub motis omnibus fossoribus, & interdita vltiore peruestigatione. Suspicati fuere quidam, ideo factum, ut ingens gemmarum illarum vis venderetur, & vltior fossio in tempus commodius aut magis necessarios vsus referuaretur. Qui tamen plus sapere videbantur, aliam videbant subesse causam, quod nempe Magnus Mogol, audita gemmarum illarum vbertate & magnitudine, misso Legato prægrandem Adamantem (quem fama duplo maiorem fecerat quam reuera erat) à rege petuisset, qui ut illum placaret, aliis donis precii immensi Monarchæ illi satis fecit. Paulo post enim hæc fodina iterum aperta fuit.

*Fodina A-
damantiū
clauſa.*

Cryſtalli præterea magna in hoc regno reperitur copia, aliorumque lapillorum pellucetium, nec non & diuersi generis gemmæ, Topazii, Gagathes, Amethysti, Granati alique. Ferri & Chalybis plurimum in hoc regno effoditur, & in vicinas prouincias effertur. Aurum vero, & argentum, & æs hoc solum ex sese non gignit.

*Aliarum
gemmarū
copia.*

Non possumus hoc loco præterire, quæ de *Bezoar* lapide Angli retulerunt. Esse in parte quadam huius regni magnam caprarum copiam, penes quas lapis iste Bezoar inueniatur: vnde & plurimas earum animantium mactari, non tam ut pelles & carnes earum vsibus humanis cedant, quam ut lapides illos Indi adipiscantur. In vnaquaque enim vnum vel duos, aliquando tres eiusmodi lapides oblongos rotundosque; inueniri, quanquam hi illis cedant bonitate, qui à Persis ad nos adferuntur. De generatione autem illorum lapidum tale nostri homines ceperunt experimentum. Capras quatuor ex illo loco abactas, ad diuersa pascua, quinquaginta circiter miliaribus Italicis inde distantia transtulerunt. Et duas quidem cum statim interfecissent, lapides istos in iis inuenerunt. Tertiam post octiduum mactauerunt, & iam euanescente incipientem deprehenderunt lapidem. Quarta, cum per mensem vnum ibi pasta fuisset, mactata non modo lapidem ex se dedit nullum, sed etiam nullum vllius eiusmodi

*Lapis Be-
zoar Oriē-
talis.*

H

lapil-



lapilli vestigium ostendit. Vnde non sine ratione collegerunt, certas quaedam herbas, quae nullibi praeterquam in illa regni parte nascuntur, generationis illorum lapidum causas veras atque genuinas existere.

Cetera
bona huius
regni.

Texuntur insuper hic linteamina optima, quae ipsi *Calicoes* vocant, subtili stamine, & ob id in precio habita. Littus *Coromandela* pictores praestat totius Indiae peritissimos, cum hic omnis generis pigmenta multo praestantiora quam alibi reperiantur, imprimis lapis caeruleus, quem vulgo in miniatorum pergulis *Indicum* appellant. quin & Tabacum herbam illam fumosam, qua olim caruerunt, iam hic plantant: quanquam non magnatum esse virium credatur, quod simpliciores hi Indi fucum & sophismata nescientes, folia eius herbae in sole tantum exsiccent.

CAPVT XX.

PERIOCHE.

Describuntur Regna Orientalis Indiae, quae adhuc restant, Bengala, Arcan & Pegu.

Regnum
Bengala
fertillimum.

VBI desinunt termini regni Golcondae versus septentrionem, ibi regnum *Bengala* incipit, quod nostra quidem tempestate sub Magni Mogol dominio constitutum est, vnde rex Golcondae fines limitesque regni sui firmissimis praesidiis munit, quorum, vt & intercedentiū fluminum beneficio, à vicino tam potente & oneroso tutus esse potest. Est autem regnum siue Prouincia Bengalensis totius Orientis fertilissima, plurimisque rebus preciosis abundans. Digressa hinc quotannis classis minorum nauium Golcondam in portum intrat; quarum nauium structura simplicissima est. Tabulae enim lignae fune è cortice nucis Indicae contexto colligantur, vt clauus aut aliud ferramentum in iis locum non inueniat. Merces quas adferunt, haec ferre sunt. Gummi, saccharum, piper longum, Syndones, butyrum, mel, cera, linteamina, panni Xylinei, sericum crudum, storea, è corticibus arborum affabre contexta, aulea variegata, & alia, quae à Golcondensibus expeti nouerunt, vnde abundantiam earum aliarumque rerum in regno Bengalensi facili coniectura assequi possis. Cōfluunt huc multi Lusitani, vel aere alieno oppressi, vel ob vitam scelerate actam, carnificem metuentes, quarentes impunitatem, cum ibi exulibus sine lege & religione viuere liceat, affluentibus insuper omnium rerum etiam ad voluptates abundantia. Vt breuiter multa complectar, habet in hoc regno locum proverbium de quibusdam Italiae principatibus & prouinciis iam olim pronunciatum: *Bona Terra, Mala Gentes*. Apud omnes enim Indos hoc creberrimis circumfertur proverbium, viros quidem fures & latrones esse, mulieres vero meretrices & scorta. Hic est amplissimus ille sinus, in quem fluuio omnium celeberrimus Ganges influit, qui vt plerique fluuuii omnes, qui hunc sinum ingrediuntur, crocodilos aquis suis vehit. Hos tamen multi Indorum, imprimis portitores, qui traiciendis ex vna ripa in alteram scapharum beneficio hominibus vitam ducunt, ita veneficiis aut incantationibus obstupescere nouerunt, vt nauigantibus nihil quicquam noceant. Quo pacto autem incantatio illa perficiatur, narrat Anglus noster adducto exemplo. Ait enim se, cum iam ad fluminis ripam venisset, paratus descendere cymbam, vasta mole corporis crocodilum vidisse, qui & ingressus aquas iuxta cymbam natauerit, perterritis omnibus qui ea vehebantur. At nautam vsque ad genua se demississe in vndas, sublatoque altero crure nescio quid obscuri demurmurasse, & interim funem septem nodis connexum de vicina rupe suspendisse: inde magna fiducia cymbam vel potius pontonem à littore amoliturum fuisse, & traiecisse fluuium, crocodilo in vestigio manente, & aperiendi oris facultate omnino destituto. Peracto cursu nautam celeriter eo rediisse, nodosque soluisse, quod diceret, si crocodilum illa incantatione perire contingeret, veneficia sua deinceps vim nullam habitura.

Arcanum.

Bengalensi regno vicinum est *Arcanum*, eiusdem prope cum hoc fertilitatis. Rex ipse Idololatra est & Gentilissimum sequitur, in cibis tamen capiundis nullum aut exiguum habet delectum. Soler autem quisque Rex Arcanus sororem suam, si quam habet, matrimonio sibi iungere, sic vetustissimos primosque mortaliū fecisse asserens. Et sane negari non potest, quin Adami filius sororem suam uxorem habuerit. Exteros hic rex magna comitate excipit, cum Mahometistis, Arabibus & Persis liberum sit, sua cuique religione perfrui: idemque sapius Anglos Batauosque ad exercendam in regno suo mercaturam vltro inuitauit, quanquam neutrum horum id è re sua futurum haecenus existimauerint. Diuturnum fuit inter Magnum Mogol & hunc Regem bellum, & ancipiti fortuna gestum, vt neuter quicquam inde lucratus fuerit,

neuter

neuter etiam multum detrimenti acceperit, cum nunquam inter eos aperto Marte concursum fuerit. Habuit Rex Arcanus in exercitu suo Hollandos quosdam, quibus ob bonam eo bello praestitam operam & praemia & priuilegia non contemnenda largitus est.

Arcano regno vicinum est *Peguense*, solum habens fertilissimum quanquam bello, fame & pestilentia atrocissima exhaustum, vires vix recuperare possit. Oppida enim prope deserta ciuibus, rarissime habitantur, & agri colonis ferme vacui sunt: vnde proposita lege capitale est, mulierem extra regni fines abducere, contra iis quibus feminas adducunt, praemia constituta sunt. Ipse Rex Peguanus Ethnicorum Idololatriam sequitur, in ceremoniis ritibusque sacris eundem cum Regibus Siamensi & Arcano errans errorem, etsi omnes hi superstitiones suas à Chinesibus accepisse videntur: Chinesibus enim & eorum progenitoribus omnia haec regna olim paruerunt, qui & vsque ad Insulam *Madagascar* dominati fuerunt. accedit habitus corporum & similitudo morum, à Chinesibus non multum discrepans, vnde magis persuademur.

Regnum
Pegu.

Anno A.N.C. MDCXIX. Rex Peguanus Anglos qui apud Musilipatanam commorabantur, muneribus missis atque litteris ad urbem suam inuitauit, vt ibi negociarentur. Cum autem Rex ille sauis sit moribus, parumque haecenus comitatis exhibuerit peregrinis, quos intra regni sui limites velut captiuos detinere solet, vt nisi ipso consentiente digredi inde non possint: cumque promissis pactisque stare nihil sibi necesse arbitretur, Angli & Hollandi petitiones eius haecenus spreuerunt.

Tarnasseri vrbs est & regnum Peguano vicinum, angustum quidem & Regi Siamensi subiectum. Non possum quin hoc loco recitem rem miram, nec à multis duntaxat mortalibus mihi narratam (ait Anglus noster) sed & oculorum experimento compertam, scrophas in illis locis sine coitu masculi concipere solere & numerosos parere porcellos, eosque eleganter producere, vnde tanta in agro illo suum copia. Cetera quae huc pertinent, in superioribus enarrata sunt.

CAPVT XXI.

PERIOCHE.

Absoluta descriptione regnorum & Insularum, potissimum tamen Continentis Orientalis Indiae, transitus fit ad res Persicas.

NON fugit nos, amice Lector, quam longe absumus à perfecta & omnibus numeris absoluta omnium earum regionum, quae Orientalis Indiae nomine censentur, descriptione, cum nobilissimas Insulas, Lauam vtramque, Taprobanen, Gilolon, Moluccas, Luconias, aliasque ne attigerimus quidem: sed si consideraueris nos hunc in eum duntaxat finem contextuisse Syllabum, vt ea quae superioribus rerum Indicarum commentariis, quos ante plusculos annos publici iuris fecimus, inserta non fuerunt, hoc velut supplemento illis adiceremus, cum pleraque proximorum annorum sint: facile, vt speramus, indulgebis nobis veniam, quid enim atinet cramben recoquere, & actum agere? noua non vetera scribere voluimus. Quanquam quae Insulas illas Orientalis Oceani concernunt, si quae proximis annis obseruatione digna acciderunt, ea lector ex narrationibus nostris susceptarum in eas partes nauigationum discere poterit, quas in secundum librum, post descriptiones Topographicas, reieciimus, & id eo te, Lector, eo remittimus.

Institutū
& ratio
huius scri-
ptionis.

Nunc cum ad occidentem vicinos habeat Magnus Mogol, Indorum Monarcha potentissimus, Persas, ad Orientem Sinas, de iis prius decemus. In rerum autem Persicarum enarratione ita versabimur, vt prius communia quaedam, imprimis discordiarum inter hos & Turcas causas: deinde cetera & specialiora videamus.

Transitus
à rebus
Indicis ad
Persicas.

Igitur Saraceni, qui ante trecentos annos, & quod excurrit, in Persidem facta irruptione, totum sibi subiecerunt regnum, Caliphas suos, qui Reges pariter & Pontifices fuerunt, apud Bagadetum sibi constituerunt, successores eos appellantes magni illius impostoris Mahometi. Multis tamen annis post *Ismael Sophus*, cum regnum virtute & armis sibi acquisiisset, eam Saracenorum sectam, quae Halyn & eius interpretationes amplectabatur, in Persidem introduxit & viac sanguine stabiliiuit. Aiant autem Persae, Halyn hunc Mahometi generum fuisse, & ab eo Alcoranum siue Legem Saracenicam accepisse, quanquam & agnatus eius &

H 2

confan-

Setta varia confanguineus iam ante fuisset. Est autem tanta Persarum in retinendo dogmate illo Halya-
inter Ma- no pertinacia, vt suos solos Paradisi incolas futuros palam dicant, ceteros omnes ad inferos
hometi- detrudendos.

Ipsi se igitur *Sias*, id est religiosos appellant, quanquam vice versa à Turcis & Arabibus
Rassadin id est, sine ratione vocentur. Sunt tamen inter Saracenos etiam tertii quidam *Muta-*
zelli vulgo dicti, qui vtriusque Prophetæ, Mahometi & Halys dicta leuiter æstimantes, ratio-
ne omnia & argumentis probari, non autoritate volunt. Pleraque interim casu ita vt fiunt,
euenire, nihil diuina prouidentia gubernari opinantur. Quarti *Emozaidi* dicti, ita per leges
Alcorani grassantur, vt quæ parum placent, eradant deleantque, *Zaidi* cuiusdam, qui filius fuit
Hochemi, minoris fratris Halys, amplectentes interpretationem. Et horum secta potissimum in
Æthiopia, ad fines Imperii Abexinorum dominatur.

Capita Re- Cæterum operæ precium existimamus fore, si Persarum ritus & de rebus diuinis sen-
ligionis tentias, in quibus à Turcis & Arabibus differunt, recitemus. Aiunt igitur Persæ, Deum au-
Persarum. ctorem & opificem esse omnium rerum bonarum: diabolum vero malorum omnium. Hoc
videtur absurdum Arabibus, qui dicunt, ita duos Deos fore. Persæ Deum æternum esse aiunt,
legem vero eius in tempore latam esse. His respondent Arabes: cum Lex aliud nihil sit, quam
Dei & proprietatum eius explicatio & præconium, ideo eam pariter esse æternam. Persarum
sententia est, beatas defunctorum animas in cælo Essentiam Dei, qui spiritus sit, contemplari
non posse, misericordiam tantum, bonitatem cæterasque eius virtutes conspecturas. Arabes
contra & illas, & ipsum Deum in Essentia sua ab his visum iri prædicant. Narrant Persæ, eo
tempore quo Mahometus legem suam concepit, animam eius ab Archangelo Gabriele in
cælum eleuatam fuisse: Arabes corpus pariter cum anima subleuatam. Persæ dicunt Halyn
& Fatemam & duodecim eorum nepotes supremum super omnes Prophetas locum obtine-
re. Limitant Arabes, & dicunt, super ceteros mortales, non item super prophetas.

Persæ ter adorandum quotidie Deum affirmant, sub ortum Solis, sub meridiem & oc-
casum, Arabes id quinquies in die fieri volunt. Persæ Halys & qui eum sequuntur, interpre-
tationem cæteris præferunt: Arabes Halyn in multis errasse contendunt. Sunt & aliæ plures
differentiæ, ex quibus intelligi potest, Persas à Turcis non tantum super successione Maho-
meti dissidere, sed & super plerisque in ficitia illa Theologia & doctrina capitibus: vnde non
tam leuis inter illos est, vt quibusdam videtur, discordia. Gliscit autem & augetur quotidie
dissidium illud, subinde pluribus pullulantibus controuersis, vt vix vlla conciliatio sperari
possit.

Summus Summus Persarum Pontifex & Sacerdos maximus, quem ipsi sua lingua *Mustard Dini*,
apud Per- siue Principem Legis appellant, in vrbe *Cashin* residet, polletque eadem inter suos auctoritate,
sas sacer- qua inter Turcas & Arabas is qui *Mufti* dicitur. In aliis vrbibus sparsim habitant minores in-
dos. terpretes legis, qui Magni illius velut suffraganei sunt, quanquam non ab illo, sed à Rege eli-
gantur. Rex enim ipse, sicut iubente Lege Mahometi & Halys, sacerdos simul esse debet, vnde
& superiorum temporum reges *Calipha*, id est, vicarii Dei dicti sunt. Hac tamen lege non ob-
stante Ismael Pontificatum Maximum in alium transtulit, vt ipse successoresque negotiis Im-
perii rectius vacare possent.

Odiū inter Porro differentia ista religionis inter Turcas & Persas causa est ingentium inter istas
Persas & gentes inimicitiarum, vt nec matrimonia facile inter eas coalescant, nec intercedant merci-
Turcas ob monia: & cum in apertum bellum simultates eæ eruperunt, induciæ non diuturnæ aliquan-
religionis do fiant, pax vero stabilis & firma nunquam. Baiazetes, magnus ille Turcarum Monarcha cir-
differentiâ. citer ducentas domos cum habitatoribus hac Persarum secta imbutos Constantinopoli exuri
iussit, edictoq; publico omnes eadem in sectos hæresi ex omni suo imperio furcillauit. Con-
tra Ismael Sophus rex Persarum, in odium Turcarum & Ottomanici nominis cõtemptum,
prægrandem porcum inter sordes aluit, eiq; nomen Baiazethis imposuit. Cum Solimannus
Turca in reditu ab Amasia Constantinopolim peteret, diuertit in ædibus cuiusdam illustri-
viri, qui Persarum profitebatur religionem. Hic digresso Imperatore totam domum variis
suffumigationibus & odoramentis lustrauit, & velut impuram factam expiauit. Solimannus,
vbi hoc resciauit, hospitem suum extemplo trucidari, & Domum eius funditus euerti iussit.

Vide de his Neque vero factio ista Halycolarum Persiam tantum occupauit, quanquam hic prin-
omnibus cipaliter habeat sedem suam, sed & ad confinia Indorum serpsit, & ipsa Arabia mediterranea
Archonto- inuasit. Nam duo ex discipulis *Aidari*, *Chafan Scheliphas*, qui deinde *Cusfelbas* appellatus est, &
logiam Go- *Schah Culi*, postmodum *Techellin* dictus, cum occiso Magistro à Rege Persarum in Armeniam
sofredi vbi minorem ad Antitaurum Montem profugissent, cuius ima cauernis & rupibus confragosis,
omnia la- habitationi tamen humanæ aptis, plena sunt: vitam solitariam in perpetua contemplatione
sius pertra- exege-

exegerunt, contenti radicibus & fructibus terræ spontaneis. Primi qui eos obseruauerunt, *Ata inut-*
opiliones & armentarii fuerunt: quos, secuti rustici & coloni, quibus austerum eorum viuē-
di genus res peregrina erat, in cultu & admiratione eos habuerunt. Ad Baiazethem vbi res
ea delata fuit, motus pietate in eos quotannis stipem eis & alimoniam misit: hinc cæperunt
Eremitæ illi vaticinari, & futuram fortunam ex lineamentis faciei & manuum interroganti-
bus prædicere. Protracti ergo in lucem, & in pagos & oppida deducti, doctrinam Halys se-
cundum interpretationem Aidari populis proposuerunt, discipulisque ac sectatoribus suis
fascias rubeas, quibus operimentum capitis cingerent, in signum professionis suæ tradiderunt:
vnde à Turcis *Cusfelbas*, id est, *capitium rubra* appellati sunt, creuitque in eum modum hæc super-
stitio, vt breui temporis spacio omnia rubris pileis plena viderentur.

Iam aucti numero, tantum sibi sumebant audaciæ, vt ad Nundinas in Attalia ciuitate
Minoris Asiæ, ad X. millia conuenirent, vbi occiso Magistratu oppidi coniuauerunt omnes,
nunquam se ab ista religione discessuros, etiam si sanguis cum vita profundendus esset, addi-
tis horrendis execrationibus in secus facientes. Sed & Prophetæ eorum vitam æternam ma-
gna confidentia pollicebantur omnibus suis sectatoribus, contra sentientes diris & anathe-
mate percutiebant. Hinc Ismael Sophus, seu amore seu metu eorum impulsus, aliquot equi-
tum turmas eis auxilio misit, vt in tantum excreuerit eorum potentia, vt solus Schah Culi Te-
chellis exercitum ducentorum millium post se traxisse scribatur. Aduersum hos cum Baiaze-
thes duos duces cum validis copiis misisset. vterq; à Techelli cum copiis suis cæsi profligatiq;
sunt. *Corcutus* Ottomanni filius à patre cum exercitu in eos missus, manus cum iis conferere
ausus non est.

Et si autem successu temporis confluges illa hominum à Turcarum exercitiis, aliquot
præliis victa, & ad Antitaurum Montem se recipere coacta est, profligato Chafan Schelipha,
& Techelli ob ingentia maleficia igne combusto: Secta tamen eorum siue doctrina, in Asia &
Africa tantas radices egit, vt ad hunc vsque diem à Turcis, summa diligentia in id genus
inquirentibus, extirpari non potuerit.

Neque tamen inter ipsos Persas super religionis capitibus per omnia satis conuenit (ad-
eo sæcunda est errorum & discordiarum mater) cum inter se magna animorum contentione
digladientur, quisnam filiorum Halys maximus fuisset. Narrat Anglus noster, vidisse se
apud Ardouillam ciuitatem tumultum cruentum eo nomine excitatum, cum duo ci-
ues de ea re disputassent, vt circiter III. millia mortalium concurrerint, fueritque clavis
lignæ & pugionibus res acta, non sine cæde aliquot hominum ex vtraque parte. Nec id no-
uum esse ait, cum subinde tales contentiones in cæteris quoque vrbibus homicidiis & suppli-
ciis terminentur.

Ipsi Persæ, et si quotseptimanis bis capillos capitis abradunt, in vertice tamen longum
cincinnum relinquunt, persuasi, illis capillis se arreptos in cælum subleuatum iri. Precantes
in Austrum conuertuntur, quod in extrema Arabia *Medina Talnabi* sit, in qua Sepulchrum
Mahometi. Iter facientes, cum hora precum venit, ab equo desilientes, genibus humi positos
abiectionisque armis precantur, semper tamen facie in Meridiem conuersa.

Quæ sit formula apud ipsos iurandi, manifestum sit ex iuramento, quod Abas Rex Per-
sa nouissimus præstitit in hunc modum. Cum enim ante acceptum Diadema proditionis ac-
cusatus fuisset, iurauit per Deum creatorem, qui aerem dilatauit, & super fundum maris ter-
ram stabiliiuit, qui cælum stellis ornauit, qui aquam diffudit & ignem composuit, & vno verbo
ex nihilo omnia creauit: Per caput Halys Prophetæ, per doctrinam & legem Mahometi, se
ab isto crimine immunem esse. Ebrietatis vicium detestantur Persæ. Antequam Persæ Chri-
stianorum artibus & auxiliis vsi fuerunt, Impuros illos & pollutos habuerunt, nunc vero
beneuolentia complectuntur.

CAPVT XXII.

PERIOCHE.

Antonius Schirleius Anglus, Regis Persarum ad Reges Christianos Legatus, quæ mira &
obseruatione digna in Persarum regno viderit, enarrat.

Cum autem magna pars illius beneficii, quo Christiani per Regnū Persarum hætenus ga-
uili sunt, & in præsens vsque tempus latentur, Antonio Schirleio, Equiti Anglo accepta
H 3 fetenda



Anglus
pro Rege
Persarum
Legatione
fungitur
ad Chri-
stianos.
Sancti a-
pud Persas
qui?

ferenda sit, qui adeo approbavit regi illi fidem industriamque suam, ut hoc potissimum ad Reges Christianos Legato is uti voluerit; non erit alienum ab instituto nostro, quæ cum primis mira is Antonius in Perside viderit obseruaueritque, ex eius commentariis huc referre, facto initio à rebus Persarum (ut ita loquar) ecclesiasticis.

Persarum Sacerdotes, inquit Schirleius, vestitu habituque à cæteris vel parum vel nihil differunt. ter Tempora sua ingrediuntur quotidie, mane, meridie, vesperi: vbi populo quædam ex Lege Mahometi prælegunt, addita explicatione ex interpretamentis Halys. Sunt inter eos quidam, quos ipsi *Seres* appellant, id est, *Sanctos*, quod vel ipsi vel patres eorum spontaneam peregrinationem ad Mecham, vbi Mahometi monumentum ostenditur, susceperunt. His non secus plebei homines, ac oraculis credunt, et si sapius in mendaciis deprehendantur. Radunt hi totum caput etiam verticem, ad vtraque tempora tantum cirrhos aliquos relinquentes. Apud Sammachium oppidum vidit eiusmodi hominem Antonius noster, grandævum iam, cana barba & promissis circum tempora capillis, insidentem sepulchro, toto corpore nudum, nisi quod pudenda linteo velasset. Hunc rogatum, quid faceret? respondisse ait, per uigilium agere pro mortuo patre. Quærenti iterum Anglo, ecquis esset ille pater? dixisse: qui proximum diligit, & nulli iniuriam facit. Deinde intento in sepulchrum digito hæc addidisse verba: cum isto, qui sub hoc quiescit tumulo, triginta annis vixi, eum ne mortuum quidem deseram, hunc breue sequar, & in idem sepulchrum condi volo. Mundum & omnia mundana, quorum me tædium cepit, odi: ab hoc loco nec viuis nec mortuis auferri cupio.

Assambeium cum exercitu in Armeniam proficiscentem, inquit Schirleius, comitatus sum vsque ad oppidum *Herem*. Ibi vidi eiusmodi Sanctum, qui collocata ante se aliquot vasa fictilia, cum incantationes nonnullas prorulisset, baculo fregit. Assambeio sciscitanti respondit diuinus ille: sic tu cõfringes capita inimicorum tuorum. Et si autem non displicuit viro vaticinium, dubius tamen de veritate euentus, custodiri prophetam iussit & interim liberaliter haberi, donec ab expeditione illa reuersus fuisset.

Impositura
mirabilia
viri detecta.

Alius toto corpore nudus apud Taurim urbem discurrebat, suas populo obtrudens superstitiones. cumque iam magnam technis suis sibi conciliauisset auctoritatem, ut augeter famam miraculorum suorum, in angustum ergastulum, quod in ipsis vrbis mœnibus erat, se inclusit, obserato diligentissime ostio. Ibi cum XL. dies sine cibo potuque, ut opinabantur, exegisset, tandem prodiit obstupescens omnibus. factò concui su populi, quidam cæteris sagacior coctæ carnis odorem sentire sibi visus, rem ad Sultanum detulit: qui vatem cum discipulo quæstionibus subiici iussit. Victi tormentorum acerbitate falsi sunt fraudem. Vatem illum inclusum per angustum foramen antri quoridie iusculenti aliquid, nonnunquam & buccellas coctarum carniarum accepisse. Sultanus offensus nebulonis fraudulentia, & Magistrum & discipulum exquisitis suppliciis necari iussit. Summam hi votorum omnium suorum & perfectæ sanctitatis culmen in eo ponunt, quod dicunt, deseruisse se sceleratam hominum consuetudinem, exiuisse se è mundo, valedixisse se mundo illi immundo, in quo non ut inquilini, sed ut hospites hæctenus vixerint: quæ cum dicunt faciuntque, quibus apud nos simillimi sint, non est obscurum.

Exequias
mortuorum.

Defunctis vita hoc potissimum modo exequias peragunt. Ad tumulum sepulti vbi se Sacerdos confert, magna multitudo hominum vtriusque sexus concurrat. ibi positus cereis ardentibus sacrificis aliquid supra ipsum tumulum è libro suo legit, & preculas quasdam memoriter recitat, sepulchrum aqua lustrali conspergens. Peractis ceremoniis epulum datur consanguineis, & quod reliquum est diei hilariter sumitur. Cæmeterium amplissimum est, ut quod III. millia passuum ambitu suo complectitur. Via quibus ad id eundem est, vtriusque mendicantibus obstitæ sunt, stipem pro salute defuncti magno clamore rogantibus. Qui defunctis lapides erigunt præter nomina mortuorum nihil in eis inscribunt in sculpunt ve.

Miracula
natura.

Miracula Naturæ, quæ Antonius noster in Persarum regno obseruauit, & ab aliis fortasse per scripta non fuerit, hæc sunt. Iuxta Bacchum oppidum fons est, in cuius summa aqua oleum suauissimi dulcoris fluitat, sine defectu venæ illius oleosæ, quod oleum in remotissimas exportatur regiones. Prope Sammachiam urbem alius fons est, picem liquidam fundens, picandis nauibus optimam, qua Angli non semel cum fructu vsi sunt. Circa hanc urbem & vicinos pagos atque oppida magna certo anni tempore oberrant vulpium agmina, ut aliquando ducentæ aut plures simul conspiciantur, quæ & vlulatus horrendos ad terrorem colonorum tollunt. Vaccæ ibi partim nostris similes, partim multo maiores, sed macilentæ, quales Pharaonem Ægyptium per somnium vidisse accepimus: Gossypio agri per totam prope Persidem abundant, quod quo pacto crescat, alii iam ante satis accurate per scripterunt.

De

De forma Reipublicæ Persicæ & eius regni gubernatione, ut quidem ipso præsentente fuit hæc ex Antonii Schirleii annotationibus, breuitatis studiosi, excerpta huc transcribere voluimus.

Postquam *Abas* Persarum Rex variis turbis laborare regnum suum, & infinitas inde nasci confusiones animaduertit, volens tranquillitati & ocio suorum consulere, animum ad ferendas nouas leges & mutandos veteres satrapas atque præfectos substitutis melioribus, adiecit. Constituto ergo certo die omnes suos Mirzas, Chanos, Sultanos & Begos, id est, Duces, Principes & Barones suos ad Urbem Casbin conuocauit, proposito seuero edicto, ne quis quacunque de causa abesset. Quibus præsentibus, omnibus regni sui subditis ac ciuibus triennii immunitatem ab omnibus tributis, vectigalibus & exactiõibus indulgit, *Haldebegum* vero, virum auctoritatis & consilii plenum, & in administratione reipublicæ versatissimum, Primum *Veziarum* creauit, eumque pro regem totius Imperii Persici pronunciauit. Huic insuper mandauit, ut assumpto *Scha Hamadagore* socio, cum aliquot equitum turmis per vniuersum regnum discurrens, grassatores, latrones & seditiosos opprimeret, vbiunque posset. *Olongolio* vero Purpurato nouum Titulum *Chani* adiecit, eidemque sigillum regium commisit. *Bastanam* regio cubiculo præfecit, *Churchibassam* autem supremum militiæ ducem salutauit. Præterea idem *Abas* Rex vnicuique Prouinciæ nouum Præfectum dedit, additis duob. iudicibus, *Thefaurario* vno, *Secretario* vno, *scriba* vno, duobus aduocatis & præside iudicii. His ex arario regio stipendia constituit. Nec his omnibus contentus ipse singulis diebus *Mercurii* pro tribunali sedens, litigantium controuersias attentissime audiebat, & ius dicebat, singulare iustitiæ ostendens desiderium & studium, ut cum laudatissimis in hoc genere regibus comparari possit.

Abas Per-
sarum rex
corrigit
statum re-
gni sui.

At *Ferat* *Chanus*, quem præstita fides & in regem officia superbum effecerant, iniquissimo animo ferebat, prælatum sibi in suprema regni Satrapia *Haldebegum*, erepta sibi insuper Præfectura *Geilanensi*: inuito igitur cum Prorege *Mediæ* & Gubernatore *Tairris* vrbis fædere, in perniciem regis conspirauit, multosque ex popularibus in suas partes pertraxit. Satis quidem hæc mature *Oliuarius Chanus* ad regem detulit, sed fidem non inuenit, quod hæc odio *Ferati* dici & inuidia arbutaretur. Interea *Feratus* *Corazonis* regem (prouincia hæc est *Persidi* vicina) in *Persam* concitauit, pollicitus, si res ad prælium deuenisset, se ei omnes Persarum copias in manus traditurum. Paruit ille, conscripseritque celeriter exercitu, improuisus in *Persidem* irrupit. Contra hunc rex *Persa* XXX. millia militum expeditorum misit, quibus *Ferat-Chanum* præfecit, præmissi fuerant DC. equites ad exploranda hostium consilia. verum hi à *Corazonibus* prope omnes concili sunt, paucis fuga elapsis. Rex, cum quid fieret ex concitato puluere colligeret, imperauit *Ferat-Chano*, ut laborantibus suis sine mora suppetias ferret, totumque exercitum celerius promoveret. Contempsit imperium *Feratus*, regique nunciari iussit, nihil aliud esse quam manipulum tumultuantium rusti corum: posse regem sine periculo cum stipatoribus corporis sui progredi, se, si vsus foret, celeriter sequaturum. Paulo post adfuit *Hassanus Bassa*, anhelus trepidusque, regem cum prætorianis vehementer ab hostibus vrgeri nuncios. Ibi *Feratus* simulato timore, duces tribunosque conuocauit, scilicet, ut consilium commune caperet, quo pacto inuadendus esset hostis. Ibi *Oliuarius Ferato* sine ambagibus proditiõis crimen exposbrauit, conuersusque ad cæteros duces, darent operam, ne quid detrimenti rex acciperet, seueris verbis monuit. Ipse è consilio prorumpens, cum ala equitum, cui præerat, regi ut suppetias ferret properauit. Receperat se iam rex fugienti similis è velitatione, confirmatus autem aduentu equitum *Oliuarii* in vestigio perstitit. At *Feratus*, cum proditiõis consilium, contra ac ratus fuerat, non successisset, ingenti timore percussus, quid ageret non inuenit. Rex ergo sine mora *Iosepho Age* imperauit, ut omnibus copiis in hostem productis prælium confereret. Ibi acris commissa fuit pugna, victoria tamen penes *Persas* stetit. *Iosephus* enim, cum hostilè aciem penitus sudisset ac proftrauisset, occisis multis millibus, regem *Corazonis* cum filio suo & primatibus viuos cepit, *Feratum* vero suis manibus interemit. Rex accepto tanto ab *Oliuario Chano* beneficio, summum eum copiarum ducem creauit, cumque *Triumpho* & optimis spoliis domum reuersus omnes conspirationis illius reliquias deleuit.

Conspira-
tio Ferat-
Chani in
Regem.

Proditio
Ferat-Cha-
ni detecta
& punita.

Confecto feliciter hoc bello, Antonius Schirleius regem aliquoties per occasionem monuit, ut inuito cum Christianis regibus fædere, Turcis bellum faceret, qui alienas rapiendi prouincias finem non facerent. utque celerius persuaderet Antonius regi, contulit cum *Oliuario* consilia sua, eumque in sententiam suam pertraxit. Vtriusque rationibus rex persuasus, Schirleio Legato ad Europæos Principes uti constituit, motus insuper Oratoris Turcici insolentia, qui multa superbe & petulanter, in regia dixerat feceratque.

CAPVT



Summa capita Epistolae, quam Garcias de Sylua Figueroa ab Hispanorum Rege ad Regem Persarum orator missus, ad regem suum dedit, anno Christi MDCXIX, qua de rebus Persicis rara quaedam narrantur.

Epistola Hispanici Legati de rebus Persicis.

LAssus de via tandem ab Armusio in Persidem appuli, qua peragrata Hisphaonem praecipuam illius regni urbem intraui. Magno cum taedio moras hic traho, reuera expertus, quod in plerisque rebus minuat praesentia famam: nihil enim horum video, quae antiqui de regni huius magnificentia plenis buccis depraedicauerunt, ut vel mediocria summis in hoc loco & regno praeferam. Accedit, quod mihi sociisque Legationis meae mores & consuetudines horum hominum vehementer aduersantur, ut satius arbitrer, apud Sauromatas Getasque quam hic aetatem terere: destitutor insuper libris, quorum lectione taedium leuare, & in hac solitudine animum recreare queam. Est autem Hisphaon caput urbium regni Persici, gradibus XXXI. & dimidio versus septentrionem ab Aequatore distita, ubi, quod mirere, tanta est aeris frigiditas, mane cum primis, ut in tanta vicinia Solis vix narrantes haec fidem inueniamus. Nullum in tam vasto regno antiquitatis monumentum inuenitur, cum pleraque aedificia ex latere cocto, interpositis tabulatis ligneis structa sint, quae ob materiae fragilitatem saepe aetatem non possunt. Magna tamen pars Palatii illius apud antiquos scriptores famosissimi, qui hanc urbem Persepolin vocant, etiamnum superest, ipsa molis vastitate veterem adhuc testans gloria. Has reliquias Persae & Arabes *Chilminata*, id est, *quadraginta Columnas* vocant, quo nomine simul turres quasdam praeterea, rotundas & angustas, quae adhuc supersunt, capiunt. Vnicum hoc in vniuerso Imperio Persico, sed spectandum sane vetustatis est monumentum, quod si cum reliquis Persarum aedificiis, ut nunc quidam sunt, conferatur, miraculum iure appellari possit.

Hisphaon Metropolis Persidos.

Veteris Palatii apud Persepolin ruina.

Tam alte autem etiam nostra memoria efferunt rudera illa caput suum, ut a fluuio, quem Persae Bradamir vocant, & qui veterum *Araxes* est, conspici possint. Caeterum Hisphaonem ipsissimam esse Persepolin, ex Q. Curtio, Diodoro & Plutarcho patet, qui situm eius graphice depingunt, & ad eum quasi manu ducunt. Porro viginti illarum columnarum, quae adhuc integrae supersunt, magnitudo, venustas & durities de totius operis stupenda structura, & cuiusmodi caetera fuerint, satis clare testantur, ita ut tanti aedificii ruinae non nisi magno labore & ab ociofo quidem satis digne explicari possint.

Quaedam tamen per partes describere aggrediar. Ipsum aedificii frontispicium, latera, & inter columnas spacia, statuis imaginibusque marmoreis exornata apparent, quae pleraeque eo habitu representantur, quo Senatores Veneti vtuntur: tunica videlicet talari cum longis latisque manicis. Pileis caput tegunt rotundis, capilli sparsim ad humeros dependent, barba plerisque hirsuta & prolixa. In superiore ordine visuntur viri quidam marmorei in cathedris sedentes, non dissimiles Episcopis nostris, quales quidem Metropolitae sedentes finguntur pingunturque. scabella pedibus eorum subiecta sunt, apparetque in omnibus istis statuarii artificii non contemnendum. Vnum hoc miratus fui, omnes illas statuas longe diuersissimo ab eo, quo nunc & a multis seculis per vniuersam Asiam, vtuntur habitu, representatas esse, & quamuis in vestitus genere simulacra illa variant, nihil tamen commune cum Persarum habent amictu. Sed ne ad veterum Graecorum, Assyriorum, Medorum Persarumque vestimenti rationem, qualis illa ex diuersis scriptoribus colligi potest, statuae illae accedunt: vnde incredibilis earum vetustas colligi potest, quamquam pleraeque adeo nitidae & viuaces appareant, quasi ante paucos annos sculptae fuissent. Aduuat hanc sententiam nostram tabula quaedam ex Iaspide lapide, cum inscriptione integra, ut Characteres illi non ante multos annos inculpti videantur, adeo ne apicem quidem detriuit vetustas. Litterae autem neque Chaldaeorum, nec Hebraeorum, nec Arabum Graecorumque scripturam arguunt, neque alterius cuiusquam linguae aut nationis, vnde & a nemine mortalium legi possunt. Multae tamen inter eas litteras pyramidalis forma assurgunt, ut Graecorum Delta Δ. representare possent, nisi magis in acumen assurgerent. Formam ipsam tanti aedificii neque Ionicam, neque Corinthiam aut Doricam, aut ex his mixtam appellare possis, quod tamen de Romanorum Graecorumque structuris dicere facile est. Elegancia huius Palatii ex accuratissima proportione & incredibili partiussymmetria non difficulter colligitur. Nihil tamen (ait Hispanus) me adeo in admiratio-

nem

nem rapuit, quam durities & stabilitas marmoris & Iaspidis. multis enim in locis tabulae tam firmatae tamque politae sunt, ut imaginem faciei instar speculi reddant; adeo nulla apparet in iis ruptura aut scabrities. Praeter eos, quos supra laudauimus auctores, huius Palatii Arrianus & Iustinus meminerunt, adduntque, Alexandrum Magnum importunitate Thaidis scorti Attici victum illud incendi iussisse. Praeter caeteris autem Diodorus largius hanc historiam persequitur. Ipsum Palatium siue Regia tota triplici muro, cuius maior pars vetustate collapsa est, cineta visitur. In deuexo vero montis, ad cuius radicem ipsa Arx extracta fuit, Sepulturae Regum apparent, eadem amplitudine, quam Diodorus ponit, ut qui illa omnia videat, & scriptores illos legat, errare non possit. Aliud vestigium vetustatis in tanta vrbe apparet nullum nisi quod mille passibus a mœnibus ciuitatis columna praeterea affurgit, cum duobus aliis minoribus, quibus equi & formae humanae Gigantea magnitudine inculptae sunt. Caetera non sunt adeo magni momenti.

Auctores qui mentionem faciunt Palatii Persepolitani.

Tota planities circum urbem Hisphaon siue Persepolin, quae in decem prope leucos aperta iacet, fertilis admodum est, multisque aquis irrigua, continetque praeter arua & segetes fecunda pascua, prata, hortos amoenissimos omni genere suauissimorum fructuum plenos, fontibus insuper perentibus, quarum aquae dulcissimae sunt, accedente salubritate aeris, quae habitatoribus locum illum commendare possunt.

Caspin ciuitas ab Armusio siue Ormuz CCC. miliarib. distat, & a Persepoli Centum. Habuit apud hanc urbem rex Persa ingentem equitum peditumque exercitum in procinctu, ut eum aduersus Turcas educeret, qui fines regni hostiliter ingressus fuerat. Hic, ait Garcias, per XL. dies apud regem moras feci, liberaliter ab eo comiterque habitus. Rex confecto celeriter bello illo, & repulsis latronibus Turcicis, primo *Sulthaniam* deinde ad *Frarabatam*, oppidum Hyrcaniae, in littore Maris Caspii situm, venit, meque aduentum suum apud Hisphaonem urbem expectare iussit, facta spe celeris expeditionis.

Casbin urbs, sedes belli aduersus Turcas.

De pace aut induciis inter Persarum Turcarumque Monarchas, eiusque capitibus, ut & de cruento illo inter Taurim & Ardenillam Urbes praelio, ab aliis tota contexta est historia: vnde non opus est eam hic recoquere. Sic igitur concludemus litteras Garciae de Sylua Figueroa, in quibus illud cum primis memorabile est, quod de famosissimo illo apud celeberrimos auctores Persepolitano Palatio eiusque stupendis rudibus retulit, quae an ab vlllo alio tam eleganter perscripta fuerint, equidem meminisse non possum.

Armusium (vulgo Ormuz) regnum & ciuitas. A quo primum structa & habitata. Erepta nostra memoria Persis per Lusitanos. Recuperrata a Persis ope Anglorum.

Quo tempore Mahometus Arabiae Felicis Regnum obtinebat, incesit eum cupido proferendi amplificandique imperii sui. Indicto igitur Procerum Arabiae conuentu, proposuit iis, obiecta littora & insulas Sinus Persici ad Arabiae regnum pertinere, eaque omnia ab antecessoribus suis possessa fuisse. Statuisse se igitur eas prouincias armis recuperare, ad quam rem ipsorum indigeat & consilio & auxilio. quod si obtinuisset, profecturum se ipsum in eam expeditionem, commissis regni gubernaculis filio suo. Probantibus omnibus magnanimitatem regis, celeriter exercitus conscriptus est, & ab *Aiaman* Vrbe ad mare deductus, nauibusque in oppositum littus Persicum traiectus est. Cum autem solum illud prope sterile inuenisset, deflectens inde Rex, copias suas in eo loco considere iussit, qui tunc temporis *Harmuz* vocabatur, hicque pedem fixit, permissa suis aedificandi domos & agri colendi licentia.

Armusium urbs primo in contemtu extructa.

Cum autem magna Regis huius esset fama, ob liberalitatem & in peregrinos studium, quos ab omni defendebat iniuria, excitati multi è vicinis populis, ad ipsum confluxerunt, vnde de noua vrbe mira celeritate creuit, nouisque repleta est colonis. Ergo vicini Principes, ipseque adeo Persarum rex, missis ad Arabem litteris & muneribus, ipsius quae rebant amicitiam, de tantae virtutis vicino sibi gratulantes.

Vnde Mahometes celebritati nominis sui etiam amplius Choragium additurus, monebam percussit, quae res incolis illis peregrina fuit, qui auro argentoque signato antea vsi non fuerant. Videns igitur ciuitatem suam viris opibusque florentem, permisit, ut nobiliores occupato vicino agro, in Magostana sibi commodas sedes hinc illinc eligerent, qui cum paruif-

1

sent,

Funda-
menta re-
gni Or-
muz.

sent, occupatam quisque terram à suo nomine appellauit, transiitque illorum agrorum possessio ad liberos eorum & hæredes, qui sub isto Arabum dominio floruerunt.

Succedente tempore, cum stirps regia defecisset, quidam *Goazil* præfectus Armusinus regnum istud inuasit, quo tamen diu lætatus non est. Qui enim regi successerat, audita defecione Præfecti illius, capias in ipsum duxit, & à populo, qui hominis illius impotens dominium iniquissimo animo ferebat, ambabus, quod dicitur, vlnis exceptus, & in ciuitatem introductus, vsurpatorem alieni regni cum seditionis fociis capitalibus suppliciis affecit.

Cum autem in defectu regni profapia etiam, vt fit, fortitudo & virtus in successoribus defecisset, nec eandem præstarent noui regni ciues alacritatem & constantiam, quam patres eorum: Regulus quidam Prouinciæ cuiusdam Persicæ despecta debilitate eorum, exercitum in Armusiorum fines duxit. Horum rex, diffidens viribus suis, veritus potentiam aduersarii, euocatos ex agro & vrbe ciues, quotquot nancisci potuit, in Insulam *Ouxomam* continenti vicinam traiecit. Hic cum aliquandiu substitisset, & domi omnia occupari ab hostibus videret, deserta hac, cum omnibus suis in aliam Insulam, quæ non longe inde aberat, & nunc *Ormuz* vocatur, nauigauit.

Hanc cum firmiorem & ad muniendum aptiorem inuenisset, statuit ibi sibi suisque domicilia figere. Fuerat autem ea Insula ante eum diem inculta, nec nisi à paucis piscatoribus habitata, qui eam *Iayom* id est, Syluam, appellauerunt, infelix habitationi mortalium, quod nec herbam nec pabulum pro pecudibus gignat, nec quicquam aliud ibi nascatur præter pomiferas quasdam arbores, quibus vix vllus inest succus, cum in Insula alia quam pluuiialis aqua non reperiatur. Ipsa porro Insula tota videtur ex sale composita, cum & terra salis sit si poris, & ipsa saxa ac lapides ex micis salis compositi esse videantur, vnde & naues Indiam petentes lapidibus illis loco faburræ carinas nauium suarum onerare solent.

In hac igitur Insula cum rex Armusienfis domos & habitationes in modum oppidi extruxisset, alimoniamque & res alias necessarias ex vicinis prouinciis importasset, accepit nuntium, Regulum illum Persam destructa desertaque postmodum Vrbe præcipua regni, cum spoliis domû se recepisse. Ipse igitur Armusium patriam repetens, cauere non potuit, qui plurimi in insula remanerent, qui & nouo oppido de nomine prioris Harmuzii, nomen imposuerunt, idque pariter Ormuz seu Armusium appellauerunt, quod nomen etiam vsque in præsentem diem retinet.

Sequentibus temporibus Reges Armusii omne littus Arabicum vsque ad Lassam & Carissam, quædam etiam in obiecto litore Persico sibi subiecerunt, vnde factum est, vt regnum illud nobile & cum primis potens euaserit, cum non ab Arabia duntaxat & Perside, sed & extremo Oriente, Indiaque; vtraque, intra & extra Gangem, nec non ex Europa ab Ruthenis & Venetis mercatores huc confluerent, vnde prouerbum natum est, Ormusium esse canalem argenti semper fluentem: itemque, totam Asiam esse instar annuli, in qua Armusium sit gemma. Etsi autem ipsa Insula nihil vltui hominum accommodatum proferat, nihil tamen omnium eorum in illa desideratur, quæ ad necessitatem & voluptatem vitæ humanæ facere possunt, cum mercatores tantum eo conuehant alimoniam, vt viliori precio, quam vbi nascitur, possit emi.

Nunc deinceps ad nostra tempora propius accedemus, & quo pacto Lusitanis hæc vrbs cum Insula ab Anglis Persisque erepta fuerit, breuiter exponemus.

Intulerant hæcenus Lusitanorum naues, quæ fauces Sinus Persici obtinebant, mercatoribus Anglis plurimum damni, aliquoties interceptis horum nauibus, & spoliis in Armusium vrbe illatis, quæ cum esset munitissima erat velut Iouis Feretrii templum, quo prædæ in illa oceani Orientalis partæ inferebantur. Cum igitur iniuriarum modum Lusitani non facerent, Angli, coacti ad XIV. diem Nouembris mensis anno A. N. C. MDCXXI. nationis suæ apud Suratam Vrbe, quæ ad Magni Mogol imperium pertinet, concilio, post diuturnas deliberationes concluderunt, vt coniuncta opera communem hostem, vbiunque possent, adorirentur, qui tot naues Anglicanas exspoliasset, & mercatores atque nautas Anglos morte affecisset.

Commodum accidit, vt a. d. XXVI. mensis decembris Chanus siue Princeps Xirasensis, & ipse multis iniuriis laceratus, auxilium Anglorum, nominæ Persarum regis, aduersus Lusitanorum insolentiam imploraret. Conditiones hæc lætæ sunt. Siquidem contingeret, Armusium Vrbe cum castro in Persici regis potestatem redigi, vti tunc partorum spoliatorum media pars Persis, altera medietas Anglis cederet. Ipsius vero Castri possessio, cum omnibus armis, tormentis & apparatu bellico penes solos Anglos esset. Persis, si vellent, integrum esset, aliud & nouum excitare monumentum. Telonium, à quo Anglorum naues in perpetuum

Ciuitas
Ormuz,
ex conti-
nente in
Insulam
translata.

Maxima
incrementa
nouis
Armusii.

Causa ob-
sidionis
Armusiana.

tuum immunes esse deberent, ex æquo inter vtrosque diuideretur. Captiui qui ibi reperti fuissent, siquidem Christiani essent, Anglis dederentur, Musulmanni vero Persarum essent arbitrii. Belli sumtus vtrique æquis ferrent oneribus. Has tamen conditiones deinde Persæ ex parte mutauerunt.

A. D. XXII. Ianuarii mensis, anno A. N. C. MDCXXII. Classis Anglorum ad Armusium appulit, & XX. millibus passuum ab vrbe Anchoras iecit: propius enim ad Arcem accedere, tutum non erat. At alia ex parte Persæ Lusitanos in summas angustias redactos, prope ad deditionem compulerunt. Maluerunt tamen Lusitani, Anglorum, à quibus mari vehementer premebantur, quam Persarum fidei se credere.

Dum de deditione vrbis vltro citroque litteris agitur, a. d. IX. Februarii mensis XX. celoces ad Armusium appulerunt, vehentes MMD. milites Persas, qui eam noctem proiectis Anchoris in mari nauibusque exegerunt. Postero die facta exscensione, cum *Inamus Culibegus* Persarum Dux suos in acie constituisset, recta Vrbe petiit, eamque nemine resistente explicatis signis intrauit. In forum cum venissent Persæ, Lusitani facti o globo. se iis opposuerunt, sed mox despeata pugna, in arcem se receperunt. At dux Persæ, cum milites suos per centurias in vrbe vicos distribuisset, quiescere eos iussit, constituto capitibus supplicio, si quis diripere ciuium domos ausus fuisset. A. D. XXVII. Martii venit caduceator ab Lusitanis, qui arcem adhuc obtinebant, ad Persas, quos sine præfatione honoris aut proæmio ita allocutus est. Missum se à Præfecto Arcis ad Ducem exercitus Persici, vt sciscitaretur ex eo, qua de causa Persæ Lusitanis bellum intulissent, cum negari non possit, hæcenus bene inter vtramque gentem conuenisse: & si vel maxime aliquid simulratis aut litis obortum fuisset, amicitiam tamen illam non tam facile abruptendam, aut tam calamitosum bellum concitandum fuisse. Vt cumque autem hæc habeant, non abhorreere tamen Præfectum arcis, à pace aut induciis cum Duce Persarum, modo tales ferrentur ab hoc leges, quæ Hispanorum regis auctoritatem & honorem non imminerent. Et Lusitanum quidem non desperatione virium suarum hæc offerre Persis, cum vltra mille milites, viros fortes, in castello habeat, magnam insuper vim annoxæ pulueris pyrii & tormentorum, accedente certa spe propinqui subsidii à prorege India, qui *Goazil* residet: sed quod amicos magis habere velit Persas quam hostes. Quod si Dux Persa in obsidione arcis perseuerare constituisset, Lusitanis satis animi fore ad resistendum vsque ad extremum spiritum.

Parum placuit Persis insolentia Oratoris Lusitani, qui eam rusticitatem interpretabantur; eum igitur infecta re se celeriter ad suos recipere, & malo cauere iussit. Accepere & dimisere Persæ hunc Legatum, in scis Anglis, vnde suspiciones & odio horum in illos, concitata, & Angli nescio quid sinistra de Persis animis suis conceperunt. Hinc factum est, vt cum neque à Persa dominatore consuetis salutationibus exoperentur, & insuper magna vi pulueris emuncti fuissent, minus minusque societati illi fiderent. Dissimulanda tamen fuerunt Omnia, nisi & omni ex negotiatione vtilitate euerit, & in posterum mercimoniis priuari excludique mallent. Eo qui sequebatur die, & si Persæ Anglorum opera partem aliquam muri euerissent, oppugnare tamen eam ausi non sunt. A. d. V. Aprilis, cum Persis ingens vis farinæ triticæ submissa fuisset, transfuga quidam iisdem exposuit, summa obfessos omnium rerum inopia, in primis aquæ potabilis laborare, vnde multi quotidie siti confecti perirent. Persæ igitur a. d. XVII. Aprilis, cum incensis cuniculis subterraneis partem valli deiecissent, oppugnare arcem cæperunt, sed à Lusitanis mascule se defendentibus, repulsi, & aliquot ex iis interemti sunt. Paucis diebus post duo Lusitani cum vexillo pacis indice ad Anglorum naues venere litteras ferentes, quarum hæc erat sententia. Debere Anglos meminisse, quanta inter Britannorum & Lusitanorum gentes ab antiquissimis temporibus semper intercessisset amicitia, eoque nomine non tam hostiliter obfessos in arce oppugnare. Neque enim ignorare Lusitanorum Præfectum, etsi duobus locis Persæ vallum cum propugnaculo vi pulueris nitrati rupissent, Anglorum tamen id potissimum virtute & scientia factum esse. Orare igitur Præfectum, darent operam, vt inter Lusitanos & Persas honestæ pacis conditiones locum inuenirent.

Respondit Thalassiarachus Anglus etsi arx iam ita concussa sit tormentis, vt rupturæ vallicæ mœniorum Persas vel vltro ad oppugnationem inuitare possint: non se tamen optare vt Lusitani cum vxoribus liberisque Persarum traderentur furori & immanitati, quod certo futurum sit, nisi conditiones alicuius transactionis inuenirentur. Daturum se igitur operam, vt ei malo salutare remedium quæreretur.

His actis duarum dierum induciæ opera Anglorum impetratæ sunt, quibus finitis, Lusitani a. d. XXIII. Aprilis iterum litteras ad naues Anglorum miserunt, quibus significauerunt, dedituros se Anglis arcem, ea tamen lege, vt ipsi homines cum suppellectili sua Suratam

Armusii
obsidio
deditio.

Armusium
oppidum
à
Persis
captum.

Legatio
Lusitanorum
ad
Anglos.

Responsio
Anglorum.



Conditio-
nes deducio-
nis.

Arx Ar-
musiensis
occupata.

vel ad aliam aliquam Indiae ciuitatem, vbi Hispani dominarentur, incolumes traicerentur. Conscendere Angli, & duo ex illis in arcem missi sunt, ibi futuri obsides, donec conditionibus satisfactum esset. Idem & à Persis impetratum est, qui discedentes Lusitanos excuri diligenter voluerunt, ne quas res prohibitas secum efferrent. Neque tamen ea diligentia caueri potuit, quin prorex Armusienis cum Theauris suis per ruinam muri elaberetur, etsi illius rei Persas quosdam conscios fuisse, postea paruit.

Lusitani à
Persarum
sauiis per
Anglos ser-
uati.

A. d. XXIV. eiusdem mensis circa vesperam intransibus Anglis arcem, Persae simul in eam irruperunt, & cum iracundiae frenos laxauissent, crudeliter in faucios & aegros Lusitanos debachati sunt. Sequenti die ipse Inamus Chanus Triumphantis in modum arcem ingressus est. ea vespera Lusitani quidam, cum destituere scaphis in tribusque, nec ob earum defectum ad naues Anglorum accedere possent, in littore sub dio per noctem coacti sunt. Ad hos sexaginta equites Persae, qui ad custodiendas machinas aeneas missi fuerant, delati, parum abfuit, quin omnes illos in frusta conciderent. Anglis tamen interuenientibus, & deditio defendentibus, Lusitani illi seruati fuerunt. Postero die bis mille quingentos, partim Lusitanos partim Aethiopes nauigiis impositos, & litteris Salui conductus instructos, ne ab obiis iniuriis afficerentur, in ruta loca transportari curauerunt, fastique sunt ipsi Lusitani, plurimum se ob praestita humanitatis officia Anglis debere, quae an Angli in pari calamitate constituti, ab ipsis vicissim expectare potuerint, equidem non facile dixerim.

Hoc loco in descriptione rerum Persicarum sistemus gradum, duabus potissimum de causis. Primo, quia nostri propositi non fuit, Persici regni descriptionem & rerum in eo proximis annis gestarum, huic tractatui inferere, nisi quatenus ea Orientalis Indiae prouincias concernunt: deinde, quia plura in navigationibus, & praeliis inter Anglos & Lusitanos in Sinu Persico commisit, quae huc faciunt, se offerent, quo te, Lector beneuole, remittimus & nunc ad alia properamus.

CAPVT XXV.

PERIOCHE.

Transitus à rebus Persicis ad descriptionem potentissimi Sinarum regni, siue Chinae, factio initio à Peregrinatione Benedicti Goesii. Enarratio potissimarum prouinciarum illius regni. Explicatio Tabulae Chorographicae & Topographicae regni Chinae.

CVM in Vrbe Labora, in qua eo tempore Regiam habebat Magnus Indorum Monarcha Mogol dictus, versaretur N. Pimenta, è Societate Iesu, intellexit cum ex aliis, tum in primis ex Mahometista quodam, sene decrepito, multa de splendore & gloria amplissimi Sinarum regni, & quod in quibusdam eius regni partibus Sanctissima Euangelii de Christo Seruatore nostro doctrina locum haberet, & non pauci Chinesium sua Christianismo dedissent nomina. Haec omnia Pimenta primo ad Pontificem Rom. deinde ad Hispanorum Regem scripsit, impetrauitque mandata ad Proregem Goæ, vt Benedicto Goesio Lusitano Iesuitae omnia ad tam longum iter necessaria liberaliter suppeditaret, quibus instructus iussis summi Pontificis satisfacere, & profectioem suam in Chinam terrestri itinere instituere ac perficere posset. Goesius ergo sumto habitu Armenii Mercatoris, nouoque vsus nomine, cum se pro Benedicto Abulam Isain vocari diceret, impetratis in super litteris à Magno Mogol ad omnes regni Indici Praefectos & Satrapas, se in viam dedit. Armenium vero se ideo dixit, quia Mercatoribus illius gentis facilius est ad orientales Populos quam caeteris cuiuscunque nationis aditus.

Hoc in itinere, cum Goesius incredibiles superasset difficultates, aliquoties à latronibus spoliatus & in vitae periculum adductus, transita vtraque India, eis & ultra Gangem, peragrata Cathaia, postremo in Cara-Cathaiam, siue Nigram Cathaiam & regnum Cialiu peruenit. Hic exacta mora nouem dierum ad Murum illum miraculo similem, qui incredibili spacio in longitudinem productus, Tartaros à septentrionalibus regni Chinae limitibus dispescit, per XXV. dies subsistere coactus est, donec aperta per Praefectum illius loci porta intromitteretur. Totum autem istud spacium inter terminos regni Cialis & Longum Murum, Tartarorum assiduis incursionibus infestum est, vt Mercatores, cum interdum non sine maximo periculo transire possint, fere nocte cum silentio iter illud conficiant.

Trans-

Transito Muro illo Goesius, circa vesperam ciuitatem Socieu intrauit, quae in duas diuisa est partes, quarum illa quidem à Saracenis, qui plerique omnes Mercatores sunt, hæc vero à Chinesibus, quos Saraceni Cathaios appellant, habitatur. Sunt autem Saraceni siue Mahometistae in his partibus homines effeminati & imbelles, & ad arma prope inepti, vt à Chinesibus, siquidem hi vellent, nullo labore vinci & tota expelli prouincia possent. Ergo nocte à Chinesibus velut captiui habentur, & in suis ciuitatis plateis includuntur, interdum vero cum illis promiscue ambulant & negotiantur. Dum ab vrbe Socieu Goesius ad ciuitatem Paquin (siue Pequin) vbi Iesuitas esse nouerat, iter capeffit, & partim difficultate tam longae viae, partim sœuientis hyemis tempestatibus impeditus, in Sciensi prouincia moras trahit, in grauem torbum incidit, hausto, vt opinantur omnes, veneno à Saracenis propinato. Senferant Iesuitae, qui apud Paquin commorabantur, nescio quo pacto aut ratione Benedicti aduentum. Litteras igitur ad eum miserunt, quas ei grauius decumbenti Chinesis quidam ad fidem Christi conuersus exhibuit. ipse vndecimo post die mundo valedixit. Tollit autem omnem dubitationem de veneno, quod Saraceni mercatores, viae socii, iam dudum facultatibus eius inhauerant, quibus ipso viuio potiri non poterant. Est enim hæc consuetudo apud mercatores agminatim proficiscentes recepta, vt eorum qui in via moriuntur, bona inter socios diuidantur. Neque tamen impuri isti Mahometistae voto suo potiti sunt. Chinesis enim ille, qui literas à Iesuitis Paquiniensibus attulerat, cum se sorore Goesii natum pertinaciter affirmaret, & in signum eius rei cum caeteris Armeniis suillis carnibus vesceretur, post graue litigium apud iudicem bona ementiri auunculi sui Goesii obtinuit. Sepulto Goesio socius eius (bini enim, vt nouimus, ambulare solent) cum iuueni illo Chinesis deinde Paquinum profectus est, inde ad urbem Amacaonem remissus, cum conscensa naui Lusitanica in Hispaniam properaret, ab Hollandis circa Sincapuram interceptus, coactus est eis omnes suos commentarios, quos partim Magister ipsius Goesius, partim ipse conscripserat, tradere. Ipse anno sequenti à Lusitanis redemptus, inanis domum rediit.

Cum autem ad ipsius Amplissimi regni Sinarum cognitionem plurimum faciat tabula chorographica, eam statim in principio huius tractatus de regno Chinae lectoris oculis subicere volumus, vt hac velut manu ductione, ea quae dicturi sumus, facilius intelligantur.

(Huc referatur Descriptio Chorographica Regni Chinae.)

Porto de hac Tabula, & quo pacto ad nostram notitiam peruenerit, amice Lector, sic accipe. Archetypon ab ipsis Chinesibus confectum, illustris ille Orbis indagator, Sarris Anglus, apud Bantam Urbem Iauae Maioris hoc modo adeptus est. Mercatores Chineses, cum aduersam in illo portu fortunam habuissent, grandem pecuniam debebant Anglis Mercatoribus. cumque non essent soluendo, bona eorum iudicum Bantamensium sententia Anglis adiudicata sunt. Hi cum in capiendis Chinesium mercibus occupati essent, animaduertentes, quendam Chinesem capsulam furtim surreptam magna diligentia in sinum recondere. Anglus eo viso curiosior, cum aliud quippiam ibi latere existimaret, extorsit trepidanti cistulam, & eaque aperta, Mappam illam siue Tabulam Geographicam inuenit. Chinesis, quem non latebat, quanta cura hætenus res eiusmodi in occulto habita fuerant, & quod capitale esset, arcana illa exteris communicare, prouoluit ad genua Angli, supplicauit homini, vti sibi redderet Chartam illam. Sed nihil obtinuit. Et hoc pacto vera illa regni Chinesis, etsi obscura descriptio in manus nostras peruenerit. Non tamen ignoramus, multa in hoc apographo siue exemplo prototypi illius Chinesis, quo de superius diximus, deesse, quod appositos Characteres non fuerimus assecuti, & ideo eos exprimere superuacuum iudicauerimus. In ipsa Tabula satis constat, quadratras figuras maiusculas & lineola intermedia distinctas, praecipuas Regni vrbes & Emporia designare. minores vero cubi & orbis, quid proprie sibi velint, & quomodo hi ab illis differant, cum non satis constet, coniecturis locum dare nolimus.

Sed tamen imperfectiones illae obstare non possunt, quin vere dicere queamus, nunquam antehac tale quid in Europa visum fuisse, vnde patet, etiam praestantissimos nostri temporis, Geographos, Ortelium, Cornelium, Mercatorem, Hondium & alios quoscumque dum Chinam describere se opinantur, nihil minus quam id regnum representasse, sunt enim errores tam manifesti, vt qui in illis demonstrandis tempus consumat, ocio abutatur. Sed non est mirum, errati à nostris hominibus in tam abstrusis nullique cognitis rebus, cum non desint qui in multo clarioribus hallucinentur, & Indi quidem fluminis ostium iuxta Cambaiam, Gangem vero apud urbem Canton in China quaerant.

I 3

Erat

Saraceni
in regno
Chinae.Goesius.
veneno
sublatus
moritur.Mappa
regni
Chinaequo pacto
in manus
Anglorum
deuenerit.Signa illius
Mappa ob-
scura.

Erat autem Archetypon illud Chinesense à Charta subtilissima, quatuor pedes lata, & quinque longa. Non tamen omne id spacium delineatione provinciarum regni insumebatur, sed multa adscripta erant characteribus Chinesium, qui ab summo perpendiculari linea deorsum leguntur, facto initio à dextra versus sinistram. Quae qualia fuerint, cum à nobis legi aut intelligi minime possent, adscribere, ut laboriosum ita inutile fore iudicauimus.

Thoma Candisch Eques Anglus, qui nobilissimo ausu totum terrarum orbem circumnauigauit, notas quasdam à Chinesibus, quae cum Tabula nostrae Geographicae eleganter conueniant, eas in summa capita redactas, apponemus, quod ante plurimos annos quidem conscriptae, lucem tamen publicam ad hunc diem nondum viderint. In his tamen atque similibus monendus est *Leclor*, ad primam nominis alicuius mutationem vel flexionem non protinus cespitandum esse, cum variae in tam vasto regno sint dialecti & idiomata, secundum quorum pronuntiationem etiam scriptio formatur. Ut quae provincia *Nanquin* dicitur, alibi *Lanquin* effertur, mutato N. in L. *Paquin* etiam *Pequin* & *Puckin* effertur, quod & de *Cambalu*, *Taybin*, de *Xuntien*, *Quinsai* & aliis obseruandum est.

Prouincia Regni Chinesis. Prouincia igitur *Cansas* quatuor ciuitates maiores, minores viginti continet, castella 77. longitudo eius ad 50. milliaria porrigitur. Domos habet tributum soluentes 262000. milites in ea 139000. equites 47000. quae copiae semper praesto sunt Regi & ad imperium expeditae.

I. Cansa. Magna illa vrbs *Paquin* vbi rex plerumque habitare solet, prouinciae nomen dat, quae 8. vrbes egregias, 18. minores habet, cum arcibus siue castellis 118. domos vectigales 418789. Milites in ea ad bellum parati, tam pedites quam equites inueniuntur 25800. Vrbs ipsa quinquaginta gradibus ab Aequatore versus Septentrionem abest, vnde eadem aeris temperies, quae in media Germania.

III. Sohein. Prouincia *Soheinenfis* vrbes maiores 7. habet, minores 16. castella siue Arces 12. Est inter eas vrbes vna ceteris eminentior, quo velut ad diribitorium Chinesium milites confluere solent, quoties à Tartaris bellum imminet. domos vectigales regi habet 164118. milites 96000.

IV. Santo. Prouincia *Santo* siue *Sciantum* ciuitates maiores habet 6. oppida minora 14. castella & Arces 90. Longitudo eius mill. 82. Pedites ad bellum 63808. equites 31000. domos vectigales in ea 77555.

V. Oinan. Prouincia *Oinan* vel *Honan* vrbes maiores habet 7. minores 14. Arces & castella 90. domos tributarias 132958. milites vtriusque generis 82800. longitudo eius mill. 470. Abundat haec prouincia metallis fodinis, aere, argento viuo, & plumbo nigro, quae omnia alio exportantur.

VI. Quicheu. Prouincia *Quicheu* quae & *Quicheu* dicitur, octo vrbes maiores, 12. minores habet. castella 83. in quibus arma conseruantur, aduersus Indorum, qui vltra Cauchinchinam in occidentem habitant, irruptiones. ipsa prouincia ad 100. milliaria in longitudinem porrigitur, 405670. domos tributum regi soluentes & 32920. equites habens atque pedites.

VII. Nanquin. In celeberrima Prouincia *Lanquin* siue *Nanquin* vrbes maiores sunt 14. minores 17. oppida & castella 95. longitudo eius mill. 120. domos in ea numerantur vectigales 962818. milites habet 208900. inter quos 52500. Tartari equites mercenarii.

VIII. Vquam. Prouincia *Vquamensis* ciuitates habet magnas 14. oppida 19. Arces & castella 150. Longa est mill. 210. domos habens vectigales 53161. milites 71600.

IX. Som. Prouincia *Som* 7. vrbes maiores, 11. minores, castella 105. habet. porrecta in longitudinem milliarium 200. domos vectigales habet 139567. milites 34563.

X. Effiram. Prouincia *Effiramensis* vrbes habet 11. oppida 75. castella 80. longissime haec extenditur in mill. 400. domos tributarias habens 242135. milites 339000. Est in hac *Lacus constellationum*, qui ad dorsum regni Siam è regione *Champæ* cum *Lappianorum* finibus coniungitur. Ab hoc Lacu prodeunt fluuuii multi, qui per plerasque regni Sinarum prouincias sparguntur, vnde eum Chineses *Vniuersum mundum* appellant, & Lunam ac Stellas in eo depingere solent.

XI. Lansai. Numerantur in Prouincia *Lansai* vrbes maiores 13. interque eas primaria vna, quae toti regioni nomen impertiuit, minores vero 20. castella 53. longitudo eius mill. 160. domos in ea vectigales sunt 393629. milites 22700.

Prouincia *Cumisa* vrbes habet 12. oppida 45. Castella & Arces 51. milliaria continet 260. domos vectigales habens 1306390. milites tam equites quam pedites 110000.

Vnamensis

Vnamensis Prouincia ciuitates maiores 14. minores 36. habet. Castella 34. patet in mill. 88. domos in ea vectigales numerantur 89296. milites expediti 15100. *XII. Vnam.*

Prouincia *Foquiensis* maiores ciuitates habet 8. vnamque inter ceteras caput altius efferentem: & praeter hanc duas vrbes munitissimas cum praesidiis aduersus Iaponenses, qui in eas prouincias excursions facere & maritima loca infestare solent. Oppida pariter & arces habet 54. extenditurque in 200. mill. domos habet vectigales 50093. milites vero 403225. *XIII. Fuchian.*

Cantonensis prouincia 7. magnas & 40. paruas ciuitates habet cum 77. arcibus & castellis. Est autem *Canton* vrbs maritima, iuxta quam semper centum parata nauigia reperiuntur, ad defensionem littoris illius vsque ad *Cauchinchinam*. Continet autem ista prouincia mill. 83. domos vectigales 48338. milites 39400. *XIV. Canton.*

Vltima Prouincia *Enam* dicitur, habetque maiores ciuitates 7. minores 13. Castella & arces 90. patetque in longitudinem milliariibus 88. domos vectigales habens 58996. milites vero expeditos 15100. *XV. Enam.*

Et haec ipsa opinabatur *Saris* Anglus Nauarchus, fuisse illa, quae Characteribus Chinesium ad vtrumque latus tabulae illius Chorographicae adscripta fuerant, & quae nec ipse nec alius quispiam legere potuerat. Cum autem *Candisch* haec ab ipsis Chinesibus accepta consignauerit, ea ex Anglico Latina facta apponere voluimus.

Monachi, qui in Philippinis Insulis commorantur, (ait *Mendoza*) has prouincias paulo alii nominibus appellant, easque enumerant hoc modo. *Paquin*, *Foquien*, *Olam*, *Sinsay*, *Sisuan*, *Tolanchieu*, *Cansay*, *Oquiain*, *Ancheo*, *Honan*, *Xanton*, *Quicheu*, *Susuam*, *Quichean* & *Saxii*.

In dialogo vero apud *Amacaonem* Urbem anno A. N. C. MDXC. impresso prouinciae illae hoc modo enumerantur. *Coantum*, *Fuchien*, *Chequiam*, *Nanquin*, *Xantum*, *Paquin*. & haec quidem sex sunt Maritimae. nouem quae supersunt, in mediterraneis collocantur, suntque haec. *Quiansi*, *Huquam*, *Honan*, *Xiensis*, *Xansi*, *Suchuon*, *Quichieu*, *Iunan*, *Coansi*. Obseruauerunt autem nostri Europaei, ciuitates maiores apud Chineses, cum efferuntur, in *Fu* Syllabam desinere, vt, *Taibinsu*, *Cantonfu*, &c. minoribus vero syllabam *Chieu* in fine addi, vt *Hiamceu*, *Quianchieu*, & alia innumera. Nemo autem mirabitur tantam in prouinciarum illarum appellatione reperiri diuersitatem, cum nullum vocabulum apud Chineses litteris Alphabeti, vt apud nos fit, scribatur, sed notis tantum atque characteribus, quibus totum vocabulum innuitur, vnde cuius liberum est, pro variatione dialecti suae aut idiomatis eas exprimere: sic fit vt eandem notam, eundemque locum diuersi diuersimode efferant, cum ea res ipsas potius quam nomina repraesentent. Et haec eadem est ratio, propter quam nostri homines linguam Chinesium tam difficulter scribunt, cum ipsas Alphabeti litteras, in primis *Ch*, *Sch*, *K*, *q*, & *X*, aliter Lusitani, aliter Castulonenses, aliter Angli Germanique enuncient. Verbi gratia, quam urbem vulgo *Paquin*, hanc alii *Pekin*, alii *Paguin* dicunt, quam vulgo *Hiamceu*, ceteri *Yanchieu* & *Iansu* efferunt. Hispani *Xauchin* scribunt, & *Schauquin* legunt, nos igitur *Schauchin* scribimus. Adde quod praeter illa omnia tanta huius linguae fit difficultas, vt Iesuitae non nisi multo labore & sudore Sacri baptismatis verba addiscere potuerint, vt ea in administrando sacramento illo recte & sine haesitatione pronunciant.

Imagines Chinesium, quarum altera virum, altera mulierem refert, non ex nostro finis cerebro, neque fortuito, vel, vt aiunt, ad iactum aerae adscripsimus, sed simillimas ipsis iis, quas in Charta Indica expressas, licet satis impolite effigiatas, *Saris* Anglus accepit, in quibus ea, quae pictura expressa non sunt, taliter habent. Nasus iis & oculi parui, capilli oblongi & ab summo vertice in nodum constricti, vestimenta longa cum longis manicis, faminarum crura inuoluta: breuiter, pictura cum ipso gentis habitu, quantum in tam rudi & simplici delineatione fieri potuit, concordat. *Matthaei Ricci* imaginem Mappa appingeri voluimus, vt debitum ob indefessum laborem & diligentiam illi viro etiam in hoc genere tribueremus laudem.

Postremo si quis de veritate illius Tabulae Geographicae percunctetur: is sciat, quod praeterquam quod ab ipsis Chinesibus confecta est, etiam Iesuitarum de istis prouinciis relationibus satis conueniat. Qui decus & cetera, quae nostris tabulis adscribere ex principiis Geographicis solemus, in ea desiderat, ineleganter nostro iudicio facit, quod à gente harum rerum imperita argutias requirit. Barbariem in ipsa harum gentium affectata elegantia animaduertimus hinc inde, vnde nec gradus longitudinis aut latitudinis in Archetypo adscripti erant, nec syluae aut montes, aut locorum interualla. Fluuuorum tamen ductus & ostia, quin recte delineata sint non dubito. Verbo dicam. Optimam perfe-

Certitudo huius tabulae adstruitur vltimus.



perfectissimamq; hanc regni Chinenſis iudicabo tabulam, donec aliquis meliorem certiorremq; ſed ab iſtis Chinenſibus elaboratam, in medium proferat.

Fluuii Chi-
na maxi-
mi.

Quian fluuium, quem M. Paulus Venetus appellat, totiſque Orbis maximum arbitrat, iſ ipſe eſt, qui à Chinenſibus *Ianſu* vel *Hianſu*, vel deniq; *Ianſu* vocatur, hoc eſt, *Filius maris*, qui idem & à Septentrionalioribus populis *Cara-moram*, id eſt, *Niger* fluuius appellatur, quod aqua turbata & limoſa facta nigrum colore reddat. *Cara* enim Nigrum ſignificat. Sunt autem reuera duo fluuii hi, multumque inter ſe diſtantes, vt tabula noſtra pulcre exhibet, vterque ſtupendæ magnitudinis, in primis *Quian* ſiue *Chian* vel *Ianſu*, quem Paulus refert vltra ducentas vrbes & oppida alluere, iſque aquis ſuis negociandi commoditatem præſtare. Mihi autem de Veterum Prouincia *Mangi* cogitanti magis magisque ſuccurrit, nouem huius regni prouincias Auſtrales antiquum eſſe illud Regnum *Mangi*: Sex vero Septentrionales proprie ad regnum *Cathay* pertinuiſſe, & ab eodem intra proximis CCC. annos auulſos fuiſſe, cum Mangenſes ſiue Chinenſes proprie ſic dicti illas armis ſubeguiſſent. Certe antiqui de *Mangi* & Magna *Cathaia*, vt de diſtinctis regnis loquuntur: & Tartari etiamnum vicinioreſ ſibi Chinenſes *Cathaioſ*, remotioreſ vero *Mangiſ* appellant. *Quin* & ipſi Chinenſes vicini ſuos, qui magis in Auſtrum vergunt, per contemptum *Manginoſ*, vel, vt nos diceremus, *Barbaroſ* vocant, vt ex Ieſuitarum narratione accepimus.

China an
& quomo-
do ſit Pauli
Mangi
Prouincia.

Spacium illud magnum ſiue ductus atro colore notatus, quod verſus Circium & Corum ventum tabulæ noſtræ appictum eſt, quid proprie denotet, in noſtra manu non eſt diuinare. Erant appoſiti Characteres quidam, ſed quos nemo noſtrum legere potuit. Alii eos montes eſſe putant, quos imperiti pictoris manus aliter exprimere non potuit: nonnulli arenofum illud deſertum, cuius Riccius meminit hiſ verbis: *Ab occaſu qui vicinior eſt, cõterminus viſitur arena ſtidentis ager, qui multorum dierum penuria exercitus ab Sinarum regno aut deterret aut ſepelit.* Si quis tamen meam exquirit ſententiam, dicam, *Videri mihi illud eſſe ſignum Nigræ Cathaia, quæ deſertis, montibuſque nigricantibus & fabulo à Chinenſium limitibus diſtinguitur.*

Murum ita expreſſimus, vt in Architypo erat. nam eſi innumeri montes intercedunt, quorum beneficio ingens ſpacium muri illius expletur, alicubi attollitur, aut deprimitur, pictoris tamen ruditas eos exprimere non potuit, vt nec vllum montem per tam vaſtum regnum. Inſulæ quæ magno numero per Auſtralem Oceanum iuxta littus continentis ſparguntur, quam ruditer expreſſæ ſint, quiuis vider. Nomina eorum cum incerta ſint, partim audita, nec vlli noſtrorum hominum cognita, adſcribere noluiſimus.

CAPVT XXVII.

Nomina huius regni diuerſa. Titulus Regis, eius opes & amplitudo imperii.

Ptolem.
Geograph.
lib. 7. c. 2.
Eſaiæ 49.
12. Oſorius
in Paralip.
Iunius in
Annotat.

DE appellatione & nomine nobiliſſimi huius vaſtiſſimique regni varii varie ſenſerunt. Quidam idem hoc Ptolemæi *Sinarum* regnum eſſe arbitrantur, non multum abludente nomine, ſi *Ch.* vt Galli aliaque nationes quædam ſolent ante i. efferas. Nonnulliſ videtur *Iſaias* Propheta huius populi mentionem facere ſub nomine *Sinim*. Arabes enim eos *Tzinim* & *Zinim* appellant. Putat *Scaliger* hoſ à primis Luſitanis Chinenſes dictoſ fuiſſe. Alii, inter quos *Petrus terrius* eos ab omnibus prope Orientalis Indiæ populis *Chiiſ* vocitatos fuiſſe aſſerunt, incolæque *Zeylon* Inſulæ *Chin galeſ* dictoſ, & cinnamomum etiamnum à Perſis *Dar-Chini*, hoc eſt, *Lignum Chinæ* nominari. Poſtremo non deſunt, qui populoſ iſtoſ Chinenſes dictoſ autumant, deriuato nomine à ciuitate cui nomen eſt *Chincheo*. Verbo dicam: quot capita, tot ſententiæ, vt inter horologia citius quam hoſ Etymologoſ conueniat.

Meam ſi quis requirat opinionem, profitebor me ſententiæ Riccii quam proxime accedere, qui à Ieſuitarum Viſitatoꝝ anno A. N. C. MDLXXVIII. in haſ oras miſſuſ, XXVIII. annos ſibi exegit, vnde ei fortatte præ cæteris fides adhibenda. Hic, eſi in ſeptentrionalibus partibus huius regni poſtiſſimum tempus conſuſerit, nouem tamen annis poſtremis, ab anno MDC. vſque ad annum MDCX. (quo anno mortuoſ eſt) in ipſa vrbe regia *Paquino* vixit, cuiuſ commentarioſ rerum Chinenſium & obſeruatioſ diligentiſſimas *Trigautiuſ*, vt ipſe quidem gloriatur, ſumma fide & integritate in lingua Hiſpanica luci publicæ dedit, vnde pleraque hæc noſtra deſumta ſunt.

Iſ ergo Riccius Ptolemæi ſententiam approbat, eoſque quos noſ Chinenſeſ dicimur, verè

vere *Sinaſ* eſſe credit. *Ipſiſſima hæc eſt*, inquit, *Serica regio veterum, in qua non ditioꝝeſ duntaxat, ſed Serica regio & pauperriſi ex ima plebe ſericis induuntur veſtibuſ: adde quod eius materia quot annis viſ inſinita in exteras veturum, deportatur regioneſ.* Hæc ille. Narrat incolæ *Serica* lanæ vſum & opificium biſ mille ducentiſ annis (vt ipſi quidem ſupputant) ante aduentum Chriſti Seruatoriſ, apud eoſ inuentum fuiſſe. cuiuſ narrationiſ fidem ipſi præſtent. Non diſſitemur tamen, nullum omnium eorum no- minum, de quibuſ tantopere inter noſtroſ ſcriptoꝝeſ litigatur, ipſiſ Chinenſibuſ noꝝum eſſe, cum ſe ipſoſ à prouinciis regni, quaſ incolunt, denominent, vel pro auctoritate illiuſ familiae, qua thronum regiuſ poſſidet, cognomen aſſumant, vt noſtra memoria ſe *Taminoſ* vocant, id eſt, *valde ſplendidoſ.* Eſt tamen nomen, quod communiter omneſ retinent, ſcilicet *Ciumquo*, verū hoc aliud nihil eſt, ac ſi dicas, *Magnum regnum.* *Cochinienſeſ* eoſ *Cin* & *Chin* appellant, vnde *Luſitani* ſuum illud *China* mutuauerunt: *Iaponenſeſ* *Than*: *Tartari* *Haan*: *Saraceni* Occidentalioreſ, vt ſupra diximur, *Cathaioſ.* Elegantioreſ inter Chinenſeſ regnum ſuum *Chium* vocant, id eſt, *Hortum*. Terram enim quadratam eſſe ſingunt, & ſe in medio, velut horto amœniſſimo conſtitutoſ, vnde conſpectiſ tabuliſ noſtriſ Geographiciſ, cum ſe in extremum Orientiſ angulum compingividerent, moleſte ferebant, nec eaſ admittebant. *Ricciuſ* igitur, vt eoſ placaret, nouaſ fabricauit tabulaſ, in quibuſ eoſ (quia ita volebant) in medio collocauit.

Ipſe *Sinarum* rex ab ſuiſ *Rex Vniuerſi* appellatur: eſtque tantuſ gentiſ huiuſ ſaſtuſ & bar- bara quædam vanitaſ, vt omnia extra ſuum regna nugaſ eſſe opinentur, ideoque ea ſe dereli- cta, quod imperio ſuo & incolatu indigna iudicarent. Quamquam ſi quiſ omnium regum principumve hoc titulo dignuſ eſt, proſecto *Sinarum* rex iſ eſt, cum nullum in toto hoc vni- uerſo regnum latiuſ quam iſtud pateat, vnde & *Magni*, imo *Maximi* cognomento *Princepſ* iſte digniſſimuſ eſt. Nam ab Inſula *Haimam*, qua in *Mappa* noſtra Geographica eodem nomine exprimitur, extremumque verſuſ Auſtrum limitem conſtituit, ſub gradu XIX. ab Æquatore poſita, vſque in XLII. verſuſ ſeptentrionem extenditur. Deinde à gradu longitudiniſ CVII. vſque ad gradum CXXXVII. in Orientem immani vaſtitate porrigitur: cuiuſ quidem ſpaciū magni- tudo ex calculationibuſ Geographoꝝum & obſeruatiõne Eclipſeon manifeſta eſt. Ad regni vero huiuſ illuſtrationem non parum nobiſ videntur facere ea, quæ ipſi Chinenſeſ in libello quodam anno MDLXXIX. apud ipſoſ edito & impreſſo, perſcripſerunt, quæ noſ latinæ fecimur in hanc ſententiam. In hoc regno, inquit, duo ſunt ſuprema Tribunalia regia, & (ſi no- ſtro more loqui liceat) *Parlamentia*. Illud *Paquini*: hoc *Nanquini*. Illud curiam ſeptentrionalem, hoc Meridionalem vocant. Præter hæc duo ſumma, ſunt XIII. alia minora. Prouinciæ regni ſunt XV. in comitatuſ ſiue diſtrictuſ CLXXXV. ſubdiuiſæ. In hiſ omnibuſ ciuitateſ maioreſ, quarum nomina in ſyllabam *Cheu* exeunt, numerantur biſ mille quadraginta ſeptem. *Viri ar- miſ* apti in prouinciis iſiſ cenſentur ſuperare LVIII. millioneſ, non computatiſ pueriſ, mulie- ribuſ, Eunuchiſ, Militibuſ præſidiariis, iſſque qui in Magiſtratu aut officio aliquo ſunt. Sed nec viti docti & literarum ſtudioſi in eo numero comprehenduntur, qui ab omnibuſ veſti- galibuſ aliiſque oneribuſ immuneſ ſunt. Militum præſidiarioꝝum in vniuerſo hoc regno, etiã cum alta pax eſt, tamen ſemper numerantur, decieſ centena millia: & hi quidem omneſ ſtipē- dia percipiunt. Notandum hic, tantum eſſe in tribuſ Prouinciis ſeptentrionalibuſ militum in præſidiis, ob metum *Tartaroꝝum*, quantum in nouem reliquiſ.

Regnum hoc tam natura quam arte eſt munitiſſimuſ. Ad Auſtrum enim & Orientem vaſtum habet Oceanum. qua in Corum ventum vergit in manibuſ & arenofiſ ſolitudinibuſ à *Cathaio* ſeparatur, cætera in Aquilonem longuſ ille muruſ prætexit. Ad Occidentem altiſſimi monteſ, deſertaque cingunt, & reguluſ quidam Magno *Sinarum* regi veſtigialeſ: ita vt adituſ ab omni parte in hoc regnum ſit diſſiciliſimuſ.

Quia autem adhuc in generali huiuſ regni conſideratione verſamur, antequam ad pe- nitiora veniamuſ, videbimur quid alii de eo ſcripſerint.

CAPVT XXVIII.

PERIOCHE.

Exacta deſcriptio, quamuiſ contractior, Regni Chinenſiſ, è variis auctoꝝibuſ deſumta. Nomen, amplitudo, prouincia, vrbeſ, Regia, Soli fertilitaſ. Moreſ & rituſ, opes & diuitia, potentia. Gubernatio. Sacra & ſuperſtitio- neſ. Cataloguſ Reguſ.

Ampliſſimuſ illud potentiffimuſque Chinenſium Regnum, cuiuſ Ptolemæuſ nomen no- nit, potentiam non item, eſt illud ipſum, quod *Marcuſ Pauluſ Venetuſ* Prouinciã *Mangi* nominat:

nominat: nos vulgo vocamus CHINAM, quanquam ignari plane simus, cui fundamento in-nixus fuerit is, qui ei Orientis parti hoc nomen imposuit, nisi forte ex corruptione vocabuli ortum fuit, vt mutatis primis litteris pro *Sina China* dicatur: quod si factum est, praeualuit con-suetudo antiquitati, accedente nostri seculi assensu, quod posteriorem appellationem mordi-cus retinet, à qua nos quoque non discedemus.

Est igitur vastum illud regnum Chinesense totum situm cis Tropicum Cancri versus Se-ptentrionem, extenditurq; littus eius secundum Oceanum Eoum, vt ab ortu Solis terrarum extima putetur. Fines eius ab Oriente Oceanus Orientalis: à Meridie Cauchinchinae regnū: qua Occidens est, Brachmanæ Indi: qua Septentrio Tartari Cataienses sunt, inter quos mul-tos habitare Christianos, ipsam autem Tartariam Persico conterminam regno esse diximus.

Possederunt olim Tartari hoc Chinesense regnum, vt ipsorum Annales referunt, idq; to-tis annis XCIII. crudeli dominatione oppresserunt, quibus cuiusdam Regis indigenæ prudē-tia expulsis, murum struxere incolæ vt incursiones eorum arcerent, sibi que cauerent.

Vicini Chinesium eos vulgo *Sangley* vocant ipsi vero Chineses, si Magino & Merca-tori credimus, regionem suam *Tame*, seipsos *Tangis* appellant: vel potius, vt Auctori Historiæ Generalis Chinæ videtur, *Taybinco*, quæ vox cum Regnum tum eius incolæ denotat.

Extenditur autē ferme à Tropico Cancri, usq; ad LIII. gradum latitudinis, cōplectiturq; longitudine sua omnes Meridianos intra CXXX. & CLX. gradum. Vt autē exactius cogno-scamus eius amplitudinem, referemus ea, quæ ipsi Chineses in suis libris scripta reliquerunt.

Sic igitur illi censent, ambitum vniuersi huius regni constituere LXIX. millia DXVI. Diætas, quæ ratio est apud illos metiendi terras, quæ si ad Hispanorum metiendi calculum re-ducantur, facient in peridromo III. millia milliarium, & in longitudine MDCCC. Inueni-mus in eodem libro, vnde hæc metiendi ratio desumpta est, Chineses triplici mensuræ gene-re vt in Geometricis, ipsi vocant *Lij. Pu & Icham*, quæ voces prope nostris respondent: Stadio, quod continet passus CXXV. Milliario, & Diætæ, siue vnius diei itineri. Lij vocant tantum terræ spacium, ad cuius extremum vox hominis valide clamantis peruenire possit, cum aer tranquillus est, & locus planus. Decem huiusmodi Lij faciunt vnum Pu, id est, magnum milliaria Hispanicum, siue commune Germanicum. Decem Pu constituunt XII. milliaria Hi-spanica, siue X. Germanica, quod spacium ipsi vocant *Icham*. Et secundum hanc metiendi ra-tionem colligitur totius regni amplitudo, quam in superioribus adduximus. Etsi autem ex a-liis Chinesium scriptis maior amplitudo colligi potest, Martinus tamen Herrada, Prouin-cialis Augustinianorum in Philippinis Insulis, Cosmographus magnæ experientiæ, vidit ipse cognouitque, eorum sententiam quam nos secuti fuimus, esse veritatem, statuitque illam Pe-ripheriam & Diametron, quam nos superius assignauimus, facta metiendi initio à prouincia *Olam*, quæ est Meridionalior, & in *Malacam* vergit.

Diuiditur autem regnum istud, sumta simul Insula *Anaione*, in XV. prouincias, quarū vnaquæque suam habet Metropolim, & æquare vastitate sua potest quoduis magnum Euro-pæ regnum. Quædam illarum Prouinciarum denominantur à præcipuis Ciuitatibus, in qui-bus resident Prorex & Senatores. In his autem duæ sunt. *Pagua* & *Tolanchia*, quas rex ipse suo regit imperio, per Consilium sanctius, quod consueuerit ipse in alterutra harum suum ha-bere domicilium: accedente etiam hoc, quod sint omnium maximæ & populosissimæ. Nec tamen hæc solæ causæ eum inuitant, vt in harum altera habitet, sed potius vicinia Tartaro-rum quibuscum Chineses perpetuum bellum gerunt. Postremo, vt facilius obuiam ire possit tum multis turbisque, quæ in illis partibus sunt crebriores, simulque plus incommodi creare hostibus suis, ideo in his oris statuit Rex domicilium suum.

Est in medio huius Monarchiæ Lacus ingens, è quo plurimi prosiliunt fluuuii & torren-tes, quorum illi quidem adeo abundant aquis, vt inde variis nauigiis in diuersas regni partes nauigari possit, qui fluuuii amnetque insuper tam fecundum humiditate sua reddunt solum, vt omnes res bonas in copia gignat, vnde & ripæ fluuuiorum illorum scatent oppidis villisque. Referunt autem Annales Chinesium, quod in XV. illis prouinciis sint magnæ Vrbes CXV. oppida MDXCIII. non connumeratis vicis oppidulisque.

Porro totius huius Imperii siue Monarchiæ caput appellatur vulgo *Xuntien* siue *Ta-biin*, à nostris *Quin-zai*: significat autem *Xuntien* lingua Chinesium urbem Cæli, cuius tanta esse perhibetur magnitudo, vt homo expeditus in equo vnius diei spacio eam circumequitare vix possit. Sunt autem nomina XV. prouinciarum hæc. *Pasquia*, *Can-ton*, *Foquien*, *Olam*, *Cinçay*, *Susnam*, *Tolanchia*, *Cansay*, *Oquiam*, *Auccho*, *Honam*, *Xanton*, *Quicheu*, *Che-queam*, & *Saxii* siue *Sanci*. Omnes hæc, in primis maritimæ, separatae sunt ab inuicem eximiiis flu-uuu aquæ dulcis, profundis & nauigabilibus, altis vtrimque ripis, in quibus tot assurgunt vrbes

vrbes & oppida, vt ne numerari quidem possint, nedum nominari, cum Chineses tam sint curiosi, vt in libris suis referant, non oppida solum, sed & palatia ac viuaria procerum delecta-tionis ergo in ripis excitata. Nobis sufficit numerum duntaxat indicare Urbium oppido-rumque, in vnaquaque prouincia, ne vel barbarorum nominū asperitas vel prolixitas lecto-rem offendat.

Habet igitur Prouincia *Paquia*, in qua domicilium regis & summus Senatus, Vrbes quidem XLVII. oppida CL.

Prouincia *Cantonensis*, Vrbes XXXVI. oppida CXC.
Foquien habet Vrbes XXXIII. oppida CXCI.
Olamensis Prouincia, habet Vrbes XC. oppida CXXX.
Prouincia Cinsaiana, Vrbes XXXVIII. oppida CXXXVIII.
Susnanensis habet Vrbes XLIV. oppida CL.
Tolanchiana prouincia habet Vrbes LI. oppida LXIII.
Cansaiana Vrbes habet XXIV. oppida CXII.
Oquiamensis habet Vrbes XIX. oppida LXXIV.
Ancheonensis Vrbes XXV. oppida XXIX.
Honamensis habet Vrbes XX. oppida CII.
Xantonensis habet Vrbes XXXVII. oppida LXXVIII.
Quicheuanæ Prouinciæ sunt Vrbes XLV. oppida CXIII.
Chequeamensis sunt Vrbes XXXIX. oppida CV.
Sancien siue *Saxien* Vrbes XLII. oppida CV.

Solent autem Chineses fere terminare Ciuitatum nomina in Syllabam *Fu*, quæ urbem si-gnificat, cuiusmodi sunt *Tabinfa*, *Cantonfa*, *Quelinsu*: oppidorum vero vocabula exeant in *Cheu*. Aiunt autem in solo fluuio *Canton* plures reperiri celoces, *aphracta* & alia nauigiola, quam in tota sint Hispania. Regio ipsa Cæli ac Soli temperie, & æris bonitate omnium re-rum bonarum est ferax, abundans tritico, oriza, leguminibus, nec vllum est anni tempus tam intemperatum, vt non vel seminetur, vel metatur aliquid atque colligatur. In omnibus vrbi-bus, vbi Proreges & Gubernatores commorantur, erecta est imago Regis opere *Phrygio* au-læo vel *peristromati* in exta, cum inscriptione, *Mundi Dominus ac Cæli Filius*. In vniuerso regno Chinesium nulli cum telo ambulare fas est, nisi illis, quibus hoc peculiari priuilegio à rege per-missum est, transeunte iure illo portandi arma velut hæreditate etiam ad liberos eorum.

Sunt autem in tanto Urbium numero fere CC. eminentiores cæteris, quæ pleræque; ex-structæ sunt in ripis fluminum nauigabilium, fossis cinctæ latis profundisque, inclusæ muris è lapide quadrato, quibus incumbit aliud structuræ genus è latere cocto, non ex argilla aut fra-gili luto, sed eadem materia, vnde vasa Porcellana (sic appellantur) conficiuntur, cuius ma-teria ea est soliditas, vt successu temporis coalescat inque vnâ densetur massam, vt partes ne validissimis quidem ferramentorum ictibus disiungi possint. Muro-rum ea est crassities, vt in iis quaterni homines simul ingredi possint, al cubi etiam sex, præter proiectoras & exedras crebro intercurrentes, in quibus sæpe proceres animi gratia deambulant. Ad defensionem murorum multa addita sunt propugnacula, & turres, & loca constituendis tormentis æneis apta, inuicem sibi respondentia, cum excubiis idoneis locis dispositis, vt nihil ad summam muniendi custodiendique diligentiam structoribus defuisse videatur. Horum murorum quidam perhibentur erecti stetit ad II. millia annorum, nec tamen vllam præ se ferre ve-tustatem aut agere rimam videntur. Plerarumque illarum urbium, quas cæteris eminentio-res esse diximus, structura talis est. Duas habent singulæ præcipuas & quasi regias plateas, longas laticque valde, in crucis formam diuisas, vt inde directus pateat prospectus ad qua-tuor vrbes portas, quæ inter se æquis distant spatiis, quæ quidem est res miræ amœni-tatis.

Intersecantur autem duæ illæ plateæ cruciformes aliis minoribus, in quibus multa in-ter plebeias domos exsurgunt ædificia magnifica tam publica quam priuata, quæ velut indi-cium præbent atque notas viarum & regionum. Visuntur in compitis Arcus quidam velut *Triumphales*, vbi conuenire solent tam ciues quam peregrini. Et porticus ibi sunt crebræ, procurrentes in publicum, quibus, vt & tabernis opificum & institorum, arcentur à commo-dibus pluuiæ aliæque aeris incommoditates.

Vix autem quisquam Prorex aut Gubernator elapso tempore præfecturæ suæ abit pro-uincia, quin arcum aliquem aut opus laqueatum è polito lapide, cum variis inscriptionibus, in sui post se relinquat memoriam.

Loco vrbis commodissimo frequentissimoque assurgit superbum Palatium, habitatio



Proregis, cum adiunctis hortis, viridariis, fontibus salientis aque & inde profluentibus rivulis, omnia facta ad delectationem horum Dynastarum, qui insuper eo loco habent sua nemora, cum viuariis, leporariis & Ornithonibus, vt hæc palatia cum mediocrib. oppidis comparari queant. Domus priuatorum maritimæ ferme humiles sunt: at interiores & à littore remotiores plura habent tabulata, pictæ intus & foris vel candidissimæ illitæ rectorio. Ad introitum huius Palatii Atrium est amplum & capax, perpectum variis armis nobiliū, exornatumq; Idolorum statuis. In ipso vestibulo occurrunt piscinæ plenæ piscibus, & horti pensiles, etiā in tectis ædium. Tota structura est ex lapide cæso & affabre polito, vt splendore suo colorem auri mentiatur. Tecto singularis firmitas, vt omnes facile respuat imbres, comperitumq; est huiusmodi tecta ad ducente simū durasse annum. Colliquiæ & suggrundia è puro marmore sunt facta. Ante portas stant a. bores patulæ & virides, pulchro ordine & ad lineam plantatæ, tanta amœnitate, vt de bile lassosq; recreare ac reficere possint oculos. Etsi autem multæ harū vrbium satis amplis intersecantur fluuiis, canales tamen atq; fossæ hinc inde factæ naues mercatorias in ipsas vrbes & forā vsque inducunt, magna commoditate, vt in quibusdā inferioris Germaniæ vrbibus videmus, nusquam deficientibus aggeribus pontibusq;, quibus flumina vel coercerentur vel sternuntur, ad commoditatem viatorum. Si qui fluuii ob vastitatem aut inundationes pontes ligneos lapideosq; non admittunt, eorum ripæ iunguntur pontibus è scaphis lenunculisque factis. Extra vrbes, in primis maritimas visuntur suburbia magnificis structuris plena, cum vicis plateisque satis elegantibus, & diuerforiis ad excipiendos hospites, in quibus præter potum sapidissimum omnis generis cibaria & cupediæ reperuntur.

Minorum oppidorum, quorum quædam III. millibus familiarum constant, ita tamen vt proximi pagi & velut cohærentes simul sumantur, tanta est multitudo, vt numerus iniri nō possit. Situs eorum fere amœnus, aquarum lignorumq; copia, domus altæ etiam ruri in quibus crebri degunt agricolæ, opulenti sane & omnibus rebus affluentes. Habent autem singulæ fere domus portas ternas, quarum quæ medium obtinet maior est cæteris, obseruata proportione in ædificando.

Negari autem nullo modo potest, Architectos fabrosq; hoc regnū habere præstantissimos, nec vllibi per Orbem materiam ad ædificandum haberi meliorem, cum, vt diximus, terra alba sit, è qua fiunt lateres tantæ duritiei, vt malleo vix frangi possint. Viæ per regnum præcipuæ lapide cæso stratæ sunt, planæ rectissimæq; vsque ad Montes, pavimento aprissimo, vt ii, qui viderunt, inter res, quæ in hoc regno admiratione dignæ sunt, vias illas referant. Narrant Lusitani, vidisse se in vrbe Fucheo Turrim, XL. innitentem columnis ex solido marmore quarum altitudo fuerit quadraginta palmorum, latitudo XII. Hoc opus esse tantæ magnitudinis, tam insignis splendoris atq; sumtus, vt omnes totius Europæ superbas & magnificas structuras longo post relinquat interuallo. A surgere autem hoc tantum opus ante Palatium Præfecti Arario Regio.

Cum autem in superioribus Muri illius mentionem fecerimus, qui Chineses à Tartaris dispescit, hic quædam magis exacta de eo referenda sunt. Longitudo eius cū interiectis montib. D. milliaria constituere (vel potius Leucas) creditur: incipitq; ab vrbe Ochioio, que sita est inter duos præaltos montes, potrigiturq; ab Occidete in Orientem, structo ipso muro à Rege quodam Tzinzone aduersus irruptiones Tartarorū. Quod autem de D. Leucis diximus ita capiendū est, vt CCCC. Leucæ occupentur montibus, & spacia intercurrentia, que muro obstructa sunt, reliqua centū conficiant. Ipse porro murus è saxis quadratis ingentibus fabricatus est, quorum plerorumq; tanta est magnitudo, vt quinq; Orgyas habeant in latitudine, VII. in altitudine. Initium huius nonnulli sumunt à Mari in Prouincia Cantonensi, deducuntq; cum per Pasquiam & Canaiam, finiuntq; in Sufana. Rex hoc opus moliri volens, tertiam partem habitatorum regni ad id admouit, qui prope omnes interierunt, vel difficultate viæ & laboris, vel mutatione aeris. Sic opus hoc tam sumptuosum & operosum in causâ fuit, vt totum regnum concitata leditione rebellaret, factoque impetu in regem eum trucidaret, cum regnauisset annis XL. & toridem filius eius Agnitzius.

Nunc deinceps videnda est ipsa huius Monarchæ habitatio & regia, ne quid desideretur eorum quæ in hoc regno consideratione digna sunt. Est ea in vrbe Taybin siue Xuntien, vt superius diximus, ob viciniam Tartarorum, in regione vel prouincia Pasquia, siue etiam ob aeris, quo prouincia illa perfatur, puritatem & salubritatem, ipso nomine Vrbis tale aliquid innuente, cum Xuntien ciuitatem cælestem sonet. De huius vrbis incredibili amplitudine superius diximus, vbi tamen suburbiorum mentionem nullâ fecimus, quorum omnium ambitus non existimatur minor ipsa vrbe. Populi in ea tantus putatur esse numerus, vt ipsi Chineses afferant, CC.

rant, CC. millia ad militiam apta inde legi posse, quorum pars media equites sint, si vrgens aliqua necessitas regnum premat. Ad introitum huius Vrbis versus Orientem offert se oculis ingens illud & superbium Palatium Regis, visitata eius habitatio, quanquā etiam duo alia sint; vnum in media vrbe alterum in extremo latere Occidentali. De Primo illo & Magno Palatio narrant, id tam amplum ac spaciosum esse, & tam plenum singulari consideratione dignis rebus, vt quadridui spacio perlustrari omnia non possint.

Iam primum septem cingitur muris, tanto spacio ab inuicem dissidentibus, vt in singulis intermænianis X. millia militum, custodū corporis regii, versari possint. Intus sunt LXXXIX. Palatia siue Cænacula magnifica, artificii stupendi, in quibus magnus numerus sceminarum versatur, ad seruitium regis, quod alibi à nobilibus viris & ingenuis adolescentibus præstat. In præcipua autem admiratione sunt quatuor Basilicæ, in quibus consuevit audire Rex Oratores exteriorum Principum, vt & respondere Principibus Proregibusque regnorum suorum, quantum hoc rariis accidat, cum vix vnquam in populi conspectum prodire soleat hic Monarcha. Omnium harum Basilicarum tanta est elegantia, tanta artificii præstantia, tanta materiæ æneæ, argenteæ, aureæ, gemmæ præcia, vt calamo satis digne exprimi nō possint, in primis vero quartæ, quæ tres anteriores multis parasangis superat, vnde & Palatium Theauri regii à populo appellatur, vere dignum nomine isto, cum tantas opes in theauris suis vix vllus rex possideat, quantæ in illa Basilica visuntur.

Porro præter hos thesauros inter Cimelia huius regis infinitæ res stupendi precii & plane inestimabilis, interque eas Thronus regius, in quo Monarcha ille consistere solet, quoties Maiestatem ostentat suam, factus quidem ex marmore præstantissimo, exornatus autem gemmis infiniti precii, in primis Pyropis tantæ magnitudinis & splendoris, vt vel atram noctem illustrare possint, aiuntque tantam illi parti Basilicæ affundi ab hac Cathedra gemmata claritatem, quanta ab incensis cereis funalibus afferri possit. Pariter structi exornatique sunt huius Palatii parietes, vbi cum præstantia materiæ certat artificum peritia, vt omnes, qui de eo scripserunt, vno fateantur ore, nihil preciosius aut magis absolutū in vllō totius Orbis regno inueniri posse, cum nihil vspici sit pulchri aut speciosi, quod hic non exquisitū conspiciatur.

Postquam vidimus vasti huius regni amplitudinem, & numerum vrbium oppidorumque in eo recensimus, & ædificiorū in eo magnificentiam considerauimus: consequens est, vt videamus, an ipsum solum tanto splendore dignum sit, & an possit ædificantibus ex sese ^{Qualitas & natura soli.} suppeditare tam insanarum substructionum sumtus & materiam.

Primum igitur sciendum est temperamentum aeris & soli in tanta prouinciarum huius Monarchiæ varietate, longe diuersissimum esse, in tanto præsertim terrarum spacio, quarum aliæ in Septentrionem, aliæ in meridiem vergunt, ita vt quamuis quædam huius regni partes, interque eas Insula Aynan, tantum XIX. gradibus ab Æquatore absint, aliæ tamen vltra quinquagesimum latitudinis gradum extendantur, vt in descriptione Situs huius regni ostendimus. Facit eadem magnitudo & prouinciarum distantia magnam coloris diuersitatem in corporibus incolarum. Lusitani enim qui apud Vrbem Canton cum Chinesibus negociantur (non longe enim abest ab Macaone) narrant, Chinesum ibi mercaturam exercentium facies colore valde dissimiles esse. Qui enim in Prouincia Cantonensi nascuntur, in que toto eo tractu, fulci sunt, sicut Numidiæ & Mauri in regno Fezzano Africa, cum hæc regio Cantonensis iisdem sit subiecta Parallelis, quibus Numidia. Qui vero interiora regni incolunt, facies sunt alba, magis minus que, prout prope vel procul à frigidioribus Septentrionis partibus absunt. Videas ergo quosdam capillitio nigro referre Hispanos, alios rufum flauos rufosque esse, vt Osermani sunt. Sic igitur est: Calidum an frigidum sit hoc ingens regnum, generatim dici non potest, cum sit comprehensum in Zona temperata: vnde & fertilitas eius cognosci potest, quæ sine dubio maxima est, etiam si cum ea comparare velis Nouam Hispaniam vel Regnum Peruanum.

Est enim extra controuersiam, solum ibi terque quaterque fætificare per annum vnde & aeris clementia colligi potest. Infantibus puerisque hic omnia plena esse videas, instar formicarum, ob fecunditatem mulierum, suntque hi pueri grati admodum & venusti, dum pusilli sunt.

Si vero de fructibus arboreis quæstio est, nullum hic genus desiderare possis eorum, qui alibi præsertim in Hispania proueniunt, sed & multi peregrini ibi visuntur, nostroque Orbi incogniti, qui tamen omnes sunt sapore præstantissimo. Aureorum malorum genera hic tria, quorum vnum tam dulcem fundit succum, vt suauitate vincat faccarum: cætera sunt cum quodam acore permixta.

Prunorum hic quædam species, quam ipsi Lechiam vocant, cuius tanta est suauitas, vt K 3 satiari



fatiari ea comedentes non possint, accedente alia quoque virtute, quod nec stomacho nec intestinis noxia sint. Melopeponum magna hic abundantia, qui magni sunt, nec minus sapidi, vt & alia quædam huius generis, quibus omnibus sapor gratissimus.

Saccari ob nimiam copiam vile precium per vniuersum regnum, vt centena libræ, etiam cum augetur precium eius, non pluribus quam VI. Regalibus nummis vendi soleant. Idem de melle sentiendum est & cera, quibus integræ naues onerariæ impleri possunt. Serici hic & multitudo ingens & bonitas perfecta. Lini plurimum, vnde parantur vestes plebeiorem, sparti autem cannabisque tantum, vt exiguo precio carbasa rudentesque, pro nauibus haberi possint.

In locis sterilibus, vbi terra asperior est & petrosa, multum crescit gossipii, cumque cultus est ager ille, profert siliginem, auenam aliasque frumenti species, non sine fœnore. Sed reuera irrigantur agri hinc inde per totum regnum incredibili multitudine fluuiorum & riuorum, vt Orizam magna gignat abundantia, qui vsitatus est horum populorum cibus, colligiturque tanta copia, vt vilior quam credi possit precio vendatur. Neque vero vel hoc vel cetera frumenti genera semel in anno, sed fere bis, alicubi etiam ter metuntur, vt supra diximus. In locis editis montosisque, quæ culturam non admittunt, pulchræ pinus assurgunt, strobilos magnos & palato gratos proferentes, intercurrentibus crebris castaneis, neque tamen solum inter has arbores ferari sinunt, sed serunt ibi frumentum Indicum, quod vulgo *Mai* vocant, estque vsitatissimum populorum in Peruana & Mexicana cibus. Est autem pratorum ibi totiusque adeo planticie mira amœnitas, omniaque variis perpecta sunt floribus, quibus à nostris cum ratione odoris tum speciei magna est diuersitas; accedentibus variis arboribus, ordine & velut de industria dispositis, quibus fere fluuiorum ripæ prætexuntur.

Loytia, quos Chinesium Doctores & Iureconsultos esse diximus, habent fere viuaria & nemora arte confita, in quibus multi oberrant capri, damæ, cuniculi, lepores aliaque; feræ diuersi generis, sed & mures Pontici, viuerræ aliaque bestiolæ, quarum pelles in magno sunt precio. Moschi odorati hic magna copia, qui colligitur ab animalculo quodam, quod vescitur odorata quadam radice, quam illi *Camatuam* vocant, ad digiti vnus magnitudinē. Boum vacuarumque hic tot & tanta armenta, vt singulis binisue ad summum coronatis vendantur: Bubalis maius & ferme duplex precium. Porcorum hic greges innumeri, quorum carnibus nihil inest noxii, vt de salubritate cum veruecina per Galliam Hispaniamque certare possint. Auitii generis incredibilis copia, præsertim aquatilis, cuius tanta multitudo, & præcipue Anatum, vt in Vrbe Canton, quæ vna est ex minoribus huius regni, decem vel duodecim millia vna septimana comedantur.

Pullorum Galinaceorum & caponum tantum ibi, vt eorum carnes mundatæ ad libram appensæ vendantur, velut apud nos bubulæ, nec precio multo maiore.

Herbarum radicumque ad Medicinam vtilium fœcunda mater est hoc regnū, in primis Rhabarbari optimæ notæ, gignit & Radicem *Chinam* dictam, cuius efficax vsus ad multos morbos curandos in primis Apoplexiam, Paralytin & Morbum Venereum. Cetera Aromata, etsi à mercatoribus ab Indiis Moluccisque Insulis huc afferuntur, vili tamen precio emi possunt, in primis Caryophylli & Nuces Myristicæ. Piscium hic maior copia, quam ad fidem dici possit, neque in regionibus duntaxat mari vicinis, sed in remotissimis ab Oceano regni partibus, ob fluuiorum lacuumque multitudinem.

Eruuntur terra omnis generis metalla, interque ea aurum & argentum, quanquam regnilegibus prohibeantur ciues, ea curiosius in terræ visceribus perquirere, ita vt multum metallorum ab exteris importetur. Neque tamen propterea locupletiorum domus eo minus plenæ sunt vasibus aureis argenteisque, aliaque preciosa suppellectile, quanquam nonnulli affirmant, argento apud Chineses esse quam auro maius precium, quod pluri fiat ab illis. Margaritæ hic copiose reperiri superius diximus. Inter metalla, quæ Chineses solū producit, refertur etiam argentum viuum, vt & æs, ferrum nucleusque ferri, stannum album nigrumque; præterea sulphur, Cadmia & alia eius generis. Vni incommodo & prope soli Chineses obnoxii sunt, quod crebris regionibus illæ concutiantur terræ motibus, quibus aliquando non ædes tantum sed oppida & vrbes euertuntur.

Cum apud nos fere vsuueniat, vt in magnis vrribus locupletibusque prouinciis multi reperiantur errones, desidiosus multi, & inutilia terræ pondera; apud Chineses tamen, quamuis regnum omnibus rebus abundet, nullos fere inuenias, qui ocio & inertia torpescunt, sed omnes labori alicui addicti, in primis illud operam dant, vt terram suapte spõte liberalē, cura & solertia meliorem reddant, nihilque ociari permittant, quicquid ad culturam perducipotest, vsque ad latum pedem. Hos autem labores facile ferunt, studiosi rerum suarum, & gnari, planetas

Mores Sinarum sine Chinesium.

planetas & vagabundos non infamiae nota duntaxat inuri, sed & grauibus puniti supplicii. Accedit, quod eius Chinesis, siue in Vrbe siue in agro natus sit, pedem prouincia sua efferre prohibetur, necesse igitur est, vt augete ciuium numero agrum colant, si viuere commode velint.

Cum insuper Chineses naturæ quadam inclinatione indulgere genio & cuticulam beare soleant, vestiumque munditiei studeant & nitore domiciliorum suorum, necesse habeant, vt attentis sint ad rem familiarem, & cultura diligentiaque fundos suos reddant fructuosiores. In emendo vendendoque nihil metiuntur vlna, ne telas quidem lineas, sed omnia ponderant, quod minus in trutinando quam mensurando fraudis interuenire possit. Neque tamen ipsi à circumscribendis decipiendisque peregrinis abstinent, quibuscumque negociantur, in primis in vendendo Musco siue Muscho odorato, quem hunc in modum conficere solent.

Animalia illa, à quibus hoc odoramentum colligere solent, fustibus baculisque cædunt, vsque ad mortem: cumque probe obturauerint omnes meatus corporis, per quos sanguis extillare potest, deponunt occisam bestiolum in locum quendam, in quo celerius putrescat. Sic ossa verberibus contracta, & carnes contusæ sanguine suo mixtæ, vbi putredine velut fermentata sunt, odorem illum profus concipiunt imbibuntque. Vbi satis cõpatriuisse visum est totum animalculi corpus, dissecatur cum ipsa pelle in minutas partes, indeque conficiuntur parui sacculi quos Lusitani *Papos* vocant: & hic est optimus Moschus præstantissimusque, qui ab Orientis partibus ad nos adfertur, quamuis multiplices deceptelæ ad augendum pondus interuenire soleant.

Sunt autem maxima ex parte Chineses temperamento corporis bono præditi, pulchra membrorum compage, agiles hilaresque, pluresque inter eos proceri quam humiles breuesque. Facies iis vulgo lata, oculi parui angustique, suntque fere Camuti siue Simi. Barbam, vt Europæi, non habent, sed pauci quidam rarique admodum erumpunt ex mento capilli. Non quidem negauerim, esse inter eos quosdam, quibus oculi patentiores, barba commoda, & facies nõ deformis: sed hi cum cæteris collati, oppido quæ pauci sunt, putanturque; genus ducere ab exteris nationibus, quæ se olim cum Chinesibus miscuerunt, dū adhuc integrum fuit exire regno. Vngues in digitis sinistrae manus crescere sinunt, in dextra vero abscindunt. Comam ab occipitio promittunt, neque caret illa circa vngues & capillos cura superstitio, cum illis se arreptos ad cælum eleuatum iri putent.

Vestitus quo viri Principes Nobilisque vtuntur, versicolor est, è lana serica purissima, quæ exquisite parare actingere nouerunt, vt splendore quodam oculos feriat. Vulgus & qui cum re sunt tenuiori, & ipsi serico vestiuntur, sed velut excrementitio, atque ob id minoris precii, vel etiam amictu vtuntur è lino vel Xylino. Estque hoc amictus genus habile & leue, pro qualitate regionis, quæ temperata est, vnde panni lanei hic nullus vsus. Sagis operiuntur antiquo more sinuosis, & in plicis minutas collectis, dependente sacculo à sinistro latere: manicæ in iis sunt amplæ & capaces. His sagis superiniiciunt amplas tunicas siue togas nostro modo, nisi quod illorum togæ manicatæ sunt, vt pallæ lucubratioræ.

Qui è sanguine regio orti sunt Principes, aut dignitate inter cæteros eminent, in eo differunt ab Equestri Ordine, quod virorum Principum saga in medio, qua cingulo locus est, aureis, argenteisque lemniscis circumdantur, cum cæteri ea ornamenta duntaxat in simbrisis gestent. Caligas siue femoralia gestant valde conuenientes, & ocreis calceisque vtuntur holoseris: quamuis autem hyems apud eos sit vsitato more clemens & benigna, solent tamen per id tempus vestibus vtri pelliceis, è pellibus preciosissimis, quibus cum reliquum corpus tum in primis collum muniunt. Sed & qui cælibes sunt, ab vxoratis differunt in eo, quod illi comam supra frontem nutriunt, & pileis caput tegunt altioribus.

Mulierum circa amictum magna est curiositas, differtque earum vestitus non multum ab Hispanico. Gemmis vnionibusque velut obstæ incedunt, aliisque quæ mundum muliebrem exquisitiorem faciunt, vtentes semifagulis, cum amplis manicis, quas infra mamillas colligunt. Materia vestis est vel preciosa vel vilis pro modo facultatum. In exornandis crinibus suis multum ponunt studii, quos variis cincinnis circa tempora torquent colligantque; longa vitra velut tænia, vnionibus gemmisque graui. Faciem cerussa pingunt, inque prima pulchritudinis parte ponunt, si quam minimos habeant pedes: qua de causa puellarum pedes à prima infantia adstringunt coherentque, etiam cum dolore, ne nimis excrecere possint. Quanquam huic rei etiam alia causa assignari soleat, nempe zelotypia maritorum, vt compressis ad hunc modum cruribus pedibusque, discurrere facile non possint, imo non nisi magno labore domo exire. In duit autem antiquissima hæc consuetudo propemodum legis naturam, vt si qua mulier, vel puella eam violaret, infamiae notam non effugeret. Sed & in aliis rebus honestati student, de-

gunt.

guntq; fere intra septa domus, vt vix de fenestra aut ianua prospiciant. Si quæ maritus ad cenam inuitauit, vxor ad mensam minime accedit, nec in conspectum hospitis prodit, nisi propinquus sit aut sanguine iunctus. Si quæ patrem, vel matrem, vel agnatum inuisere cupit, portatur infidens sella gestatili à quatuor seruis, sic cooperta cathedra, vt ipsa quidè videri à nemine possit, probe tamen conspiciat omnes, quacunq; transit. Sequuntur eam serui ancillæq; magno numero. Sic fit, vt rarissime occurrat tibi in platea mulier aliqua è nobilioribus aut dignioribus, sitq; monstro simile, aliquam videre etiam in amplis vr bibus.

Sunt autem Chineses fere ingenio acri & subtili, sculpturæ & picturæ admodum periti, vt apparet ex tabulis, arculis & lecticis, quæ ab illis ad nos adferuntur. In campestribus planisq; regionibus vtuntur miro genere curruum, quod velis instructum à ventis agit, non iumentis nauigii instar, quibus currib. vias satis longas per planiciem emetiuntur. Imitati sunt Hollandi hoc artificium, non omnino infeliciter, neq; tamen pari cum successu. In emendo vendendoq; astuti sunt & versipelles, vt qui cum illis negociantur, ab eorum fraudibus sibi cauere necesse habeant.

Extra domus mercatorum & institorum, qui infiniti sunt in hoc regno, propendet tabula, continens synopsis earum mercium, quæ ibi prostant: venduntur autè fere in illis tabernis institoriis telæ aureæ, argenteæ, sericæ varii coloris & artificii, vt & materia Xylina, lineæ, aliaque vestiaria. Idem faciunt, qui aromata & res medicas vendunt. Alibi sunt officinæ figurorum, in quibus vasa porcellana prostant, quæ quamuis varii coloris & pulchritudinis exquisitæ sint, mediocri tamen veneunt precio, vt visa sint quinquaginta vasa vendi quatuor nummis regalibus. Fiunt autem figulina illa opera siue vasa hoc modo. Cochleas quasdam marinas ouorū testis miscent, aliaq; quædam addentes subigunt & massam conficiunt. Hanc sub terra condunt, ibiq; eam macerari ad octuagesimum vel centesimum vsq; annum sinunt, hæredibusque suis thesauri loco relinquunt: & hæc quidem est sententia Eduardi Barbofæ: cui alii accedere se posse negant, quod fieri ex tantilla materia tantum horum vasorum non possit, quæ incredibile copia in Lusitaniam Hispaniamque, vt & cæteras Europæ partes, addè etiam in nouam Hispaniam & regnum Peruarum deportantur. Fiunt autem optima vasa Porcellana in Prouincia Saxtensi, quæ regno exportari fas non est, cum omnis ea supellex figulina cedat vsibus regis & Gubernatorum, ob pulchritudinem, quod ea non minus quam Crystallus pellucida sit. Habitant autem figuli isti in certis vrbiū plateis, nec quisquam inter eos commoratur, qui non idem tractet opificium. Qui ea vendunt, indicem proponunt, quantum huius testaceæ materiæ apud ipsos proficit.

Est autem summa ac prope vnica Chinesium cura, qua liberis suis mature de futuro matrimonio dispiciunt, ne in transuersum rapiantur. Vnde videas patres infantes liberos vix dum natos futuri matrimonii pactioibus reciproce obligare, cõcepta etiam eius rei formula litteris publicis solemnibusque. Iubet autem mos patrius, maritum dotem ad vxorem adferre. Cum sponsa viripotens est, & nuptiarum dies aduenit, pater eius solenne instituit conuiuium, vocatis in domum suam patre, matre & propinquis generi sui. Sequenti die idem facit pater sponsi, aut si patrem non habeat, proximus eius agnatus. Finito epulo dat sponsus sponsæ dotem, spectantibus vniuersis, hæc vero acceptam eam rursum dat parentibus, si adsint, in precium educationis. Hinc scilicet fit, vt ille, qui plurimas habet filias, vir opulentus iudicetur. Potest autem pater ea quam à filia accepit, pecunia vti tanquam sua, si indigeat: verum eo mortuo, omnis redit ad filiam eiusq; liberos.

Licet autem viro tot ducere vxores, quor alere comn. ode potest, dummodo à sorore & consobrina absteineat: nam hæ nuptiæ incestæ habentur & puniuntur. Primam quam quisq; duxit, vxorem legitimam putat, cæteras amicas & concubinas. Cum prima vir habitat & comoratur; reliquas hinc inde in diuersa domus conclauia partitur, quæ si cum illa conferantur, ancillarum rationem habere possunt. Patri mortuo succedit filius natu maximus è prima vxore in maxima paternæ hæreditatis portione: eum cæteri fratres sequuntur, siue è prima vxore siue è posterioribus nati sint. Si filius ex prima nullus sit, transfertur id iuris in filium natu maximum ex concubinis: hinc fit vt rarissime quis moriatur, non relicto hærede masculino.

Aiunt in regni huius prouinciis iis, quæ Tartarico regno viciniores sunt, mirum hunc obseruari morem, vt prorex siue gubernator adolescentibus virginibusq; certum constituat tempus, intra quod vel matrimonium contrahant, vel vitam profiteantur Monasticam. Qui nubere volunt, veniunt ad præfixum diem in constitutam ei rei ciuitatem, sistuntq; se coram duodecim viris, quos rex isti negocio præfecit, qui vtriusq; nomen & viuendi genus scripto concipiunt, & de dote percontantur, quam vir mulieri daturus est.

Cum autem plures simul tam viri quam fæminæ dare soleant nomina sua, numerantur vtraque,

vtraq; & si plura sint nomina virilia quam muliebria, mittuntur sortes, iubenturq; ii qui extra sortem paris ceciderunt, in futurum annum expectare. Idem fit de puellis, si quæ sint superflua. Exæquato ad hunc modum numero, sex è duodecim viris istis, futuros sponfos in tres partiuntur ordines. In primo collocant ditiores, non habita ratione nobilitatis vel formæ: in secundo, qui cum mediocribus sunt facultatibus: in tertio vero pauperes: idem faciunt sex reliqui in puellarum nupturientium grege: ita tamen, vt in primo agmine formosissimas, in secundo mediocriter pulchras, in tertio deformes statuunt. His factis dantur formosæ diuitibus, qui singuli certum auri modum, quantus visus est iudicibus, persoluunt. Mediocres accipiunt mediocriter formosas, sed pro illis nihil numerant. Deformes elocantur pauperibus, addita dotis nomine omni illa pecunia, quam diuites soluerunt, quæ inter egenos istos æqualiter diuiditur. Peractis ad hunc modum sponsalibus ingens celebratur festum nuptiale, paraturque conuiuium in Domo Regia, quæ illis seruit vsibus, in quo magnus lectorum numerus & abaci mensæque plurimæ, aliaque res necessaria, quibus nubentes interim vti possint, donec post elapsum quinquagesimum diem quisq; in suam domum reuertatur. Quæ autem hoc loco diximus de plebe intelligenda sunt; magnates enim, & qui dignitate cæteros è vulgo antecellunt, his legibus subiecti non sunt, sed suo quisq; nuptias celebrat arbitrio.

Ipsè portò Sinarum Monarcha, cum vxorem duxit, eligit sibi XXX. Concubinas, lectissimas primas ex vniuerso regno, quæ in regia commorantur donec ipse in viuus est. Defuncto autem eo successor eius sumtuosissime vestitas eas in magnificum introducit palatiū, de quo in superioribus diximus, coopertis omnes faciebus ne agnosci queant. Et cum dicto ingrediuntur XXX. Viri Nobiles, quos Rex testamento nominauit, eo ordine quo conscripti sunt: horum quilibet apprehendit manu vnam ex XXX. illis concubinis regis, eamque abducit, ita velatam, vt diximus, in domum suam, habetque eam deinceps pro vxore sua, percipitque quotannis magnam vim munerum donorumque, vt eam habere possit magnificentius. Solebant autem antiquitus Reges Chinesium, quoties vel liberis suis vel agnatis necessarii nuptias facerent, solenne in Palatio regio instituire conuiuium, vocato vniuerso Equestri Ordine & Aula Comitiū, iussisque iis, vt omnes suos secum adducerent liberos, splendide vt quisque posset, exornatos, quod patres libenter faciebant. Finito conuiuiū, surgebant Equites, ibantque in aliud Palatium, vbi assidebant virgines pro ætatis prærogatiua, ibi quisque seligebat sibi vnam, quæ magis placuisset, vxorem. Sed hic mos penitus exoleuit, cum Principes Nobilesque non nisi agnatas necessariaque suas vxores ducant, exceptis duobus primis consanguinitatis gradibus: quanquam ne in hoc ipso quidem adeo sint obseruantes legum.

In persoluendis iustis exequiisq; defunctorum his vtuntur ritibus. Cum quisquam exspirauit, continuo lauant corpus, illique induunt vestes, quas homo viuus habuit optimas, grato perfusus odore. Hinc in perpulcra eum collocant sede, accedentesque omnes propinqui & domestici eius, coram eo in genua desident, faciuntque id non consanguinei tantum, sed omnes noti eius & amici, ne seruis quidem exclusis, lugentes excessum defuncti. Postea reponunt cadauer in loculum ex odorato ligno factum, clauduntque eum exacte, ne quis malignus odor exhalare possit. Deinde inferunt loculum in cubiculum propinquum, aulæ & picturis exornatum, deponuntque eum in mensa, & tegunt linteamine candidissimo, in quo imago mortui graphice expressa est. Ad ingressum huius conclauis mensa posita est cum cereis ardentibus, inque ea multi panes cum variis fructibus: fitque hoc per continuos dies XV. quo toto tempore singulis noctibus adsunt Sacerdotes eorum & Religiosi, cantilantes & demurmurantes preculas suas, & offerentes sacrificia, omnia more Gentili. Afferrunt etiam multas chartas, variis imaginibus depictas, easque coram cadauere comburunt, addentes horrendos inconditosque clamores, quibus se animam defuncti ad cælum mittere opinantur. Finitis XV. illis diebus, quibus mensæ cibis onustæ sunt, vt tam Sacrifici quam qui cadauer honoris ergo inuisunt, habeant quod bibant comedantq; effertur funus in campum, deducentibus id propinquis & magno sacerdotum numero cum ardentibus candelis. Sepelitur autem fere super exiguum collem, vbi sepulcrum eius est iam antea factum ex quadrato lapide. Iuxta sepulchrum desigunt erectam pinum arborem, quæ si forte collapsa iacet humi, non aufertur inde, sed relinquitur ibi donec vetustate consummatur; habent enim prore consecrata. Qui funus sequuntur, ducunt secum Musicos & Cantores, qui sine intermissione ludunt canuntq;, donec cadauer in conditorio positum sit. Est autem magnificum præcæteris sepulturæ genus, cuiquam plurimi sacrificuli intersunt, & libitinarii & præficæ. Dum enim illi ludunt, canunt hi lesos nantiasque suas, intermiscentes preces, quibus Idola sua deprecantur. Postremo comburunt plurimas chartas, in quibus depicta sunt mancipia,

L equi,



equi, vasa aurea argenteaque, preciosae vestes, & alia multa, quae mortuum in altera vita habiturum omnia nugantur. Propinqui eius toto illo tempore lugubri vtuntur veste, sago videlicet laneo crassiore, tecti caput pileo grandi, cuius margo latior in oculos vsque dependet. Patrem vel matrem per biennium lugere iis mos est; quod si filius defuncti Praefecturam alicuius prouinciae obtineat, non raro ab ea discedit, impetrata a rege abeundi licentia. Qui remotiori gradu defunctum contingunt, paucis mensibus lugubri vtuntur, nonnulli etiam statim ponunt pullam vestem, cum a sepultura domum venerunt. Haec de eorum sepeliendi ratione dicere habuimus.

Etsi in hoc regno vites sunt, praesertim in montibus collibusque, vinum tamen ex vuis non exprimunt, vt apud nos fit, sed nouerunt artem recondendi uvas, vt ea in hybernum vsque tempus seruentur. In huius vini vicem exprimunt succum longe optimum ex herba quadam nomine *China*, quem calide bibunt, sicut & Iaponenses faciunt. Hic potus expurgat phlegma, medetur grauedini capitis & lippitudini oculorum ex catarhis: breuiter, huius potus beneficio plerique ad longam senectutem peruenire solent, a morbis corporis fere immunes.

Nimum Aestatis feruorem miro artificio mitigare nouerunt. Deprimunt in terram fossas cauernasque satis profundas, ex quibus receptum desuper & in partibus subterraneis refrigeratum aerem, in quamcunq; domus partem velint, emittere possunt. Annos suos numerant per duodecim menses lunares, vt post exactum tertium annum addant mensem vnum, incipientes annum a Nouilunio Mensis Martii. Ibi vulgo hilaria agitant, quod & quisque in Natali suo die facit, inuitantes se ad latitiam, & offerentes alii aliis Strenas atque Xenia. In conuiuio magnifici sunt, nullis parcentes sumtibus, comicosq; tragicosq; ludos de nocte ad cereorum lucem peragentes. Horum ludorum materiae sunt vel fitiones Poeticae, vel historiae de antiquorum rebus praecclare gestis. Post Histriones ingrediuntur Mimi, Saltatores, Petaurista, & tota Gesticulatorum leuis natio. plateae fragrantibus herbis sparsae sunt, & odoribus aromaticis perfumatae: parietes vero, & fenestrae aulæis peristromatisq; vestiti, vici vero ciuitatis symphoniis aulædorum citharædorumque per strepunt concentibus.

In conuiuio vero hunc seruant ordinem. quibus inuitatorum suam peculiarem habet mensam, raro duo vna sedent, nunquam plures. ipsa mensa facta est à ligno nitidissimo, quale est Hebenum, per picta variis bestiarum figuris, non tam coloribus quam lineamentis aureis, velot encausto: quod quidem peculiare Chinesium est artificium, de mensa dependent lacinae sericae preciosae vsq; ad terram. Assident conuiuia singuli in singulis sedilibus, suis instructis puluinis, vt quies in iis commode capi possit. Vbi stratis ad hunc modum mensis conuiuie confederunt, afferuntur cibi in sportulis, variis floribus fructibusque viridibus coronati. Et quamuis Chineses abundant volatilibus, ferina, piscibus ostreisq; adeoque omni cupidiarum genere: in primis tamen deliciis apud eos est caro porcina. Illos qui digitis apprehensum cibum ori inserunt, rusticitatis accusant, ipsi stilis vel furcillis ad eam rem vtentes aureis argenteisque, vt buccellas digito non contingant. Crebrius bibunt & poculis minutis, quod sic melius restringi sitim credant. Adstant interea carprores & Pincernæ, ministrant: que mensa magno silentio, tenaces ordinis. Viri separatim cibum capiunt, foeminae alibi prandentibus, obingentem virorum Zelotypiam.

In salutationibus vtuntur inferiores erga superiores his ritibus. Manum sinistram arte comprimunt, dextram vero saepius ad mouent pectori, verbis vtentes modestissimis, & ad restandum affectum compositis. Diuites Magnatesque inter se profunda (vt loquuntur) se inuicem salutant reuerentia, extendentes & incuruantes brachium in modum arcus deinde peccinatim implicatis vtriusq; manus digitis, verbis ad adulandum factis, alteri alteros urbanitate superare nituntur.

Sed iam de eorum ingeniosis inuentis aliquid dicendum est. Primum illud non est aspernandum, quod vstrinae in fabricis eorum follibus non indigeant, cum aptissime dispositis tubis quibusdam aerem perpetua quadam reciprocatione ita attrahant, vt nunquam vento defituantur. Artem Typographicam, Tormenta igniuoma, Puluerem Nitratum Pyriumque iactant se aliquot seculis ante Germanorum inuentionem habuisse, vel potius alii de illis ita narrant. Aiunt enim regem quendam apud eos fuisse, Magicæ rei peritum, qui puluerem & tormenta illacum instrumentis aliis bellicis excogitauerit: nos de eo cum nemine litigabimus. Illud sane constat Persas, Chinesium vicinos, ante conflictum in Armenia cum Seliimo Turcarum Imperatore habitum, de tormentis æneis nihil vel fando accepisse, quæ ignorantia in causa fuit, quod Ismaelis Sophi exercitus à Turcis, qui in imperitos huius rei fulminabant, victus fuerit. Narrant quidam inuenisse eos singulare artificium fundendi machinas æneas,

æneas, ita, vt in partes diuidi & velut resolui queant, atque ita iumentorum dorsis, siue etiam à baiulis facile de loco in locum deportari.

In scribendo foliis chartaceis vtuntur longis admodum, ducuntque lineas litteratas non à sinistra manu versus dextram, vt omnes populi Europæi: neque à dextra versus sinistram vt Hebræi & Arabes aliiq; Orientales: sed à summa paginae parte incipiunt vsq; ad infimam. Litterarum eorum Hieroglyphicis Ægyptiorum Notis non ab similes sunt: vnaquæq; enim vocabulum significat praestaturq; interdum etiam sententiam aliquam aut totam Periodum. Hæc nimium est causa, vt huius regni ciues, etsi longissimis terrarum inter se distiti spaciis, vt hi illorum linguam intelligere non possint, scriptas tamen litteras librosq; impressos omnes facile assequantur. Est autem praeter vulgatum vniuersi vsq; Prouinciae Idioma, alia quaedam & peculiaris lingua, propria Doctorem hominum quæ appellatur Lingua Mandarinorum, non ignota Magistratibus, Iureconsultis, Iudicibus, Scribis & iis qui Aulam Regis sequuntur.

Faciente iter non tantum vtuntur iumentis variis, sed & lecticis & pilentis, à bigis quadrigisque tractis, aliquando etiam curribus veliuolis, de quibus superius locuti fuimus. Nutriunt etiam magna cura instituunt aues, vt humana imitari verba & saltare discant, pingentes illas ornantesq; ludicrum in modum. Nauigatio, & Remigium eorum omnem prope fidem superat. Onerariae eorum, quæ valde magnæ sunt, & *longae* appellantur, solo vento agitantur, quaedam etiam militariter instructæ sunt, habentes duo castella, vnum in puppi, alterum in prora: quibus autem vtuntur ad transportandas merces & graua onera, humiles sunt & late velut corbitæ. Habent praeter hæc etiam alia nauium genera, ab iis *Lantes*, *Bancones* & *Longas* vocitatas. *Lante* vna duodecim pregrandibus agitatur remis, qui sex in vnoquoq; latere, quaternis senisq; hominibus ad quemq; remum admotis. *Banco* dimidium numerum remorum habet & remigum. *Longe* in multis respondent nostris triremibus, nisi quod tantum in fluuiis earum vsus est. Infinitæ etiam sunt nauiculae hinc inde ad ripas, quibus ditiores animi gratia per mare & fluuios discurrent, habentes in puppibus ædiculas cum fenestris cancellatis, & ambitu ad instar porticus deambulatoriae, omnia auro, argento & aulæis exornata, cum hortulis pensilibus in summa nauium parte, vt prope mari illudere videantur.

Picis & Bituminis loco illinunt carinas nauium suarum lenta quadam materia, propria ad necandas teredines in ligno nascentes. Sentinam è nauibus maioribus scite exhaurire norunt, maiore commoditate, quam hauftra sunt Hydraulica in nostris nauigiis. Habitant autem integræ æq; numerosa familiae in nauibus, non tantum in iis coquætes & victitantes, sed & cauponiam exercentes, negociantes, suaq; tractantes opificia: vtque vno verbo dicamus, sunt domus hæc mobiles atq; fluctuantes instructæ omni supellestilis & deliciarum genere, vt vix in vrbe aliqua excipi possis lautius. Alunt hi Pandochei nauales magnum alitum aquatiliu numerum, qui interdum in mari nutrimentum quærunt, vespere ad nauim redeunt, ibiq; pernoctant. Aliud genus est earum auium, quæ ex more volare & reuolare didicerunt ad naues, sed diuersimode: in campos enim oriza cõstitos euolant, ibiq; pascuntur, absumentes simul herbas & semina frumento noxia, magno agricolarum bono. Vbi vesper adest, ad sonu tintinnabuli, qui auibus notus est, repetunt naues, in quibus sua habent auaria. Lembi ac scaphæ piscatoriæ magnum ciuibus vrbanis subuehant piscium numerum. Primo vere, cū flumina colliquatis niuib. & pluuiis intumuerunt, ad sunt pisces marini magna copia, & ostia fluuiorū adscendunt, allecti dulcedine aquæ pluuialis: nec minor hominū multitudo è vicinis partibus concurrunt ad capiendos hamo pisces, estq; quæstuosum illud tempus ob felicem capturam piscium.

Vtuntur autem praeter vsitatas piscandi rationes alio quodam modo admodum iucundo. Alunt enim domi coruos marinos, vel mergos manu factos, è maiore genere, qui non aliunde quàm esu pisciu viuunt. His imum collum vinculo interceptum, laxiore tamè, vt piscem quidem deglutire, in imum tamen ventrem demittere non possint. Hæc aues ad eum ornatum modum, vbi emissa sunt, statim ima viuariorum lacuumq; petunt, captaq; præda domum reuolant, quæ iis è gutture salua eximi potest.

Hoc genus piscationis per aues marinas multum affert magnatibus iucunditatis, per totum annu id exercentibus. Vidimus superioribus annis tale aliquid in Gallia apud Fontibellaquæ, eum Angli quidam eiusmodi Phalacoraces ad suefactos haberent, quibuscum piscabantur, inspectante tota Aula Gallicana.

Non pauci sunt inter Chineses, qui se studiis litterarum addicunt, rariores tamen ad Medicinam & Philosophiam Astrologiamq; animum applicant. Fidem promissorum tamdiu praestant, donec necessariu & quæstuosum est. Peregrinos oderunt & suspectos habent, vt eos hospitio non accipiant, neq; multum cū ipsis versentur. Oppressi ære alieno vendunt liberos suos, vt se onere illo explicent, aut alia ratione infami se liberant. In cæteris inuentionibus suis



videntur sibi omnium mortalium esse ingeniosissimi, multumq; & crebris industriam suam iactant sermonibus dicentes, Chineses solos habere duos oculos, Europæos vnum, alios cæcos esse.

Aditurus plebeius aliquis Loytiam siue Doctorem Promotum, eique locuturus, demittit se in genua, antequam ad eum perueniat, & sic genibus innitens ingreditur palatium eius, demisso capite oculisque ad terram. Vbi in medium cœnaculi peruenit, subsistit, exponitque desiderium suum voce humili & submissa, vel etiam libello conceptum exhibet. Adeptus responsum eodem modo genibus humi positus exit palatio, sed præpostere, ita ne vnquam dorsum obuertat Loytiam, donec ab eo conspici potest. Si quis è vulgo in platea offendat aliquem illustri loco natum, aut dignitate eminentem, consistit immobilis, demisso capite taciturnus, donec alter præterierit: quod nisi faciat, fustibus sine dubio contrundet. Qui ab altero visitatur, deducit eum abiturientem non vsque ad ianuam duntaxat, sed per aliquam plateam partem, honoris id habens amico. Quod sequitur, absurditatem potius aliquam quam ciuilitatem præ se fert. Si quis ex agro vel vrbe aliquem conuenire vult, eumque vel in limine ostii, vel in platea offendit, si is qui ad eundem est, non satis comtus ornatusque sit, aut paratus ad excipiendum alterum: etiam compellatus ab hoc salutatusque nihil respondet, sed concitato gradu eum præterit, quasi eum non viderit. Domum vbi peruenit, induit vestes mundiores, atque ita pexus ornatusque prodit ad excipiendum alterum, lata facie, quasi eum aduentantem iam primum, antea non viderit: quæ quidem vera mihi videtur & mera stoliditas. Hospites siue peregrinos comiter accipiunt, apponentes iis ad primum aduentum fructus arborum & condita quædam aromatica, apposito simul potu per totum regnum vsitato, qui conficitur ex herbis quibusdam medicatis ad confortandum cor. Si quis peregrinum aliquem, vel etiam ciuem diu non visum in via offendat, statim sciscitatur ex eo, an ientauerit transfusque fuerit: negantem deducit sine mora in proximum diuersorium, soluitque pro eo Symbolum: quod quidem facile est factu per totum hoc regnum, cum hinc inde in vicis compitisque multæ sint Tabernæ, in quibus indulgere genio cuticulamque beare possunt, exiguo sane sumptu, cum omnia vili vendantur precio.

Si alter respondeat, pransum iam se saturumque esse, tum hic deducit eum in officinam quandam, vbi Salgama, Melimela, aliæque id genus cupediæ venduntur atque conditura: & his velut bellariis mensisque secundis eum excipit. Mulieribus in vniuersum, siue eæ peregrinæ sint, siue ciues, plurimum honoris deferunt, easque per plateas incedentes officiose salutant, cauentes ne vel verbo eas offendant. Sunt autem capitales inimicitia inter Iaponenses & Chineses, quarum hæc putatur esse origo. Cum ante multos annos coniuratio quædam in regem Chinesium detecta fuisset, statuit is atroci vindicta de coniuratis supplicium sumere: sic interfectis quam plurimis, cum eadem capitis sententia in cæteros omnes lata fuisset, intercedentes damnatorum amici apud regem obtinuerunt, vt supplicium capitis in exilium mutaretur, morte non futurum mitius: deportandos igitur eos esse in vicinas Insulas, desertas eas quidem & inhospitas: addentes, magnam hac mutatione pœnæ laudem clementiæ regem acquisiturum, si in liberos vxoresque coniuratorum non animaduerneret acerbis. Motus horum oratione rex, quorquot conspirationi illi affines fuerant, nauibus impositos in Iaponiam Insulam deportari iussit, qui iniuriarum illarum & odii semina secum ferentes, ea subinde auxerunt: nam & nostro æuo Iapones excursions faciunt in Chineses, iisque damna inferunt vbicunque possunt: sed ne cum Chinesibus quidem mercimonia exercent, nisi interuentu Lusitanorum.

Ostendit se autem huius odii magnitudo ex ingenti morum vtriusque gentis, non dico diuersitate, sed contrarietate, quam hic aliquo modo attingemus tantum. Pro eo quod Chineses iis manus porrigunt quos salutant; Iaponenses exutis calceis pedes nudant in signum honoris. Chineses hospites peregrinosque stantes excipiunt: at Iapones sedentes inciuilitatis nomine eos arguentes, qui aliquem stando excipiant. Exeuntes domo ipsi pallia deponunt siue togas, contra quam aliæ gentes, quæ palliatæ foras prodeunt. Dentis nigredine inficere student, albos contra damnant, vt & capillitium flauum. Lugentes mortuos albo vtuntur amictu, euntes ad conuiuia & hilaritatem, nigram sumunt vestem. Facientes iter in equis, domini præcedunt, serui sequuntur, contra quam apud alios moris est. Mulieres quæ vterum ferunt, corpus arte incingunt, reliquo tempore fere discinctæ: quod dicant hanc rem ad partus facilitatem conducere. Puerum in lucem editum frigida abluunt, puerperam vilibus cibis & parce quidem nutriendas: cum apud nos contrarium fiat, vt supra quoque à nobis commemoratum est.

Cibum capientes his vtuntur moribus. Ponitur eique sigillatim sua mensa, sine strophio

phiole aut mappa. Cibum non digitis, sed duobus specillis ligneis capiunt, & ori inferunt. Potum ex oriza factum vsque ad ebrietatem ingerunt. Post prandium porrigitur cuique poculū aquæ calidæ, quam ita feruentem ab igne bibunt, siue sit hyems siue æstas. Eundem prope morem obseruant Turcæ in sumendo potu suo Chaone, quem conficiunt è certis fructibus, baccis lauri valde similibus, quod genus potus ab Ægyptiis appellatur *Bon* siue *Ban*. Sumunt autem illius fructus sesquilibram, siccataque coquant in viginti libris aquæ, vnde singulis diebus mane sumunt poculum vnum calidæ, sicut apud Europæos moris est, Aquam Vitæ siue Vinum Distillatum sumere. Aiunt autem Turcæ, illa decoctione exalferi & corroborari ventriculum, profligari ventos atque cruditates, & aperiri obstructions.

Qui amplissimum hoc regnum inter opulentissima retulerit, imo qui omnium regnorū longe ditissimum locupletissimumque dixerit, nostro iudicio nequaquam errauerit: cum omnibus rebus adeo abundet, vt non incolis duntaxat largiter sufficiat, sed & magnam partem vicinis exterisque subministret. Et littus quidem maris, quod in incredibilem longitudinem porrigitur, portus habet multos commodosque, ad recipiendam quantumuis magnam classem. Ipsi Chineses magnam vim auri argenti que eruant è terra, vt iam de reliquis taceamus metallis. Exportantur China multæ merces preciosæ, margaritæ, vasa porcellana, pelles expetitæ, plurimum materia sericæ, vt & lini, Xylini, Cannabis, cum incredibili omnis generis telarum copia. Accedit saccharum, mel, oera, rhabarbarum, radix China, Camphora, colores & pigmenta, tubea tinctoria, Istaris herba, Moschusque odoratissimus.

De prouentibus ipsius huius Monarchæ diuersimode sentiunt. Sunt qui eos ad XXVI. Millionses Auri quotannis extendant, quæ quidem auri vis tanta est, quantam ne tenacissimus quidem Romanorum Imperatorum Vespasianus toto vitæ suæ tempore colligere potuit. Non me fugit, multos de hoc dubitare: sed tamē constat, ex solo portu Cantonensi, qui non est inter quæstuosissimos huius regni, regem ex vectigali salis percipere CLXXX. millia coronatorū, & ex vicinia ex decimis ad eum redire vltra C. millia. Hinc iudicium fieri potest, quantæ auri argenti que massæ quotannis in ærarium eius inferantur, si consideremus multitudinem & magnitudinem Prouinciarum huius regni, cum infinito populo, censu singulorum capitum domuumque, contributionibus oppidorum, vectigalibus & decimis mercimoniorum fructuumque terræ: adde his metallifodinas, subsidia pecuniaria, tributa, exactiones accidentarias, & quicquid in hunc indicem præterea referri debet. Vt autem lectori dubitationem eximamus, operæ precium arbitramur, exactius omnia considerare.

Primo loco occurrit nobis numerus tributariorum, qui in vnaquaque sunt prouincia, quorum catalogus est penes Præfectos Quæstoresque: vt tributa ab iis exigere possint vbi notandum est, tantum prope eorum numerum esse qui nihil pendunt, quam qui pendunt: cum Loytiam ipsorumque domestici nihil soluant, vt nec qui in iudiciis vel officiis publicis: postremo quicquid est vsquam militum tam terra quam mari, ab hoc tributo immune est.

Sed ad Prouincias ipsas veniamus, secuti eos, qui de his rebus scripserunt diligentius. Sunt in Prouincia Paquiensi hominum qui tributum regi solunt Millionses duo, præterea DCCIV. millia. In Cantonensi Millionses tres, & DC. millia. In Foquiensi Millionses duo, & CCCCVII. millia. In Olamensi Millionses II. cum CCXL. millibus. In Cinsaiana, Millionses tres cum CCCLXXX. millibus. In Susuana Millionses II. & L. millia. In Tolanchiana Prouincia, vbi rex habitare solet, Millionses VI. & LXXX. millia. In Casaiana Millionses duo cum MCCC. millibus. In Oquiamenti Millionses III. & DCCC. millia. In Auccheonensi Millionses II. DCCCXL. millibus. In Honamensi Millio vnus cum CC. millibus. In Xantonensi, Millio vnus, CMXLIV. millia. In Quicheuana Millionses II. & XXXIV. millia. In Chequeamensi Millionses II. cum CCXLIV. millibus. In Sancienti, quæ prouinciarum minima est, Millio vnus DCLXXII. millia. Est autem hoc tributum, quod vnusquisque, qui domicilium & focum habet, soluit quotannis duas Masas, quæ species est monetæ, valens duos Regales Hispanicos. Etsi autem hoc tributum videtur esse exiguum, & ab eo multi, de quibus supra diximus, exempti sunt, tanta tamen est populi multitudo, vt detractis omnibus expensis, in Personam aulamque regis, in stipendia militum præsidiariorum, in salaria ministrorum regni, in classes, in conseruandos portus marinos, in ædificia publica: tantum tamen regi superstit, quantum ex libro rationum regni Chinesis hic subiiciemus: quamquam Chineses dicant, illas esse rationes præscorum temporum, & hodie in tanta regum opulentia multo minus pendit.

Auri puri siue Obryzi dantur ei Millionses CCLVI. millia & CM. Tahæ: Valer autem Tahæ decem regales nummos & XXIV. Maruedas Hispanicas: Argenti vero desæcati, Mil-

liones III. cum CLIII. millibus, & CCCIX. Tahis. Ex Margaritis, etsi non exacte rotundae sint, redeunt ad eum Milliones duo DCXXX. millia Taharum. Ex Gemmis & Metallifodinis Millio vnus, & XXXV. millia Taharum. Ex vasis Porcellanis XC. millia Taharum. Ex Moscho & Ambra Millio vnus cum XXXV. millibus. Habet praeter has diuitias hinc inde rex Agros Decumates, ex quibus infinita vis frugum ad ipsius quotannis redit granarium. Orizae quidem modiorum Milliones LX. cum CLXXI. millibus DCCCXXXVIII. modii. Ordei Modiorum Milliones XXIX. CCCXCI. millia, DCCCLXXXII. Modiorum tritici percipit Milliones XXXIII. cum XXVI. millibus & CC. Salis Modiorum XXV. Milliones, cum CCCXL. millibus & CCCC. reconditur autem sal iste in horrea siue Apothecas regias, donec tempestiue vendatur, vnde ingens lucrum accedit Aetario regio. Frumenti Indici, quod Mayz appellatur, cedunt regi quotannis Milliones XX. & Modiorum CCL. millia. Milii Modiorum Milliones XXIV. Panici Milliones XIV. & CC. modii. Auenae & Leguminum iunctim Milliones XL. & CC. millia modium.

Materiae sericae factae infectaeque, vt & gossipii, atque inde confectarum telarum tantum est, vt nec satis iniri ratio, nec numerus latinis verbis commode exprimi possit. Haec autem omnia colliguntur pro rege Sinarum, qui omne, quod non impendit in magnificentiam splendoremque aulicum, in suum infert Aetarium atque Gazam, in quo aetario, quanti infini thesauri, ex supra dictis colligi potest, si modo tantae diuitiae ab humana mente cogitari colligique possunt.

Robur & potentia.

Qui non ignorat, in multitudine hominum alicuius regni vires omnes & potentiam consistere: qui item cogitat, infinitum hominum numerum in huius Monarchiae prouinciis contineri: dubitare non potest, quin regnum Chinesense sit validissimum potentissimumque. Vt autem exacti aliquid de hoc regno dicamus, apparet maiores eius vires ad defendendum quam ad acquirendum: & ipse quidem Monarcha hic magis intentus est, vt sua conseruet, quam vt aliena acquirat: cuius rei sufficiens est testimonium Murus ille longissimus irruptioni Tartarorum oppositus. Et potest sane is bona ratione contentus esse, cum vix vllus per totum terrarum orbem Princeps cum eo conferri possit. Quod si vel maxime exterum aliquem Regem bello aggrediatur, vix tamen sperandum est, vt id prospero cum successu fiat: quamuis enim multitudine hominum abundet, plerique tamen dissoluti sunt & imbelles, ob voluptates quibus immergi sunt, ob seruilem regnandi modum, quo oppressi sunt, & timorem perpetuum in quo continentur.

Ad perfectiorem autem cognitionem potentiae Chinesensis, considerandus est huius regis apparatus bellicus, genus militum, & ordo quem obseruat in defendendo regno suo. Et si enim iam ab aliquot Monarcha iste pace fruitur annis, nunquam tamen futuri belli cogitationem ex animo deponit, in primis Tartarici.

Habet igitur in vnaquaque prouincia Senatuum Militarem, Praefectum Copiarum, & certum quendam praesidiariorum numerum, vt si se occasio vel necessitas offerat, breui tempore magnus conscribi queat exercitus, vel terra vel mari militaturus. Sunt enim non in Prouinciis duntaxat, sed & in singulis vrbibus praesidiarii cum tribuuis suis, qui de die stationes habent ad portas, de nocte excubias magna diligentia obeunt, non secus ac si Hannibal ad muros esset. His inuitis ingredi urbem nemo potest, sed nec egredi, nisi de voluntate Iudicis Urbani vel Tribuni militaris: in hac enim parte omne robur ciuitatis situm putant, hic collocant tormenta, huc intenti sunt omnes. Cum nocte claudunt portas, charta glutine illita inducunt iuncturas valuarum, easque sigillo Gubernatoris vel Iudicis annulo signant, siuntque; tam mane quam vespeti omnia per homines fidos. Cum autem portae ciuitatis non nisi orto Solo aperiantur, oportet viatores, qui altero die mane proficisci volunt, in suburbis pernoctare. Vigiles nocturnos singulis horis mutant, semper tribunis ordinumque ductoribus excubias obeuntibus. Vt autem quies in ciuitate conseruetur, nulli licet armato obambulare, nisi sit miles stipendio regis addictus: sed nec arma domi habere, aut cum telo ruri ambulare licet vlli. In Vrbe vero Xuntien siue Quinzay & oppidis vicinis habet rex perpetuo magnam equitum peditumque numerum, qui in omnes futuros casus expediti sunt: vtque simul custodiam agant corporis Regii.

Ceterum militum huius regni duo sunt genera. Primum est eorum qui in vrbibus nati, praesidiariis velut hereditario iure adscribuntur, & hos ipsi sua lingua *Cumos* appellant: succedit enim filius patri, qui si decedens filium non relinquit, mittitur alius a Rege. Reliqui mercenarii, vel in mensum vnus, vel in annum stipendiis addicti, suntque; hi ipsi, qui excubias obeunt, & Tribunos lustrantes vigilias comitantur, quorum sequuntur imperia, quocumque ire iussi fuerint, & hi a Chinesibus *Poni* vocantur.

Habent

Habent autem milleni quique singulos signiferos & Chiliarchas, qui a supremo copiarum duce dependent: vnde illi, qui velit inire numerum exercitus, suffecerit numerasse signa, vnde tot Chiliarchas colligunt. Habet autem quisque tam Chiliarcha quam Centurio domicilium, in ipsius structum mœnibus, ipsius inscriptum nomine, in quo tantisper comoratur donec bellum est. Exercent autem Tribuni & centuriones, milites singulis mensibus in armis, siue pax siue bellum sit, vt dextri sint in tractandis sclopetis, hastis longis, gladiis variis, clauis, & scutis clypeisve praetendendis, vt & in acinacibus, crescentis Lunae faciem referentibus, aliisque armis prophylacticis. Equites quaternos gladios, a sella equi dependentes in aciem ferunt, sed binis tantum semel rem gerunt mira dexteritate. Bellum siue aciem intrant cincti numero feruorum & domesticorum, qui equites dominos sequuntur pedites, probe armati. Peditum Equitumque par est in bello experientia & calliditas, vtrique enim variis nouerunt vt stratagematibus, non solum ferro in hostem, sed & artificiosis ignibus dimicantes. Arma Equitum sunt praeter duos illos, de quibus diximus, gladios, arcus cum sagittis, & lancea: quidam etiam sclopetos ferunt manuarios.

In regendis equis parum ostendunt scientiae, quod pro frenis lupatisque ori eorum rude quoddam ferrum iniiciant, clamoribusque potius & flagris quam freno habentibusque vtentes. Ephippia eorum ruditer admodum facta sunt, armatura & ornatus equorum omnis leuis: & vt verbo dicam, sunt equites non magnae efficaciae.

Nec minor rei marinae cura huic regi quam militiae terrestri: vnde semper in promptu habet instructas classes cum Nauarchis ducibusque suis, qui obeunt littora maris totius regni. Soluuntur autem bona fide, & multo maiore, quam apud nos, sua militibus stipendia, iique qui fortiter fecerunt, honestis afficiuntur praemiis. Captos in bello necare non solent, sed eos velut aeterno exilio damnatos, mittunt in longinquas regiones, vt ibi in praesidiis statiuis aetatem exigant, vbi tamen non minora quam caeteris soluuntur iis stipendia. Distinguuntur proscripti hi milites a caeteris pileo rubro, in caetero nihil a reliquis differentes amictu.

Restat, vt deinceps videamus, quantum militum sit cum in toto regno generatim, tum in vnaquaque prouincia. Et de Senatu quidem bellico in quaque vrbe diximus, qui constat Senatoribus quatuor & Praeside vno, quibus incumbit cura defendendae prouinciae. Mittunt hi ab Metropoli in caetera loca omnia quae sunt ad gerendum bellum necessaria. Imperatum autem est Quæstoribus, vt sine mora iis pecuniam depromant, neue sint in damno. Fuit autem numerus militum in vnaquaque prouincia anno AN. C. MDLXXVII. quo anno alta pax erat, & Martinus Herradus in hoc regno fuit, talis.

In Prouincia Pasquienfi siue Paguienfi, in qua ipse Monarcha suam habet regiam, erant peditum quidem Milliones II. & CL. millia. Equitum CCCC. millia.

In Prouincia Cantonensi peditum CXXXVI. millia, equitum XL. millia.

In Foquienfi LVIII. millia CM. peditum, equitum MMCCCC.

In Olamanfi LXXXVI. millia peditum & CCC. equitum XXV. millia.

In Cinsaiana LXXX. mill. & CCC. peditum, equites prope nulli, quod tota prouincia montibus asperetur.

In Oquianensi pedites sunt XXVI. mille, & DC. equites tantum mille, ob eandem rationem.

In Susana peditum LXXXVI. millia, equitum millia XXXIV. & D.

In Tolanchiana, quae Tartarorum fines attingit, Milliones sunt peditum duo & DCCC. millia, equitum CCLXXX. millia, Putanturque; hi totius regni longe optimi, celeberrimique, quod inter arma nati, & a puero bellis Tartaricis exercitati habeantur.

In Canfaiana numerantur peditum L. millia, & XX. millia CCXXXV. equitum.

In Honanensi sunt peditum XLIV. millia, equitum, XVIII. millia.

In Quicheuenfi peditum LVIII. millia & DCC. equitum vero XV. millia & CCC.

In Chequeamenfi pedites sunt XXXIV. mille, equitum XIII. millia.

In Sanctienfi peditum millia XL. equitum millia VI.

Hanc computationem Martini si sequamur, conficiunt milites harum XV. Prouinciarum in vniuersum, Milliones quique; peditum, cum DCCCXLVI. millibus & quingentis peditum. Equitum vero, CMXLVIII. millia, cum CCCL.

Sunt autem equi eorum apti ad conficienda itinera, parui tamen maxima ex parte: quamquam non desint, qui in interioribus regni satis grandes & validos reperiri afferunt.

In finibus huius regni crebra assurgunt castella & propugnacula: sed vbi Tartari confines sunt, praelongus iste structus est Murus, qui instar valli fortissimi huic regno praetenditur.

Quod

Quod si quæ ab illis partibus imminet belli tempestas, ad primum signum, quod custodes illius muri proposuerunt, concurrunt ad turres & propugnacula, estque tota vicinia in armis. Et ut vno verbo multa dicam, custoditur hoc regnum summa diligentia, tam à mari quàm terra, ut vix fieri posse videatur, ut ab vno Principe bello impune tentetur aut inuadatur.

Sed videamus porro, quos potentissimus hic rex vicinos habeat, à quibus aliquid periculi metuere possit. In continente quidem non est, cur vllum formidet regem, præter Magnum Chamum Tartarorum. Verum ab altero latere, qua Orientem respicit, Iapones habet obiectos, & Hispanos siue Lusitanos. Et distantia quidem Iaponiæ Intulæ ab China multum variat. Nam à Gotæa Insula Iaponiæ vsq; ad urbem Liampou numerantur milliaria LX. ad Urbem Vero Cantonensem milliaria CCXCVII. Sunt autem Iapones veteri quodam instituto Chinesibus molesti, piraticam exercentes, & obiecta Sinarum littora infestantes, latrocinii rapinisq; magis quam aperto bello rem gerunt, quod Iaponia in plures sit diuisa principatus, quibus omnibus inter se parum conuenit, vnde non iunctim, sed exiguo militum numero Chineses inuadunt. Sunt tamen Chinesibus animosiores & bello meliores. Alia ex parte Philippinas Insulas, quæ Hispanorum Regi parent, obiectas habent Chineses, quæ Insulæ his non sine causa suspectæ sunt, cum is sit earum situs, ut non parum possint Chinesibus creare incommodi, quod & Lusitani facere possunt, Hispano regi & ipsi parentes. Permisit tamen his Monarcha Sinarum, ut in parua Insula Macaone sua exerceant cum Chinesibus mercimonia, vbi fundauerunt Lusitani coloniam, sed imbecillâ, quod coloni illi nimis premantur à Chinesibus, parum fidentibus Lusitanico nomini, ob amicitiam quæ his est cum Hispanis, Manillam & Philippinas incolentibus. Vnde singulis annis Lusitanorum deterorem reddunt conditionem, imminuentes eorum priuilegia, & id agentes, ut eos sponte cogant Insula decedere & repetere Indiam.

Modus gubernationis.

Omnes illæ tam vastæ & populosæ provinciæ, quas supra non semel recensuimus, omnes inquam vni parent Regi siue Monarchæ, neque hic noti sunt Duces, Marchiones. Comites, aut alia nomina, quibus pendantur præter regem tributa & exactiones. Solus Rex distribuit Officia, solus creat Nobiles, vnde non solû colitur à suis, ut Rex, sed adoratur ut Deus. Est enim in vnaquaq; Provincia statua regis aurea, velo tecta, nisi cum Noua Luna est, tunc enim adsunt Magistratus coram imagine illa in genua procumbentes, nec minorem quam ipsi regi præfenti simulacro honorem exhibentes. Hac re penitus deiciuntur animi multitudinis, ut le potius mancipia aut seruos quam ciues regni intelligant.

Leges suas ante bis mille annos scriptas esse aiunt, in quibus nihil ad hunc diem mutatum sit. Cumque Iurisprudentia sit porta & aditus ad honores & officia publica, complures illi scientiæ operam dant, semper disputantes de rebus politicis & rationibus bene administrandi Rempublicam. Idem magna cum cura inquirunt in peregrinos, qui portus marinos intrant, quid rerum gerant.

Professores bonarum literarum in omnibus vrbibus, Regi aluntur stipendiis. Ad scholas mittuntur pueri à prima infantia, facti adulescentes & doctiores, ad Academias transcribuntur, vbi accurate obseruantur à Præceptoribus. Ignari aut petulantes prima vice verbis reprehenduntur: secunda verberibus, increpantur: tertia relegantur atque proscribuntur. Strenui industriiq; conuenientibus afficiuntur laudibus & præmiis.

Visitator Regius provinciam ingressus, præconis voce proclamati publice iubet: si quis Scholasticus adspiret ad gradum Loytiarum (qui iidem sunt qui apud nos Doctores) ut is in præcipuam provinciam Urbem se conferat. Vbi ad dictum diem omnes conuenere, & coram Visitatore comparuerunt, conscribit hic eorum nomina, constituitque diem, quo subituri sint examen: qui dies vbi adest, inuitat Visitator quotquot in vrbe sunt Loytiæ atque viri litterati ad conuiuium, quo finito examinantur Candidati summo rigore, propositis quæstionibus de Legibus & Statutis regni.

Quos aptos & sufficientes probæque insuper vitæ agnoscit, ad certum diem adesse iubet, ut Doctores insignia illis conferantur. Sunt autem hæc: cingulum fibulis clausurisque aureis, & pileus, à cuius posteriore parte duo lemnisci dependent. Significat autem vox Loytiæ non tantum Doctorem, sed & Equestri Ordinis virum: vnde duplices sunt Loytiæ: quibus litterarum scientia gradum contulit: & quibus gratia Regis, quasi Doctores Bullatos dicas. Differunt hi tamen inter se dignatione, etsi eodem vtantur titulo. Consiliarii enim regii, Proreges Rectoresque Prouinciarum, & Visitatores Regii, omnes per examen Loytiæ facti sunt: at Præfetti copiarum, Quæstores, Iudices, eo velut beneficio ob merita à Rege affecti sunt: & horum quidem magnus est numerus.

Sunt & alii, quorum non exigua est auctoritas, sed hi in secundo gradu dignitatis constituti sunt,

sunt, qui in bello fortiter fecerunt, Equestri cingulo per eos donati, qui Regem in militia representant, adhibitis oculatis testibus fortitudinis virtutisque eorum. His præter titulum dantur facultates, quibus se honeste alere possint, ut eorum exemplo allecti milites, & ipsi in strenuitatis virtutisque studia incumbant. Creatus Loytiæ siue Doctor ad hunc modum per ciuitatem incedit, die constituto, quo insignia & dignitas Loytiarum conferri debet, conueniunt rursus omnes Loytiæ cum Visitatore in domo Regia.

Ibi ingrediuntur ordine candidati, splendidissime vestiti omnes, habens quisque Patrium suum secum. Ibi desidentes in genua, supplice voce petunt à Visitatore dignitatis insignia. At hic eos prius præstare Sacramentum iubet, quod tale est. Iurat futurus Loytiæ, facturum se in commisso officio & Magistratu, quod virum bonum deceat, dicturum ius æqualiter omnibus, neque se accepturum munera. Regi se ante omnes fore fidum, non venturum in partem conspirationis aut prodicionis aduersus eum: à boni ciuis officio nunquam discessurum: & alia, quæ commemorare longum foret. Iuramento ad hunc modum præstito, Visitator illos regis nomine alloquitur, iisque confert Titulos & Insignia nouæ dignitatis, eosque amplectatur, quod & idem faciunt reliqui quotquot adsunt Loytiæ.

Peractis his ceremoniis egrediuntur domo Regia pulchro ordine, sonantibus campanis per Urbem, quarum magnus est in toto regno numerus, eodemque momento exploduntur tormenta ænea in muris disposita. Inde deducuntur noui illi siue Doctores siue Equites per totam urbem, magna cum pompa, & ad hunc fere modum.

Totum agmen præeunt milites præfidiarii, cumque iis tubicines, tympanistæ & Musici magno numero, & caduceatores. Hinc sequuntur Loytiæ equis vestiti & coopertis curribus, suo quisque ordine. Post hos videas incedere primo Patinos, deinde nouellos illos Graduatos caligis indutos & thoracibus, insidentes Asturconibus albis, phaleratis & sumptuose exornatis, cum insignibus Doctoratus & pileis, qui non multum differunt à mitris Episcoporum, à quibus iidem lemnisci illi dependent. Pileis illis siue mitris affixæ sunt binæ corollæ, ex auro vel argento deaurato, factæ in modum rami ab arbore palma defracti. Vnumquemque eorum præeunt sex arcule lignæ, singulæ à quaternis viris gestatæ, in quibus asseruatur tela serica, inscripta nomine, titulis & armis noui promoti. Ab eo die (ut iam cætera, quæ nimis operosa sunt, omitamus) nouellus Loytiæ creditur capax esse Præfeturæ cuiuscunque, quam ut obtineat, è vestigio Regiam petit, vbi ei honor habetur ab omnibus Aulicis, assignaturque locus in aliquo Palatio Regio, quæ his vsibus destinata per ciuitates sunt. Ipse vicissim multum exhibet reuerentiæ Præsidi, Auditoribus, Consilioque vniuerso regis, quorum nemo non suam ei defert operam, & in promouendo suffragium fauoremque.

Est in vrbe Xuntien Senatus siue Curia, constans Præsidente vno & Auditoribus XII. hominibus vsu & experientia rerum versatissimis. Qui Senatorium affectat gradum, præterquam quod in Philosophia morali & naturali eum versatum esse oportet, & Legum Regni expertissimum, necesse est, ut etiam sit peritus rei Astrologiæ, hanc scientiam Receptoribus tati Imperii necessariam esse affirmant. Conuenit autem hic Duodecemvitalis Senatus in Palatio Regis vbi in cœnaculo amplissimo XIII. posita sunt tribunalia: sex inaurata, sex deargentata, decimum tertium autem cætera ob gemmarum & margaritarum copiam multis modis vincit. Consistit hoc tribunal sub vmbone serico vel è panno aureo, in quo depicta sunt arma Regis, quæ sunt, intexti serpentes filis aureis. In hoc throno assidet Præsides Senatus, nisi Rex ipse in Senatum veniat, quod tamen raro contingit. Si tamen is adsit, Præsides ei cedit, proximūque locum ad manum dextram occupat. Si quam sedem vacare contingat, eligitur à Præsidente & Auditoribus nouus Senator, quem absentem in provincia, ad Regem deducunt, reddentes rationem electionis suæ: hunc deinceps rex vel approbat vel reiecit. Si approbet, præstat Electus regi iuramentum, in eandem prope sententiam, ut supra narrauimus. His actis deducitur in tribunal ad sinistram manum positum, in quo numerum Senatorum recipitur. Cum rege nemo loquitur, nisi Præsides, aut eo mortuo, maximus natu è Senatoribus. Nouerunt autem hi Senatores singulis mensibus quid in quaque provincia memoria dignum accidat, perscribentibus ad summam hanc Curiam omnia præfatis Receptoribusque regionum, nihil impediante prouinciarum distantia, quarum quædam ad quingentesimum milliæ à Curia absunt. Hæc vbi exacte intellexit Præsides, refert ad regem, & si res aliqua remedio indigeat, dant operam Senatores, ne quid detrimenti Respublica capiat. Si quis iudex in prouinciam mittatur, ut res inspicat, secretissime proficiscitur, ne aduentus eius prouincialibus innotescat.

Etsi autem magna est primariis Ministris Regiis auctoritas, nemo tamen vel Prorex, vel Gubernator, vel Iudex supplicio capitis quenquam afficere potest, nisi capitalis sententia à Rege confirmetur, excepto cum bellum est, ibi enim licet summo copiarum Præfetto aut

M

Legato

Legato eius militem nocentem interficere, non consulo rege vel summo Senatu: sufficit enim si Praefecto Aetarii & Magistro Castrorum id innotescat, quorum in hoc puncto summa est auctoritas.

Reguntur vero Prouinciæ Paquiensis & Tolanchiensis à Summæ Curia Regiæ Assessoribus, interuentu Ministrorum vel Praefectorum inferiorum; at reliquæ XIII. Prouinciæ singulos suos habent Proreges, quos ipsi *Insuantes* vocant, qui semper in primaria ciuitate habitant. Et si autem Gubernatores omnes communi nomine sese *Loytias* appellant, aliud tamē semper cognomen addunt, pro ratione Praefecturae aut Officii quo funguntur.

Summum Magistratum in Prouincia gerit Vicerex, qui ab incolis *Comon* vocatur: proximus ab eo dicitur *Insuans*. Rector Ciuitatis, in qua non est Gubernator, appellatur *Tutanus*. Hic ea quæ maioris momenti sunt, ad Insuantum refert, Insuans ad Comonem, hic ad Auditores Summæ Curia, & hi porro ad Regem.

Quartus Magistratus dicitur *Ponchasis*, estque supremus Quæstor in Prouincia, siue, vt nostro more loquamur, Praefes Consilii Financiarum. Habet hic sub se Quæstores inferiores, Ministros Rationales & Exactores Tributorum. Collectas pecunias Ponchasis ad Tutantum defert, qui velut supremus est regionum Computorum Magister. Quintus appellatur *Anchasis*, estque Praefes Iustitiæ in causis criminalibus & ciuilibus. Hic cum collegis suis Iudicibus decidit omnes litigantium controuersias, in primis cum ab inferioribus tribunaliibus ad eum prouocatio facta est. Sextus vocatur *Ayao*, estque Praefes Consilii Bellici, penes quem est conscribere milites, si opus sit, & instruere naues, & expedire comœatus, & praefidiis munire fines regni. Hic rationem reposcit à peregrinis, qui veniunt in prouinciam, quæ causa sit aduentus eorum. Horum autem sex Magistratum quiuis habet suos Assessores & Consiliarios, numero X. quorum de sententia res omnes expedit.

Cum in Prætorium hi conuenere, sex confident ad dextram Praefidis, sex ad sinistram qui ad dextram confident, eorum cingula aureis fibulis bullisque ornantur: qui ad sinistram argenteis. Illorum operimenta capitis sunt coloris flauī, horum vero carulei. Gestant autem tam Praefides quam Senatores in pectoribus humerisque suis arma Regis, opere phrygio vestibus intexta, neque sine hoc amictu vllum actum soleanem exercere possunt: quod si negligant pœnas graues non euitabunt.

Praeter Iudices superiores sunt etiam alii velut subalterni, inter quos est qui *Cantos* vocatur, Vexillifer Regius: & *Pochinus* Subpraefectus Aetarii: & *Pochinsus*, custos sigilli regii: & *Auzatzus* Praepositus ciuium. Super hos sunt alii tres, velut Alcades, Praepositi aut Iudices in Hispania, qui ius dicunt in suis domibus, quauis septimana semel: cumque tempus est audiendi litigantes, dant signum explosis quatuor tormentis minoribus, vt omnes adesse & sententiam audire possint. Quod si quis reus vadimonium deserat, vocatur per apparitorem, proposita tabella, qua pœna perscripta est, quæ contumaci sit irroganda. Habet autem quiuis ex his iudicibus mille habitatores sub sua iurisdictione, quæ non extenditur latius, quam districtus eius patet: Hi & noctu per vicus vr̄bis obambulant, curantes vt omnia etiam in priuatorum ædibus tranquilla sint, vt que focus diligenti cura custodiatur, cum magnum sit à fortuito incendio periculum. domibus fere contiguis & è ligno fabricatis, quales in Cantabrorum regione videmus. Si quis vltra praefixum tempus domi lumen habeat, multam incurrit. Datur autem ab his prouocatio ad Praepositum vel Iudices Curia non vero ad alios, excepto Visitatore Generali, qui cæterorum omnium errores & delicta corripit, ideoque dicitur Chinesium lingua *Hondin*, id est, Reparator Mali.

Praefectus Annonæ Chinesibus *Tompo* dicitur: at qui in erroneas & ociosas Planetas animaduertit, *Tribuc* vocatur. *Quinchens* est Commentariensis, qui curam gerit captiuorum: & hic quidem stans erectus cum Iudicibus loquitur, cum cæteros genibus innixos loqui oporteat.

Cæterum id vnice operam dant, ne Prorex aut Gubernator, qui in Prouinciam mittendus est, vt & Auditor vel Iudex, in ea natus sit, vel ex ea vr̄be, cui praefuturus est, genus ducat, gnari, multa sæpe à Iudicibus dari gratiæ consanguineorum, & ex altera parte odia partium sæpe corrumpere iudicia. Ne autem paupertate coacti munera accipiant à litigantibus, Rex iis opima praestat salaria, contra autem capitale est Iudicibus, si se muneribus donisque corrumpi sinant. Quod si qui aliorum ad exercenda iudicia mittantur, iniungitur iis seuerissime à summa Curia, ne quem litigatore aut actorem causarum domi audiant, neue sententiam pronuncient, nisi in pleno iudicum auditorumque consensu.

Iudex, vbi confedit, ad sunt ad fores Ostiarii & Apparitores, citantque nomine eum qui ius sibi dici cupit. Ingressus cliens in genua subsidet, longius tamen à Iudice, exponitque vel

voce

voce viua vel scripto suam desiderium. Si scripto: accipit illud tabellio, legitque coram Iudice: qui audita querela supplicis, decernit quæ iusta videntur, subscribitque de creto sua manu, non atramento sed succo rubicundo.

Iubet autem Lex regia Iudices ieiunos audire litigantes, quæ quidem lex strictissime apud eos obseruatur, punitis secus facientibus. Muneribus ad peruertendum ius corrumpi nemo potest, vt non resciscant reliqui in iudicio, ob causas quas supra adduximus. Si quis in hoc genere damnas fuerit, vique adeo castigatur, vt etiam à carnifice aliquot ictus, ob quam causam ipse tamen infamis non fit, quod crebro ita vsu venire solet.

Aguntur autem omnia, tam in ciuilib. quam criminalibus Iudiciis, scripto, vnde acta litis emergunt, & examinantur testes coram Magistratu, ne quod crimen aut falsitas concurrat. Auditur vero quiuis testis separatim, qui si diuersa aut contraria deponant, omnes in eundem locum iuxta sistuntur, vt alii alios confitent, donec pateat veritas: quæ si elici à tergiversantibus non possit, adhibentur quæstiones & fidei iuramentum: non tamen hæ locum habent in viris honestis grauib. quorum assertioni fides habetur. In causis magni momenti, vel quæ vir os in dignitate constitutos contingunt, non fidunt iudices scribis aut tabellionibus, sed ipsi suis scribunt acta manibus, ne quæ fraus aut oscitantia interueniat: vnde fit vt nemo de iudicibus cõquerendi causam habeat. Numerant autem Iudices in omnibus iurisdictionis suæ locis domos ciuium, consignantque eorum dena nomina in tabella, quam appendunt ad vltimam illius decuriæ domum. Quod si quis ex hac decuria in aliud oppidum siue aliam plateam in eadem vr̄be migrare velit, aut iter longum atque periculosum suscipere, oportet eum cum tintinnabulo siue ærea pelui, quam increpat, per totam illam circumire plateam, decem diebus antequam emigret aut proficiscatur, vt tota vicinia intelligat de discessu eius, & si quid



29

M 2

cuiquam

cuiquam debeat argenti, vt id prius dissoluat, aut si quam rem commodato accepit; vt ab eo repeti possit. quod si quis negligat, & tamen emigret, cogunt iudices reliquos nouem, quorum nomina in tabella perscripta sunt, & eius alienum dissoluere, quod gnari eum mutaturum domicilium, id creditoribus eius siue iustitiae non indicauerint.

Debitor, qui luere in aere vel bonis non potest, corpore luit, coniectus in carcerem, constituto ad solutionem termino, intra quem si non satisfaciatur creditori, prima vice modice flagris caeditur, praefigiturque secundus terminus. quem si is non obseruet, flagellatur iterum, sed asperius: & sic tertio quartoque caeditur, semper crescente plagarum numero. Facit haec seueritas, vt debitores magna cura cum creditoribus de solutione agant: captiui vero & verberati, si frustra amicorum & propinquorum opem implorauerunt, metu tormentorum vltro addicant se creditoribus in seruitutem. Fidicularum siue Tormentorum, quibus iudices ad exprimendam veritatem vtuntur duum generum, ea est acerbitas, vt rei ad conspectum eorum, vel etiam antequam in medium proferantur, vera proloquantur. Carcerum is est squalor & atrocitas, vt poenae potius quam custodiae rationem habeant, & horrorem cogitantibus incutiant.

Etsi autem Iudicum officium non nisi per triennium durat, quo elapso reddere tenentur rationem omnium actorum: Rex tamen singulis annis mittit in prouincias Visitatores, viros iustitiae & prudentiae laude claros, qui in iudicum acta inquirant: hos ipsi Chineses *Leuchia* vocant. Hi si iudices in crimine deprehendant, possunt eos pro auctoritate punire, vel ad tempus ab officio suspendere, vel eo in integrum priuare: sententiam tamen capitis in eos ferre in scio Rege non possunt. Afficiunt etiam iidem Visitatores condignis praemiis, quos cum laude & fide in officio versatos comperiunt: vt tam metu poenae quam spe praemiorum recte faciant. Ex his omnibus colligi potest, regnum hoc optimo iure, & quissimisque regilibus.

Supplici orum apud eos varia genera in vsu sunt. Laqueus, Ignis, Scolopismus; quanquam Igne soli proditores regis puniantur. Adulteria capitalia omnino sunt, & qui his scientes conuenient, ad exemplum aliorum certis poenis afficiuntur. Belli serere materiam, aut tumultus concitare nulli fas est: neque nisi de consensu regis nauigare Oceanum licet. qui negociandi causa è regno abit, cogitur vades sistere, se intra definitum diem reuersurum: id nisi faciat aqua & igni ei interdicitur. Extraneus in regnum siue mari siue terra intrare non potest, nisi permittente Rege: omnia enim itinera & portus marini studiose obseruantur à viarum littorumque praefectis. Nostra tamen tempestate conuenient Portuum Praefecti exire è regno volentibus, interuentu munerum, quae iis Mercatores offerunt, quibus illi secreto licentiam dant, nauigandi in vicinas Insulas, puta Philippinas, aut ad littora Indiae, factumque est anno A. N. C. MDLXXXV. vt tres naues Mercatoriae Chineses ad littus vsque regni Mexicani accesserint. Tempus autem quod profecturis ad reditum constituitur, est XII. mensium.

Iidem Iudices & Gubernatores multoties permittunt, mediante donatio, peregrinis, vt portus Chineses ingrediantur, ibique vendant emantque, ita tamen ne per vrbes vagentur, aut curiosius perlustrant res ciuitatis. Datur autem eis haec licentia inscripta tabellae lignae, quam exotici mercatores in prora nauis sui erigunt, cum appellere volunt, ne à praesidiariis arceantur, sed exercere mercimonia cum indigenis possint, si Regi consuetum persoluerint tributum & vectigal.

Estque in vnoquoque portu scriba, qui annotat, quo die & hora quaeuis nauis sit ingressa portum, vt quaeque nouerit, quando exonerari debeat.

Hinc fit, vt quamuis non semel duo millia nauigiorum in vno portu stent, non maiore tamen tumultu & clamore onerentur, quam si duae vel tres essent.

Pauperes in regno Chinesis non colligunt ostiatim stipem, neque in Templis Idolorum suorum, sed interdicta est lege omnis mendicatio, caeterisque prohibitum, ne mendicantibus quicquam dent, sed eos ad Curatorem Pauperum deferant, qui horum necessitatibus ex officio prospicere debet. Hic ad certum diem per praconem proclamari iubet, si quis habeat liberos ita corruptis membris, vt laborare non possint, vt ad se deferat nomen eorum, quo eis ex prouentibus regis prospici possit. Est autem lex, quae iubet ostendi infantem, vt iudicari possit, sitne ad artem aliquam vel opificium admoueri idoneus. Si talis deprehendatur, praestituitur patri certum tempus, intra quod filium alicui opificio adhibeat, ad quod videtur aptissimus. Si vero mancus adeoque debilis sit, vt laborare omnino non possit, iudex suppeditari iubet patri eius tantum sumrum, quibus filium ociosum alere possit. Si puer patrem non habeat, commendatur proximo agnato, praesertim si cum re sit ampliore.

Si pau-

Si pauperior sit, oportet caeteros omnes conferre ad pupilli nutritionem.

Si agnatis propinquisque penitus destituatur, recipitur in Orphanotropheium Regium, siue Domum Hospitalarem, in qua aluntur etiam capti membris & decrepiti senes, vt & emeriti vulneribusque debilitati milites. Qui ad hunc modum aluntur, exire Xenodochio nisi de consensu Magistri non possunt: neque datur eis exeundi licentia, nisi cum necessitas sic exigit. Ne autem plane ociosi sint Hospitalarii illi, incumbit eis cura nutriendarum gallinarum, anserum, porcellorum aliarumque pecudum minorum. Iudici subest Administrator, & vtrique imperat Visitator, qui sepius inspicit eiusmodi domus Hospitalares per prouinciam. Caeci non reputantur inter eos, quos vel propinqui vel rex alere tenetur, cum molere possint frumentum, & folles ducere in fabricis, & eiusmodi perficere opera, ad quae oculorum vsus non est necessarius. Puellae destitutae luminibus, ad nocturna gaudia in Lupanar includuntur, vbi omnes meretrices à Lenis & prostibulis exoletis in arte meretricia instituuntur. Relegatur autem omne hoc genus meritorium ab vrbe in suburbia, habentque in his peculiarias suos vicos, extra quos illis pedem efferre non licet, donec hoc quaestus genus exerceant. Pauperulae viduae ad egestatem redactae, possunt vendere liberos suos, vt se alant, & sunt quidem mercatores, qui magnum ex ea re lucrum percipiunt, cum teneras puellas emunt, easque docent cantillare, ludere fidibus, saltare, & id genus artes leues cumque adoleuerunt, deducunt eas in Suburam, vt corpore quaestum faciant. Addicturi puellam quaestibus meretriciis, antequam eam prostituant, deducunt ad Iudicem, cui harum mulierum cura incumbit. Iudex acceptam eam manu, illi rei velut initiatam addicit, & ex eo tempore nihil in eam potestatis habet nutricius eius, sed venit singulis ad Iudicem mensibus, vt accipiat è quaestu meretricio quantum ei à Iudice assignatur. Refunditur eidem & educationis precium, & quantum pro ea exposuit, cum eam emit, prostrepto didactum, quod eam in artibus illis ludendi saltandique etudiri curauit. Quod superest, Iudici cedit, qui curam earum gerit, eiusque nomine rationem quotannis reddit Visitatori. Vbi senectus eas deformes lipasque effecit, prospicitur iis alia ratione, ne egeant, esuriantue.

Pueri à pauperulis matribus venditi, ad opificia admouentur, quae vbi didicerunt, seruiunt emptori nutricioque suo ad certum tempus, quo elapso, manumittuntur, vt uxorem ducere & se alere possint. Vicissim iuuenes illi, vt grati sint pro beneficiis oblata strena singulis annis patronos nutriciosque suos honorant.

In emendis mercibus non vtuntur argento signato, sed ad cauendam omnem fraudem vendunt emuntque appensis ad bilancem particulis argenti, in quem vsus secum ferunt forficem cum trutina in theca lignea. Si ponderosus aliquid examinandum est, habent Mercatores in domibus suis grandiores libras cum ponderibus signo regio notatis; neque eudum monetam nisi cupream, valoris vnus Liardi, cuius singuli nummi perforati traiectione filo lineo cohaerent: suppleunt autem hoc numismatis genere, quod maioribus nummis argenteis superaddendum est, aut vtuntur eo, cum res viliores emunt. Foeneratores, Pestis Reipublicae, si vsuras vltra fas extendant, graui multa afficiuntur. Claudis tamen, mutilis caelisque in hoc genere aliquid amplius licet.

Sunt in vniuersum omnes Chineses Idololatrae, exceptis oppidò quam paucis, qui à Religio vel Iesuitis ad Fidem Christi conuersi sunt. Habent autem Idola eorum nihil non horrendum & detestabile aspectu, quibus tamen infelices plurimum deferunt honoris. Tribuunt autem Idolo corpus propemodum humanum, à quo summo inter humeros prodeunt tria capita, se inuicem intuentia, quibus vna omnium voluntas, & sensus, vt ipsi quidem aiunt, intelligitur: vnde quis suspicari possit, perceperit illos aliquid de fundamentis Religionis Christianae. Inueniuntur & apud ipsos picturae XII. Virorum, ea prope facie ac habitu, quo apud nos XII. Apostoli pinguntur.

Si vero quis ex ipsis percunctetur, quinam Duodecem uiri illi fuerint? respondent, fuisse eximios Philosophos, & qui in laude & virtute vixerint, ideoque in caelum translati fuerint. Conspicitur etiam apud eos imago mulieris supra modum pulchrae, quae infantem vnus complectitur, quam aiunt virginem peperisse, fuisseque filiam praepotentis regis.

Res omnes, siue cerni conspicique possint, siue non, ab ipso Caelo creatas fuisse asserunt, ideoque id prima littera Alphabeti exprimunt, non scribendo sed sonando: aiuntque Caeli Legatum summum appellari *Lacon Tzautei*, id est, Gubernatorem Dei, cui & summum honorem deferunt post Solem. Hunc Gubernatorem cum caeteris creatum negant, sed ab omni auro fuisse, neque eum habere corpus, sed esse spiritum. Tertium quoque aiunt eiusdem esse Naturam, quem *Cansaium* vocant, cui tribuunt curam rerum sublunarium, aiuntque in eius manu esse vitam & mortem hominis. Hunc porro *Cansaium* tres alios sub se Spiritus

M 3 habe-

habere autumant, quorum ipse opera in officio suo vratur. Nomina horum Spirituum sic expriment: *Tancam*, *Teiquam* & *Zuiquam*, quorum singulis singula adscribunt officia. *Tancamo* dant praefecturam pluuiarum & omnium aquarum, quibus irriganda est terra. *Teiquamum* praesidem statuunt natiuitatis hominis, aiuntque ipsam authorem esse bellorum, & segetum fructuumque. *Zuiquamus* est eorum Neptunus, qui regit mare & nauigantes in eo. His variis Idolis representatis nuncupant vota sua, dedicant ludos scenicos, quos & coram eorum statuis peragunt.



In numerum Sanctorum referunt ingentem mortalium numerum, breuiter quotquot aliis antecelluerunt robore & fortitudine in bello, scientia & industria, austeriore genere vitae: vt & eos, qui vitam innoxiam vixerunt, aut multis aliis profuerunt, quos omnes vocant *Pausaos*, id est, Felices siue Beatos. Diabolo, cuius statuas detestandas & horribiles habent, sacrificia offerunt, improbum illum noxiumque non negantes, sed ne laedantur ab eo cum corpora tum bona eorum. Reliquorum Idolorum, cum non sit numerus, nos de praecipuis tantum mentionem faciemus.

Primus Heroum siue Sanctorum inter eos appellatur *Sichia*, quem dicunt venisse ab Regno *Trantheyco*, quod in occidentibus sit partibus. Hanc autumant fuisse inuentorem vitae religiosae atque monasticae in regno, qui vna viuente, a matrimonio abstinent, & in cœnobiiis claustratam agunt; cum *Sichia* ille caput caluum habuerit, abradunt capillos quotquot eius sequuntur instituta.


Deam siue Sanctam quam colunt, vocant *Quaninam*, aiuntque fuisse filiam *Tzontonis* regis, cui tres fuere filiae, ex quibus duae nupserunt: tertia *Quanina* elocari noluit, dicens se cœlo vouisse perpetuam virginitatem. Pater indignatus filiae, inclusit eam in locum similem monaste-

monasterio, vbi aquam hauriret, ligna portaret, & praegrande terrae spacium, quod sentibus & dumetis horrebat, perpuraret. Narrant Chineses, Simias vltro venisse, eamque iuuisse, sanctos vero caelestes hausisse aquam, & bestias syluestres ligna è vicinis nemoribus supportasse. Pater hæc omnia Magicis artibus tribuens, iniici iussit loco ignem, vbi commorabatur. Sed effusis largiter imbribus ignis extinctus fuit. Vt igitur paternas effugeret insidias, aufugit occuluitque se in spelunca vicini montis, vbi sanctam sed acerbam egit vitam. At Pater à veribus & lepra immedicabili consumptus, nequitiae poenas dedit. Huius morbo cognito filia, quæ diuinitus erudita fuerat, accurrit, vt ei sanitatem restitueret, qua visa æger cum conuulisset, ignouit filiae eamque adorauit. Volente autem filia ab adoratione patrem deterrere, & super ea re cum eo litigante, intercessit Sanctus quidam, dixitque, sibi non filiae cultum illum exhiberi.

At illa confestim se in solitudinem recepit, ibique magna sanctitate reliquam vitae exegit. Hanc adorant Chineses, vt apud cœlum pro se intercedat & gratiam impetret.

Tertio loco ponunt aliam Diuam, nomine *Neomam*, ex vrbe *Cochi* in prouincia *Oquia* mensi oriundam. Aiunt hanc fuisse viri Principis filiam, quæ cum fugeret nuptias, se receperit in exiguam quandam Insulam, ex aduerso *Ingoæ*, vbi cum austeram vixisset vitam, post mortem multis claruerit miraculis. Ferunt autem Nautæ statuas eius in puppi nauium suarum erectas, eique vota & sacrificia offerunt. Ex his exemplis videmus, in quanto honore sint apud has gentes *Monachi* & *Moniales*.

Sortium genera apud eos plura in vsu sunt, praecipue autem duo, quorum prius est huiusmodi. Duas particulas ligni teretis filo colligant, quæ tamen ab vna parte planæ sunt. Has proiiciunt ante statuas Idolorum suorum, alloquentes prius *Deastrum* suum certis conce-



ptisque

ptis que precibus, orantesque, vt bonum aliquid pertendant Sortes, pollicentes vicissim gratia sacrificia. Si proiectæ Sortes ita cadant, vt pars plana se ostendat, aut vnum quidem lignum partem teretem, alterum planam humi obuertat, obscænum interpretantur signum, conuersique ad Idolum, plaustra conuictiorum in illud despuunt. Satiati probris iniuriisque, ad blanditias & palpos conuertuntur, onerantes Deastrum promissis opimorum munerum & sacrificiorum, si sortes ex sententia cadant. Si aliquoties abnuant proiectæ sortes, irati corripunt statuas siue Idola sua, eaque humo affligunt pedibusque calcant, vel in mare demergunt, aut igni admouent, vt amburantur paulum: aliquando cædunt ea virgis, flagrisque, idque tandem, donec Sortes illæ lignæ ceciderint, vt ipsi optauerunt, id est, pars teres & rotunda sursum vertatur. Si vero Sortes mature arideant, & bonum polliceantur euentum, instituunt festum in honorem Idolorum suorum, cantantes hymnos in eorum laudes, offerentes rostrum porcinum coctum, quem cibum existimant delicatissimum.

Vtantur præterea & alio genere Sortium, quod tale est. Multa folia singulis litteris inscripta in vas quoddam coniiciunt, eaque inter se confundunt, versantes subinde. Post puerulum admouent, qui immissa in orificium vasis manu, folium aliquod extrahit, cuius conspecta littera, quærant in libro, qui ad manus est, paginam, quæ ab illa littera vel nota incipit, postea interpretantur, quod in ea pagina scriptum est, vt videant, respondeat ne votis suis an non.

Omnibus hic mos est Chinenfibus, vt in graui aliquo morbo vel damno ad Diaboli opem confugiant, in quo inuocando his vtuntur ceremoniis. Extendit se vir quidam humi, ita vt ore terram contingat, at alius incipit è libro incantationes legere, cui pars adstantium cantillando respondet, reliquis impulsu tympanorum & tintinnabulorum sonum cientibus. Paulo post is, qui corpus ita humi extenderat, frèdere dentibus, distorquere os, & hæreticose ciete gestus incipit, vnde colligunt, Cacodæmonem iam in corpus eius ingressum. Tunc, qui consulunt oraculum, sciscitantur de dubiis euentibus ex oblesso, qui plerumque ambigite respondet, ita vt in vtrumque sensum responsum torqueri possit. Si Diabolo parum placeat verbis respondere, tunc obtinent ab eo responsum per litteras in hunc modum. Lintheam aut simile quid humi extendunt, sparguntque æqualiter super istud Chænicem Orizæ & continuo admouent hominem qui nescit litteras, cum bacillo in manu, adstantes autem sonare atque cantare incipiunt, vt infra attingemus.

Paulo post intrat malignus Spiritus in corpus illius, qui baculum tenet, incipitque demoniacus inscribere in orizam litteras siue notas, quas colligunt formantque in vocabula, vt inde responsum eliciant, quod tamen plerumque vanum est & mendax.

In cæteris ita sentiunt: ab omni retro tempore Cælum, Terram & Aquam vnum permixtumque Chaos fuisse: ibi quendam nomine *Tayn*, summæ scientiæ & sapientiæ, Terram à Cælo separauisse, & cæum quidem summam partem petiuisse, Terram vero imas, pondere suo depressam. Eundem *Taynum* ex nihilo creauisse virum *Pansonem* nomine, & feminam *Pansonam*. Hunc rursus *Pansonem* accepta à *Tayno* potestate creauisse alium nomine *Tanomum* cum XIII. aliis, fratribus eius. *Tanomum* fuisse virum multiplici scientia, vt potuerit imponere nomina omnibus rebus creatis, cognita earum virtute & vsu præcipue in morbis.

Porro *Tanomum* & fratres eius numerosam habuisse sobolem, & primogenitum quidem *Teiencomum* genuisse XII. alium *Tubucomum* IX. cæteros vero non pauciores. Horum posteritatem nugantur durauisse X. millibus annorum, quibus elapsis desiisse genus humanum. *Taynum* enim nescio quibus affectum iniuriis, simul & inuidia, quod videret homines se contempto nimis sapere velle, fecisse, vt cælum in illos rueret, omnesque opprimeret. Hoc vero in altum sublato, *Taynum* creauisse alium hominem, nomine *Lorzizatum*, bicornem, qui vbi disparuisset, reliquerit post se plurimos vtriusque sexus homines, à quibus orti fuerint ii, quibus etiamnum mundus repletus est. Primum qui ex *Lorzizato* natus fuerit, appellant *Azalamum*, quem vixisse perhibent annis CM. secundum *Arzionem* à cælo, qui matrem eius *Lutinam* impleuerit, generatum, vixisse annis DCCC. Ab hoc procreatum *Vsaonem*, & huius quidem temporibus multos fuisse in Mundo homines, qui non nisi rebus crudis visitaerint. At *Vsaonem* eos docuisse in excauatis arboribus habitare, vt tuti essent à noxiis bestiis: simulque corpus vestimentis munire.

Post *Vsaonem* prodiisse quendam nomine *Huntziuum* qui inuento igne docuerit mortales coquere cibaria, & mutare rem pro re, loco emtionis & venditionis. Post hunc aiunt feminam quandam *Hautsibonam* peperisse filium *Ocheuteium*, qui multas variasque res inuenerit, inque primis auctor fuerit Matrimonii. Hunc aiunt miraculose de cælo descendisse bono generis

neris humani hoc modo. Matrem eius incedentem per viam incidisse in vestigium pedis humani, cui cum suum ipsa pedem impressisset, repente lucem delapsam cælitus eam circumfulsisse, vnde è vestigio grauida facta discesserit. *Ocheteii* huius filium *Etzomlonem*, inuentorem Medicinæ & Astrologiæ Iudiciariæ, hominibus colendi agri rationem ostendisse. Solitum hunc fuisse memorant vesci herbis venenatis, citra tamen noxam, adeo vt CCCC. annis vixerit. Filium postremo huius *Vitium* Chinam in regni formam reduxisse. Et hæc eorum est sententia de creatione Mundi & propagatione generis humani.

Animas hominum immortales esse credunt, easque percipere vel pœnas vel præmia, pro ratione eorum, quæ cum corporibus coniunctæ patrauerunt. Animam porro aiunt è cælo originem suam ducere, à quo substantiam acceperit immortalem. Eorum animas, qui secundum Leges Patrias vixerint: neminem iniuria affecerunt, scelera nulla designauerunt, recta in cælum eleuari, vbi æternis perfruatur gaudiis: qui autem turpiter & scelerate vixerunt, in obscuro carcere & perpetuis tormentis sine fine cruciari. Locum quendam esse opinantur, in quo Animæ, quæ in beatorum Geniorum numerum recipi debent, purgandæ sint ab iniquitatis corporis, & suffragia atque bene acta propinquorum multum iuuare purgationem istam.

Oraturi pro mortuis ita faciunt. Vnus inter eos, qui Sacrifici partes obit, gestat exiguum manu tympanum: quidam ex nouitiis crepitaculum tenet, alius tintinnabulum: sic accedunt ad Aram eorum Sanctorum, quos defunctorum Aduocatos arbitrantur, faciuntque suffitum ex *Styrace*, *Thure* aliisque odoramentis. Postea ponunt aliquot mensas cibis oneratas pro mortuis & Sanctis, continuoque ad sonum crepitaculorum, nolarum & tintinnabulorum incipiunt cantilenas hymnosque quosdam, discurrentibus nouitiis, & certas quasdam



preclusas pro defunctis chartaceis foliis inscriptas aræ imponentibus. His aliisque ceremoniis totam noctem exigunt, & sub diluculi tempus, inuadunt comeduntque cibos mensis illis impositos, de quibus paulo ante diximus.

Vulgi error hic est, quod putant animas maleficorum, antequam in æternū demergantur carcerem, quæ post interitum mundi creandū arbitrantur, migrare in corpora bubalorum aliarumque bestiarum: qui vero in virtute vixerunt, in Regum Principumque corpora.

Inueniuntur hinc inde per regnum hoc loca quædam clausa, Monasteriis nostris similia, non in urbibus tantum oppidisque, sed etiam in agro, ubi multi viri fœminæque viuunt cõmuniter, velut in Cænobiis more Religiosorum nostrorum. Sūt autem horum Monachorū Ordines quatuor, quorum quisque habet suum præfectum Generalem, habitantem in Vrbe Xantien. Appellatur autem Generalis iste *Tricon*, qui sub se habet Prouinciales suos, qui hinc inde obeunt Monasteria, & in delinquentes à regula animaduertūt. Hic Prouincialis in vnoquoque Conuentu constituit alium, velut Abbatem aut Priorem, cui ceteri obedire tenentur. Generalem Ordinis non creant capitulares (vt vocantur) sed rex ipse, nominat eum summo Senatu. Incedit hic vestitus toga holoserica, eius coloris quæ Ordo illius gestare solet, puto nigri, vel flauī, vel albi, vel deniq; subfusci: his enim quatuor coloribus totidem Ordines isti distingui solent. Neq; vero vnquã domo prodit, nisi insidens cathedræ marmoreæ vel inauratæ, gestatus à VI. vitis eodem colore vestitis. Quidam inter eos mendicando per plateas urbium victum querunt, sonum cientes crepitaculis suis, instar sacerdotum Cybeles. Caput mentumque omnino radunt, orantelque Cælum inuocant, quem summum Deorū statuunt, & post hunc quendam Sinchiam inuentorē auctoremque Ordinis Monastici, Filius primogenitus, prohibentibus legibus patriis, Monachus fieri non potest, cum obligatus sit patrē & matrem in senecta alere. Idolis suis mane & vesperi offerunt thymiamata è thure Benzoino, ligno Aloes & Caiolaco, vt & pastillis quibusdam odoratissimis. Si quæ nauis primum Mare intrat, adfunt Religiosi isti, proque eius salute sacrificant in puppi, offerentes depictas chartulas, quas coram Idolo discerpunt, nõ sine canticis & sono tintinnabulorum, atque ita honorē habentes Cacodæmoni, quem depictum habent in nauigiis suis. Hoc factò comedunt bibuntque ad nauseam vsque, credentes hoc pacto nauem sanctificatam esse, & omnes qui ea vehuntur, prospera vsuros fortuna.

Academiarum magnus splendor & solemnitas est per vniuersum hoc regnum, florentibus studiis Philosophiæ & Legum, neq; hic vlla est prærogatiua nobilitatis, sed tantum eruditionis & doctrinæ: hinc fit, vt accessus ad Magistratus & honores doctis hominibus pateat, quib. ii magna solemnitate cõferuntur. Omnis virorum doctorum vita in deliciis & magnifice peragitur, vocanturque *Loytæ* & *Mandarini*, gestatiq; sedilibus opertis, semper ocio & suauitati vitæ student.

GENEALOGIA REGVM CHINENSIVM.

Cum primus *Viteius*, vt diximus, Prouincias Chineses in vnum corpus vnumque regnum reducerit, non absurde faciemus, si ab illo incipiemus, deducto successione filio vsq; ad eum, qui nostra memoria regnavit Sinarum Regem. Igitur *Viteius* iste primus rex inter Monarchas Chineses ponitur. Narrant de eo Chinesium annales inter alia, quod proceritate corporis VII. mensuras Chineses exæquauerit, quarum vnaquæque constituit duas tertias vni. us vlnæ Hispanicæ, ita vt altus fuerit quatuor vlnas & duas tertias. Addunt eum tam latum fuisse ab humeris, vt latitudo spaciū inter vtramque scapulam fuerit spithamarum VI. & robur membrorum omnino respondisse vastitati corporis. Legatum eius in bello fuisse *Lincheonem* qui cum fortitudine & magnitudine animi prudentiam coniunxerit, vt facile subiecerit *Viteio* tam amplum istud terrarum spaciū, eumque formidabilem fecerit toti *Asiæ*. Tribuunt *Viteio* regi inuentionem longioris togæ, tincturæ, nauium & ascia siue securis ad findenda ligna.

Narrant & summum Architectum fuisse, & multa extruxisse egregia ædificia. Primus hic in regnum inuexit vsu auri & argenti in vestibis, vt & Margaritas atque gemmas. Partitus insuper ciues suos in vrbes, oppida & pagos, instituit opificia, lata lege, ne quis aliam addisceret artem, quam pater eius exercuerat, nisi de consensu regis aut Præfecti Prouinciæ. Qui eiusdem artis & conditionis erant, iis in eadem platea assignauit domicilia, vetuitque, ne qua mulier ociaretur à labore, sed vt vel iuuaret virum, vel vt neret, texeretque, fuitque hæc lex adeo omnibus mulieribus communis, vt nec vxor eius feriata fuerit. Fuerunt Regi huic vxores IV. è quibus sustulit liberos XXV. regnavitque annis C. & post eum reges CXVI.

vsque

vsque ad eum qui longum struxit murum, omnes è profapia *Viteii*, qui simul regnauerunt annis MMCCCLVII. Hos omnes numerare & longum foret & tædiosum Lectori: contenti ergo erimus, eos solum retulisse, in quibus aliquid momenti est ad ostendendam successione in hac corona, post CXVI. illos reges vsque ad eum qui nostra memoria rebus præfuit.

Vltimus ex posteritate *Viteii* fuit *Tzinzonius*, cui debetur longus ille murus, quem struxit immenso labore, cum tot Tartarorum incurfionibus vexari videret regnum suum. Cum autem in tam insana structura infiniti perirent mortales, ab omnibus odio habitus, & à suis interfectus est, cum regnasset annis XL. relicto hæc rede filio suo *Aguntzio*, qui iam ante aliquandiu cum patre regnauerat. Sed & hoc occiso, elegerunt Proceres Chinesium quandam *Anchosauum*, hominem alti spiritus & bellicosum, qui regnavit annis XII.

Successit huic filius *Futeius*, qui adolescens obiit cum regnasset annis VII. Huius morte mater eius, regio orta sanguine, regni gubernacula per annos XVIII. tenuit, magno regni bono: quæ cum filium non haberet, *Anchosau* filius ex alia muliere regnum adeptus est, qui regnavit annis XXIII. successorem habens *Cunteium* filium, qui regnavit an. XVI. mens. VIII. *Hunteius* *Cunteii* filius præfuit regno LIV. annis, relicto successore.

<i>Chanteio</i> , qui	} regnavit annis	XIII.
<i>Chanteus</i> II.		XXV. mensibus III.
<i>Chanteus</i> III.		XVI. mens. II.
<i>Tzentzeius</i> .		XXVI. mens. IV.
<i>Pintareius</i> .		V.
<i>Tzinzunius</i> <i>Pintareii</i> frater		III. mens. VII.
<i>Huyhannon</i> .		VI.
<i>Cubuuum</i> .		XXXII.
<i>Bentheus</i> .		XXXVIII.
<i>Vntheus</i> .		XIII.
<i>Otheus</i> .		XVII. mens. V.
<i>Iantheus</i> .		mens. VIII.
<i>Antheus</i> .		XIX.
<i>Tanteus</i> .		mens. III.
<i>Chiteius</i> .	I.	
<i>Quanteius</i> frater superioris	XXI.	
<i>Ianthesius</i> .	XXII.	

Huius filius *Iantheus* regno præfuit annis XXXI. Cum autem parum compos esset bonæ mentis, in odium Chinesium incurrit, vnde quidam ex nepotibus eius *Laupius* seditione contra eum mouit, conspirantibus cum eo duobus Equitibus in Regia, viris fortibus, quorū vni *Quateio* nomen erat, alteri *Trunteio*, qui stupebant *Laupium* regem facere. Et si autem hoc non fugiebat *Iantheum*, adeo tamen dissolutus & iners fuit, vt quid faceret, non inueniret. Causa hæc fuit, vt plures in regno reguli Tyrannidem affectarent, in primis vero quatuor, quorum hæc sunt nomina: *Cincoam*, *Sofoc*, *Guanfiar* & *Guanfer*. His intulit bellum *Laupius*, sub prætextu iuuandi regem, cumque aliquandiu inter ipsos disceptatum fuisset, fecit *Laupius* cum *Cincoamo* pacem, ducta huius filia in vxorem, continuoque bello appetiuit tres reliquos Tyrannos, de consensu Regis.

Fuit tunc regnum istud diuisum in tres factiones, quarum præcipua sequebatur *Laupium*, defuncto *Iantheo* rege, altera *Sofocum*, tertia *Cincoamum*, *Laupii* focerum: duravitque hæc diuisio donec *Cuiteus* *Laupii* filius post patrē regnare cœpit. Cõtra hunc insurrexit Tyrannus quidam, nomine *Ciambuteius*: sed *Cuiteus* interfecit eum, vniuitque denuo totum regnum, quod scissum laceratumque fuerat annis XLI. *Cuiteus* regnavit solus annis XXV.

Huius filius *Fontheus* regnavit post patrē annis XVII. & vt tã tædiosæ enumerationis cõpendium faciamus, præferunt regno Chinesium ex hac familia reges XV. qui regnauerunt per annos CLXXVI. Vltimus horum fuit *Quienteus*, ex cuius sanguine prodierunt reges VIII. qui regnauerunt annis LXII. Aduersus vltimum horum *Siteium* insurrexit quidam nomine *Coteius* pater quinque regum, qui potiti sunt rerum per annos XXIV.

Horum vltimus *Ortheus* trucidatus est per quendam *Dianum*, ex cuius posteris quinque Reges fuerunt, qui regnauerunt annis XXXI. vltimum ex his sustulit *Tzinus* quidam, cuius posterit tenuerunt regnum per annos XXXVII. Vltimo sublato, *Tonco*, qui magna cum laude Republicæ præfuit, habuit successores ex sua posteritate reges XXI. qui regnauerunt annis CXCIV.

N 2

Vltimus



Vltimus nomine *Tronco* despondit sibi Noueram suam *Baufam*, exquisitæ pulchritudinis, utq; ea potiretur, extraxit eam è Monasterio, quod mortuo marito intrauerat. Postremofecit *Baufa*, vt Priuignus occideretur, & sic ipsa regnum sola per XL. annos gubernauit. Aiunt Historiæ Chinesium, mulierem hanc valde luxuriosam fuisse, quæ contentis Nobilibus regni nuperit homini vilis conditionis, cuius ipsa non cogereur sequi arbitrium. Antequam autem in manum huius cõueniret, interfecit omnes liberos masculos, quos ex prior marito susceperat. At proceres regni, pertæsi muliebris dominii cum turpitudine & crudelitate coniuncti, vocauerunt *Tronconis* filium nothum, eumque creauerunt regem, *Tautzon* huic nomen fuit, qui seueram sumisit vindictam de *Baufa*, crudeli & libidinosa fœmina. Pater hic fuit VII. regum, qui regnauerunt annis XXVI.

Postremus horum fuit *Cuchamus*, quem solio regio deiecit *Dianus* quidam, reliquitque post se hæredes duos reges, qui præfuerunt annis XVIII. Contra posteriore in insurrexit *Vionus*, factusq; rex, reliquit tres è posteritate sua reges, qui regnauerunt XV. duntaxat annis.

Vltimum è medio sustulit *Vtzinus*, qui cum filiis suis regnauit annis IX. mensibus III. Post hos regnauit *Tozo* cum filio annis IV. Huic intulit bellum *Anchius*, eumque occidit, factus hac cæde eius in regno successor.

Vltimum è posteritate *Auchii* è medio sustulit *Zaitzonus*, factus pater XVII. regum qui omnes tranquille regnauerunt per spacium annorum CCC. Horum extremo *Tepimo* nomen fuit, quem bello deuicit *Magnus Cham* Tartarorum, *Vzous* nomine, qui Chinam ingressus totum sibi subiecit regnum, adeoq; illud sibi stabiluit, vt post eum nouem reges Tartarici imperitauerint per annos XCIII.

Horum vltimus *Tzinous* tam flagitiosus fuit, vt totum ab eo defecerit regnum, vocato secreta quadam electione ad regnum *Hombuo*, qui genus ad priscos reges referebat, vir bellicosus & animi intrepidi, qui magnis viribus aggressus Tartaros, omni eos regno eiecit. Ex huius *Hombui* prosapia prodierunt duodecim reges, simul numerato eo, qui nostra memoria rerum potitus est: & vnde decem quidem superiores per CC. annos regnauerunt. Duodecimo nomen fuit *Bonogo*, qui successit fratri maiori sine liberis mortuo, cum ex equo lapsus ceruices fregisset: fuit autem *Bongus* vir iustitiæ amans, prudens, comis & humanus, qui ex uxore consanguinea sua vnum suscepit filium, regni aucti hæredem.

CAPVT XXIX.

PERIOCHE.

Explicata superstitione & sacris Chinesium, peregrinorum & aduenarum apud illos, Mahometistarum & Christianorum sacra, & quo loco hi apud eos sint exponitur. Synopsis relationis Iesuitarum de Christiana Religionis in China successibus.

DE ceremoniis ritibusq; quibus Sinarum populi indigenæ in eo regno in peragendis sacris suis vtuntur, satis in superioribus à nobis dictum est. Cum autem præter natiuos Chineses etiam aduenæ multi & peregrini inter eos commorentur, de horum quoque cultu & Religione aliquid dicendum est. Iam primum de inhospitalitate harum gentium satis notum est, siquidem peregrinos in regnum suum non admittunt, nisi sub triplici hoc prætextu. Vt vel debita vectigalia & tributa annua afferant: vel vt Regi munus dignum offerant, & ab eo in littore mercandi licentiam impetrent, vel denique si quis admiratione virtutis & eruditionis se ad eos profectum dicat, vt inde doctior & melior domum redeat, vt olim Regina *Sabæorum* *Salomonem* adiuisset dicitur. Et hoc vltimo prætextu Iesuitæ ingrediendi licentiam obtinuerunt. Qui hoc postremo titulo admittuntur, domicilium stabile ibi sibi figant oportet, præsertim Iesuitæ: his enim vix vnquam fit discedendi copia, cum sacra & mytheria sua regno efferrî, & exteris communicari populis nolint. Vnde mirari subit, cum Iesuitis expulsionès è regno isto timendæ minime sint, quod tamen tantopere de persecutionibus quas sustinuerunt, conquerantur, vt *Trigautius* fecit, qui eas non tantum verbis exag-
gerat, sed etiam picturis repræsentat. Quanquam non disteamur, omni illis cum peregrinis, in primis Europæis, interdictum esse commercio. Et quanquam reducti aliquo modo in gratiam, duplici à Rege affecti fuerint honore, primum vt par iis cum Eunuchis Palatij Principalis contingeret dignitas; deinde vt Calendarii errores corrigerent: obtinere tamen nunquam

Causa ob quam peregrini in regnum Chinesium admittuntur.

Iesuita quo loco sint in hoc regno.

nunquam potuerunt, vti prouinciam *Cantonensem* incolerent, ob vicinitatem *Macæonis* oppidi, in quo Lusitani habitant: licet Iesuitæ necessitatem, cur prouincia ista omnino adeunda esset, prætenderent, quod destituerentur Instrumentis Mathematicis librisq; ad Calendarii correctionem necessariis & in eo loco acquirendis. Quin & præcipuus ex regis consiliaris, *Colao* dictus, officio & dignitate motus est, quod ausus fuisset litteras ad vicinum regem mittere, grauius hoc nomine accusatus.

Ad collimitia prouinciarum & oppida ac loca omnia, in quibus telonia soluntur, vt & ad pontes & traiectus fluiorum custodia collocata sunt, à quibus facientes iter diligenter excutiuntur, & si suspecti sint, interdicto transitu remitti eandem viam, qua aduenere, coguntur: in regni tamen penitioribus, vt periculum idem non sit, eiusmodi perquisitores constituti non sunt. Fit tamen aliquando, vt Iesuitæ ope Lusitanorum, qui *Amacæonem* oppidum incolunt, furtim subrepant, & *Cantonensem* prouinciam intrent. Nam ipsi Lusitani ad *Canton* vrbe primariam quotannis bis admittuntur, vbi interdum iis cum ciuibus negociari licet, appetente vero nocte ad naues redeant necesse est. Est iuxta urbem illam in ipso fluuio parua quædam Insula, in qua obtinuerunt Lusitani, vt sacellum Catholico more extruerent, in quo sacra suis ritibus peragere iis licet. Hinc aliquando Iesuitæ personati & habitum Chinesium mentientes, cymbisin alterutram ripam transuecti, remotiores vrbes ingrediuntur.

Saraceni siue Mahometistæ, qui semel hoc regnum ingrediuntur, ante decursum nonni anni (vt à nostris quidem obseruatum est) discedendi inde facultatem obtinere non possunt, quo interdicto tamen non obstante, aliquot myriades ex illo genere semper in *Sinarum* regno inueniuntur: quin & Moscheas suas siue *Fana* hinc inde egregia habent, in quibus circumscriptionem suam aliasq; ceremonias ex disciplina Alcorani libere exercent, quanquam à Chinesibus non magni fiant ipsorum dogmata: neq; enim quisquam ex indigenis ad eorum accedit opiniones, cum nec ipsi alios ad amplectendam suam religionem sollicitent, nec probitati vitæ studeant. Putantur autem Saraceni eo primum tempore Chinam ingressi, quo Tartarorum in id regnum irruptiones contigerunt, vnde, cum iam à tot annis ibi commorati fuerint, minus suspecti facti fuerunt incolis, quam ceteri extranei: nec defunt, qui posteros eorum in quarto gradu, vt loquimur, ab iis descendentes, ad pares in Magistratu honores & dignitates cum indigenis admitti scripserunt. Admissi ad Præfecturas, mores fere & sacra mutant, vix quicquam ex *Saraceniis* retinentes disciplina præter abstinentiam à porcinis carnibus: quanquam hoc naturali cuidam illius animalis odio magis quam religioni alii tribuant. Narrat *Perera* vidisse se apud *Vrbem* celeberrimam *Foquien* Mahometistas quosdam, qui de religione interrogati, hoc tantum respondere potuerint: Ipse Mahometus Saracenus fuit, Auus meus Saracenus fuit, Pater meus talis fuit, ergo & me Saracenum esse par est. His addunt verba quædam ex Alcorano desumpta, & pertinax abstinentiæ à suillis carnibus studium. Cum vero ipse *Perera* multas Mahometicæ superstitionis reliquias in Templis Chinesium quibusdam in locis reperisset, de harum origine eos percunctatus, hoc responsum tulit. maiores suos longis nauibus ad portum celebrem regni *Paquin*, à rege iis assignatum, accessisse, ibiq; Præfectum regium, qui ex *Mandarinorum* siue *Loytiarum* (id est, Doctorem) numero fuisset, ad Mahometi fidem conuertisse. Huius exemplum secutos prouinciales, à Mahometisti illis paulo post persuasos fuisse, vt à suillis abstinerent carnibus, quibus ante id tempus auide vesci soliti fuerint.

At populum pertæsum nouæ illius abstinentiæ, Mandarinum illum nouatorem ad regem tentatæ rebellionis & conspirationis nomine accusauisse, qui quidem supplicio capitis affectus fuerit, sociis eius æternis carceribus addictis. Hinc scilicet in templis & cultu suo Saracenis remansisse aliquas reliquias.

Quis vero antiquioribus temporibus Christianæ in his prouinciis fuerit status, admodum obscura ad nos peruenit noticia. *Matthæo Riccio* Indus quidam ex regno *Magni Mogol* retulit, fuisse in Prouincia *Xensian*, quæ magis in Aquilonem vergit, vt & in ciuitate *Xucho* siue *Chucho* viros colore corporis albo, barbatos, eosq; vsum campanarum habuisse, & quemdam *Isa*, id est, *Iesum*, eumque cruci affixum cum *Maria* matre coluisse. Sacerdotes eorum uxores habuisse, & multos ægros solo contactu & precibus sanitati restituisse. Eidem *Riccio* Iudæus quidam *Paquini* certiora etiam retulit, dixitque, apud *Caifum* & *Lincin* prouinciæ *Sciantiensis* oppida peregrinos quosdam comorari, quorum maiores è regnis longissime distitis eo appulissent: & eos quidè Crucis signum (quæ apud Chineses, vt & apud nos, numerum denarium exprimit) in honore & precio habuisse, idemque signum digitis representasse, quoties potum cibumque sumere voluissent: sed & cruces liberorum suorum frontibus atro colore inscribere solitos, vt eos ab omni noxa præstarent incolumes. Narrat

N 3 alius

Lusitani ad Cantonem admittuntur.

De Saracenis & Mahometanis in China.

De priscis Christianis in regno Sinarum.



alios Iesuita, vidisse se in antiquo libro Chinesis manuscripto imaginem templi cuiusdam cum turri & campana, inque Summitate eius crucem impositam, additis Graecis quibusdam inscriptionibus vetustate mutilatis. Addebat superioribus idem Iudaeus, solitos fuisse illos Cruciformes easdem cum Iudaeis ex Psalterio recitare preces, eorumque in provinciis illis septentrionalibus magnum olim fuisse numerum, quorum ea fuerit eruditio & in re militari peritia, ut eo nomine Chinesibus suspecti fuerint, unde Praefecti ipsis variis modis molesti fuerint. Hinc miseros illos timore grauioris mali dilapsos, in varias regiones dispersos fuisse, esseque id factum sexagesimo vel circiter ab hinc anno, quosdam ex illis abnegato Christianismo ad Mahometi deliria, alios ad Idololatriam Chinesium defecisse. Oratoria ergo eorum & Sacella partim in Moscheas Saracenorum, partim in Idolorum delubra conuersa fuisse. Qui ex illa gente superstites sunt, religionem cultumque suum adeo in secreto habent, ut quidam Chinesis ad Fidem Christi conuersus, ab Iesuitis ad eos missus, nihil quicquam eius rei subodorari potuerit, cum enim eum a Magistratibus speculatorem submissum opinarentur, summo studio ritus & sacra sua occultauerunt.

Chinenses hos homines *Hocios* appellant, eosque ita a caeteris distinguunt, uti Iudaeos quidem ab animalium posterioribus partibus ob neruum in femore siue coxendice: Saracenos a porcina: Hocios vero siue Christianos a carnibus solidungulorum, in quo genere sunt equi, muli, asini, abstinere dicant, quibus tamen caeteri vescuntur. Porro Christiani a Saracenis *Isai* vocantur, Armeniani vero *Terzai*, unde Riccius veteres illos Christianos ex Armenia in has oras immigrasse arbitratur. Accedit huic opinioni *Haithonus Armenius*, qui se Magnum Chanum, regem Cathaiae (cuius regionis maior pars, ut antea diximus, regni Chinesis provinciis septentrionalibus includitur) adiisse refert, ut eum ad Christianismum adduceret, quod & magna ex parte se effecisse *Haithonus* gloriatur. Iunge his testimonia M. Pauli Veneti & Lud. Vartomanni, qui multos ex subditis Magni Chani Christianam fidem amplecti testantur. Sed & Christiani, qui in Malabarensi regno viuunt, in chronicis suis Christianorum Chinesium mentionem faciunt, narrantque olim S. Thomam Apostolum in iis partibus Euangelium annunciaisse.

Caeterum de nouo Christianismo per Iesuitas in Sinarum regno stabilito multa addere, non videtur operae precium, cum eorum epistolarum, quas quotannis inde in Europam missitant, nihil fere aliud loquantur, in quibus quidem multa magnifice iactant, sed plerique ampullas putant & verba. Xauerius, donec vixit, aditum in illam regionem saepius instantissime petiit, sed impetrare non potuit: quanquam successores eius, ut diximus ope Lusitanorum obtinuerunt, nec sine multo labore & impensis.

Cum primum ad littora Sinesium accesserit Lusitani, Chineses ab eorum praegrandibus nauibus & tormentis valde sibi timuerunt, Saraceni eos Francos (quo nomine ab expeditione Gotfridi Bullionaei in Syriam omnes Europaeos appellare consueuerunt) vocabant. Ab Cantonensibus etiamnum *Falanqui* pro *Franqui* (mutato r. in l.) nominantur, quod nomen etiam tormentis nostratibus imponunt. Intellecta vero virtute Lusitanorum ex multis victoriis, quas ab Malaicis aliisque Indorum populis tam mari quam terra reportauerunt, caute cum illis atque circumspecte versantur. Quanquam tamen auaritia Chinesium, & mercium exoticarum cupiditas Lusitanis viam aperuit, qui insulam quandam desertam eo tempore, nomine *Sancian*, sexaginta a continente distantem passuum millibus primo inhabitauerunt; deinde vero propius accedentes partem peninsulae, quae ab Idolo *Ama*, quod ibi colebatur, *Amacao*, & a nostris *Macao* dicitur, obtinuerunt, in quam admissi, domicilia primum in oppidi formam construxerunt: cuius nouae coloniae fama non Hispanos duntaxat, sed & aliarum gentium mercatores allexit, ut ibi Emporium constituerent, ut & Episcopalem Sedem & Collegium Iesuitarum. Postremo a Chinesibus, etiam in ipsa vrbe *Cantonensi*, uti superius diximus, exercendi mercimonia, certis tamen legibus, licentiam impetrauerunt. Et haec est ipsa porta, per quam *Ruggerus* primum atque *Riccus*, deinde alii quoque Iesuitae intrauerunt. Et illi quidem, cum donis muneribusque in Praefectorum animos irrepsissent, vitae quoque probitatem & litterarum cognitionem adiunxerunt, unde non parum auctoritatis consecuti sunt. Neque tamen his omnibus obstinatissimam gentem quicquam profecerunt, donec Riccius Mathematicarum disciplinarum scientia & arte memoriae clarus factus est, quo nomine eum ipsum tum successores eius, Chineses attoniti suspicere ceperunt. Hoc pacto cum Riccius in Regis notitiam peruenisset, & habitum ac vestem quoque Confutii (secta haec peculiariis est inter Chineses, quae Idola improbat) sumisset, donisque sibi Aulae proceres obligauisset, aditum ad ipsum regem impetrauit, & cum illius sectae se participem simularet, cepit fœditatem Idololatriae oppugnare, eo quidem successu, ut rex ei Templum quoddam Palatio vicinum dono daret, in quo cum ipse tum socii eius habitarent, & post mortem sepelirentur. Neque tamē domus illius possessione sine multis molestiis & periculis, adde

Christiani
occulti in
China.

Amacao
oppidum
unde dicitur.

Riccus quo
loco apud
Regem fuerit.

etiam

etiam munerum in purpuratos erogatione, adire potuerunt. Sed & postea acerbissima incolarum in peregrinos odia experti fuerunt, plebeis illos apud Regem & caeteros Magistratus subinde calumniantibus, & causam famis aliarumque calamitatum publicarum in eos conferentibus; Idola ob peregrinos illos irata pluuia & commodas tempestates negare: pestem ac morbos colonis immittere, & alia eius generis. Factum est igitur non semel, ut domus eorum lapidum imbre perplueretur, & ipsi Iesuitae vulgo miris lacerarentur conuiciis, populo eos *Cacoda-* *Iesuita calumnia appetiti.*
monas esse vociferante, & Magicarum fraudum reos, qui numeris abstrusos & Astrologicas praedictiones in perniciem hominum seruarentur: quique in reipublicae perniciem omnia sua verterent studia; quin & imagine crucifixi veneno tincta ipsius regis vitam ac salutem eos appetuisse iactabant. Accessit calidum sanè Hollandorum consilium, qui suaserunt Lusitanis, ut ad vitanda imminencia a Chinesibus pericula oppidum Amacaonem muro cingerent.

Hac vafricie effecerunt Hollandi, ut cum partem muri struere Lusitani cepissent, Chineses, qui nescio quid eos moliri opinabantur, parum fidentes vicinis suis, illud omne quod iam structum erat, concitato tumultu publico, deiecerint. *Calliditas Hollandorum in Lusitanos.*

Tertium, quod Iesuitarum conatus non parum infregit, hoc est. Erat controuersia cuiusdam Iesuitae cum Sacerdote Chinesis super religione, quam vterque sigillatim profitebatur. Cum autem Chinesis alterum vincere non posset argumentis atque rationibus, conuersus ad calumnias, sparsit inter suos, *Cataneum* Iesuitam affectare Diadema regni, ut qui omnia secreta nouisset, & in vtraque vrbe, in qua praecipua sunt regni iudicia & Tribunalia, Paquini scilicet & Nanquini fuisset, multosque insuper cum ex sociis suis tum ex Iaponibus in diuersis locis praesto haberet, ad exequendum facinus paratos. Hoc audito rumore, quamuis vanissimo, qui apud Amacaonem commorabantur Chineses, deserto celeriter oppido, ad Cantonensem urbem profugerunt, eandemque ibi sparserunt fabulam. Nec mora, omnes totius provinciae milites conuocati sunt, qui habito delectu, cum hostem non inuenirent, egressi vrbe in praedia & vicinas aedes fruite ceperunt, dictoque celerius ultra mille domos euerterunt, in quo numero etiam vna atque altera Iesuitarum fuit: cumque Iesuitam vnum comprehendissent, fustibus eum ad mortem vsque conciderunt. Paulo post tamen tumultu illo sedato, paruit calumniosae illius accusationis vanitas, unde Iesuitae in maiore ob innocentiam precio habiti fuere quam antea. Sed iam propius ad nostra accedemus tempora.

Calliditas
Hollandorum
in Lusitanos.

Iesuita affectati regni accusatur.

CAPVT XXX.

PERIOCHE.

Quo loco sint nostro tempore res Christianorum, & quis sit successus Euangelii in regno Sinarum, ex Epistolis Nic. Trigautii & Aluari Semedi Societ. Iesu ostenditur, quas anno 1622. & 1623. scripserunt.

Verfati sunt in hoc Regno de Societate septendecim, id est tredecim Sacerdotes, & *Numero Patrum Societatis in Regno.*
quatuor socii in varias sedes tributi, ad quos accesserunt quatuor: qui numerus tamen non modicus est, si spectes difficultatem ingrediendi Cantonem, tamen paucissimi sunt, pro ut Christianorum necessitas postulat. Inducti a P. Emmanuele Diaz, qui inspectum res huius Missionis veniebat, & inusitata omnium nostrum letitia accepti sunt. Sed vix dum Regnum ingressus ostendit Deus, venisse eos ad labores, & pericula. Eodem enim ipso tempore tam saeva persecutio exorta est Nanchini, ut multi eius vrbes Christiani in carceribus iacerent afflicti, omni nostris aditu ad eos solandos intercluso. Et quia non illius Regiae finibus mala terminabantur, sed ad alias quoque partes deriuabantur, coacti sunt nostri sedes, quas incoluerant deserere, seque abdere in aedes, quam maxime fieri potuit a vulgi consuetudine remotas. Sed quia causa, duratio, & successus huius persecutionis descriptus est a P. Emmanuele Diaz ad P. Gabrielem de Matos, satis mihi erit hic eius litteras posuisse, quae sunt eiusmodi.

Ex quindecim Regni Sinarum Provinciis, ad oram maris Coriani inter Pechinum, & Nanchinum, iacet ea quae appellatur Xantum. In hac astate superiori Anni salutis M.DC.XXII. coniurarunt aliquot millia hominum, cuiusdam sectae quam vocant Vnguei- *Nona origo persecutio.*
kiao, aut alio nomine Pelienkiao, qui multas naues inuaserunt, quae in Regiam annonam vehant: neque multo post tria aut quatuor castella, ac tandem etiam urbem quandam occu-

parunt,

parunt, multis hominibus interfectis. Et cum ego diuersaret in vrbe Hamai in ædibus D. Pauli, nunciatum est, per hunc ordinarium tabellarium, ab iis denuo cæsa esse hominum sex millia. Quocirca Magistratus Pechinenses, edictis in alias duas Prouincias transmissis, iusserunt eos omnes in carcerem conici, qui illam sectam profiterentur. Quia vero instituti eius est conuenticula multa cogere, ad quæ qui conueniunt, præter alia excedenda, maledicunt

*Institutum
secta Vn-
gus.*

*Edictum
nouum de
cæsis
Christia-
norum.*

*Pechino &
Nanchino
iecti Pa-
tres.*

Magistratibus, & regi a quo illi creantur: agitant consilia de sciscendi ab eorum imperio, Regno potiendi, Magistratum munia inter se distribuendi: in edictis diserte interdicebantur huiusmodi cætus, nulla facta mentione diuinæ legis. Nihilominus Magistratus Prouinciae Xhiansi, in qua conficiuntur vasa fictilia, quæ vulgo porcellana appellantur, edixerunt, ne in locis suæ ditionis, non modo cætus, cuiusmodi in edictis vetabantur, sed neque ab iis qui se Christi fideles profiterentur, haberi possent: Postquam hoc edictum allatum est in primariam urbem Xiecham, vbi Christiani sunt plures sexaginta, quibus iuuandis præest P. Gaspar Ferriera, animaduertent quidem prudentiores, hoc edicto alio sine prohiberi cætus, quæ publicæ quietis conseruandæ, & vitandæ rebellionis causa: nihilominus visum est faciendum, vt templi ornamenta tollerentur tantisper, dum ardore edicti remitteret. Eo cognito D. Petrus in vrbe Namcham naui aduectus venit ad Patrem, eumque domum suam deduxit, quæ modo omnibus Christianis vice Ecclesiæ est, ex eò tempore, postquam nostri ex vtraque vrbe Regia Pechino, & Nanchino eiecti sunt. Ibi cum ex itinere offendi, neq; adhuc quicquid aliud rumoris allatum est.

*Christiani
de secta Vn-
gueikiao
accusan-
tur.*

Longe progressi sunt Magistratus Nanchinenses. nam quia vrbs est maritima, & populosa, magis in ea seditiones reformidant. ideo proposuerunt præmium decem scutorum, quicumque aliquem prodidisset ex secta Vngueikiao. Euenit eodem tempore, vt quidam apparitores, cum vim attulissent vxori hominis Christiani pauperis, non contenti hoc illum probro affecisse, insuper asperis verberibus onerarent, tum vicinus eius item Christianus, cui non ignota erat eius qui duplicem iniuriã pateretur, innocentia, iusto dolore incensus, inclamare cœpit malefactoribus, vt tam graui iniuria desisterent. At illi in maiorem furorem acti, stomachum suum in hunc euomere, quem vsq; in domum eius in se etati, cum ibi imagines, & cruces inuenissent, comprehensum adducunt ad Magistratum, & accusant bonum Christianum quod vnus sit e secta Vngueikiao. Magistratus cõpulsus in carcerem torqueri imperat, vt factionis socios edat. Nominauit ille pictorem, cuius opus imago illa erat. Is captus & subiectus sæuis tormentis, falsus est multa cum libertate, se legem Dei profiteri, sed hanc non esse Vngueikiao. Cum vero verum fatendum esse crederet, & prodendis aliis Christianis auctoritatem fidei Christi conciliari, septem, vel octo nominauit, qui absentibus Patribus cæteros in suas ædes conuocarent, ibique de rebus diuinis loquerentur. Præterea indicauit quotannis semel ad eos venire P. Petrum Spiram, qui eos erudiat doctrina Christi, & hortetur ad parendum legi, & persenerandum in sancta fide. loca etiam dixit, in quibus quoties veniret, moraretur. Subiecit eandem Christi legem sequi etiam ex Magistratibus Yam (is est noster Doctor Michael) qui habitat in vrbe Nancheu, primaria vrbe Prouinciæ Chexiã, vbi in suis ædibus Patres habeat. Tantum est, quod accepimus de confessione huius boni, & simplicis Christiani.

*Captus
Christia-
nus consi-
deratur so-
cios.*

*Apparito-
res mittun-
tur ad
quærendos
Christia-
nos.*

*Indignis
modis tra-
hantur in-
uenti.
Numerus
captorum.*

His omnibus cognitis, Magistratus, suis apparitoribus dimissis, iubet omnes, qui nominati erant, comprehendi. Volitabant illi tanto furore per urbem, vt omnes furie Tartaræ soluta Nanchini vagari viderentur. Incredibile est quanta insolentia domos inuasent, quærentes cum clamore, vbi habitaret, quo se abdidisset secleratus, perduellis hostis Regis, trahentes catenas, exaggerantes supplicia, quæ Magistratus minatus esset. Si quis deprehenderetur, mox diripiebantur coronæ precatoriarum, nomen IESV, Cruces, libelli doctrinæ Christianæ, imagines Saluatoris, & B. Virginis, quæ nonnulli domi habent, quorū vxores Christianæ sunt. Iniiciebant illis manicas, collum ferro onerabant, pileo detracto vultum discooperiebant, raptabant per vicos cum insignibus Christianæ fidei, vociferantes hunc esse ex secta Vngueikiao, acclamante, & ad strepente populo, qui illudens eos prosequatur. Ad hunc modum in custodiam dati sunt quatuor & triginta.

Ingressus quisq; carcerem, confestim astrictis, & compressis ferro manibus, ac pedibus cogebatur socios prodere. Verum ex priorum simplicitate cautiore facti, duo tantum fatebantur se Christianos esse, & legi Dei parere, vna cum cætera familia, idque spe consequendi æternam beatitudinem, quæ legem Dei seruantibus promissa sit. Quod si Magistratus sciscitaretur de crucibus, de nomine IESV, de imaginibus in eorum domo repertis, quisq; pro suo captu quam optime respondebat.

Inter eos qui Magistratum iussu quærebantur, vnus fuit Yao, qui nomine Christiano Ioannes

Ioannes

Ioannes vocabatur. Is operam dederat litteris, primaque ætate non mediocriter profecerat. Sed cum ob egestatem studia litterarum reliquisset, opificium exercuerat, & iam aliquot anni sunt, eum vna cum coniuge Christianus factus est. Contigit autem, quando Magistratus Xin Nanchinum misit, qui P. Alphonsum Vannonium, & P. Aluarum Semedum perquirent, ipse cognito quid imperatum esset, confecit sibi vexilla, & folia quædam charta, quorum singulis Sinicis litteris hoc inscripsit. Ego sequor legem Domini cæli, & cum horum foliorum vnum pileo affixisset, aliud collo circumdedit, aliud cingulo appendisset, aliud præferret manu, contulit se in ædes in quibus erant Magistratus. Eo cognito P. Nicolaus Longobardus, qui nostris præerat, accessit obiurgat, & monet, vt desistat ab hac stultitia, tum ob alias causas; tum ne rei Christianæ magnum damnum importet. Deposuit ille quidem suas chartas, sed recta ad ædes nostrorum Patrum contendit. Eo ne penetraret principio impediuerunt administri Magistratum, qui ædes cinxerant, at ille vi custodiis illata, peruenit ad nostros, cum quibus captus, & ad aliquot annorum seruitutem Regi seruendam condemnatus est, quibus in alia Prouincia transactis, reuersus, deinde ita vixit, vt exemplo cæteris esset, & modo facinus fecit hominis minime amentis, sed quamuis sapiente, & Christi æmulo dignum. Acceperat complures esse victos, & inter eos se quoque desideratum, & quæsitum esse. Ille nihil tergiuersatus, audacter seipsum carceri mancipat, atque vt venit in conspectum Magistratus, qui cruciandis cæteris Christianis distinebatur, prouoluit in genua, magna cum libertate se Christianum profiteretur, & hanc esse veram Religionem, aliaque quæ tali tempore suggerebat Spiritus sanctus, pro cuius gloria loquebatur. Interea adueniunt apparitores, qui hominem perquisitum ierant, ac didicerant eum semetipsum sponte sua stitisse. Magistratus, cum intentis in hominem oculis, intuitus esset attentius, subridens: Næ, inquit lingua Sinica, hic tuus vultus dignus est homine, qui Religionis sit caput, Aufer te hinc, & caue ne in conspectum meum præterea venias. Surrexit Ioannes, & abiit, relictis omnibus qui aderant, attonitis, admiratione testimonii, quod Euangelio dederat, & magnitudinis animi, quam demonstrat. itaque cum cælum lætitia, animam suam meritis cumulasset, reuersus est domum, quem propter exemplum illustre tam præclari facinoris, quod postera omnia secula intuebuntur, immortalis gloria consecuta est.

Idem Magistratus est sex & triginta, quos in vincula coniecerat, quatuor & viginti, incertum quare, absoluit. Cæteros deinde septem vel octo, quos dictum est, solitos in suis ædibus cætus eogere, misit ad altiora tribunalia, vbi decem, aut viginti verberibus onerati sunt, tanto atrocioribus, quanto maioris erat auctoritatis iudex, qui condemnerat. Ex his Magistratibus duo idem cum his Christianis fecerunt, atque olim Pilatus cum Christo. Testati enim sunt, & professi publice apud Christianos, se satis scire legem Domini cæli (sic appellant Religionem Christianam) esse iustam, & veram, eosque omnes esse innocentes, sed postquam ad se, vt rei adducti essent, non potuisse, quin verberibus illos cædi iuberent. Ita placet Deo veritatem suæ immaculatæ fidei probare pariter amicorum & hostium, colentium & persequentium S. Euangelium, testimonio, dum hi verbis, illi sanguine suo, & perferendis cruciatibus eam confirmant. Iam satis tenes, Regem Sinarum Eunucho vti consueuisse non modo in palatio, sed etiam in variis Regni partibus, mandando illis munera, sed fere tantum militiæ, aut similia. Illud quoque repetendum est memoria, quod P. Trigautius prodidit in sua historia, esse in Regno Sinarum sex magnates, quos Sina sua lingua Quecum appellant, qui respondent iis, qui in istis Regionibus titulos Ducum præferunt; & sunt ad hanc dignitatem euecti, quod eorum maiores strenuam & fidelem operam fortiter pugnando nauarunt. Hum veu auctori domus Regiæ, quando expulsis Tartaris, hoc Sinarum Regnum quod ab eis oppressum erat, in libertatem vendicauit. Quamobrem vt gratiam referret, his familiis titulos, & vberes reditus assignauit, absque tamen iurisdictione in terras, quas eius beneficio possident, atque illos ipse & eius successores semper in æstimatione & honore, quanto maximo licuit, habuerunt. Præterea Nanchini duo sunt primores omnium, & summa vterque in munere suo auctoritate. Horum alter est Quecum, alter Eunucho. Ad hos perducti sunt denique Christiani, postquam diu iactati, & a Magistratibus afflicti erant. Horum vterque, vt persona sua ferebat, se gessit. Quecum, vt natus claro genere, animo, qui Principem deceret, ea pietate & clementia, quantum Ethnici hominis pectus capere poterat, vbi vidit Christianos scissa, & lacera verberibus carne, manibus, pedibusque luxatis, non modo eos, vt cæteri Magistratus fecerant, non male habuit, sed etiam verbis ad miserationem compositis exceptos, ita dimisit, vt diceret sibi optime perspectum esse, legem Dei iustam esse, & sanctam.

*Ioannis no-
uo modo se-
dem profi-
tetur.*

*Aliud ma-
gni seruo-
ris exem-
plum.*

*Quidam
vincti di-
missi. qui-
dam ad
verbera
referunt.*

*Singularis
dignitas
sex magna-
rum.*

O

Eunu-

Eunuchus iterum captes inbet verberari. Misera flagellatorum facies. Eunuchus contra, vt homo abiectæ fortis, cuiusmodi hoc genus hominum solet esse, nulla misericordia motus, sed omnis pietatis, & vrbanitatis expertus, iussit ad veteres, nouas plagas addi, viginti verberibus singulis inflatis, quæ tanto erant sæuiores, quanto erat maior imperantis auctoritas, & animus à Christi Religione alienior. Cernere erat humi frustra carnis inter tormenta flagellorum ictibus, miserorum corporibus decerpta, aut ad medias arundines, aliaque instrumenta, quibus tam immaniter cædebantur, adhærentia. In ipso è portis egressu collapsi ex defectu virium, erecti, & in carcerem reducti sunt, dato, suo sanguine, testimonio veritati Christianæ doctrinæ, quam etiam Quecum, vt diximus, verbis confessus erat.

Coniuges gaudentes de captiu marito pro Christo. Nihil præterea, per id tempus, Nanchini in ore hominum versabatur, & coniugum afflictorum, nihil eorum quæ acciderant, latebat. Verum inde scribitur, nullam vnquam vocem auditas esse asperiores aduersus tortores emittere. Immo, cum eis nunciabatur, maritos de vno Tribunali ad aliud deduci, manibus, pedibusque luxis, cinctos catenis, inquinantes, & complentes vias, per quas incedebant, sanguine, se fortunatas prædicabant, quod maritos essent nactæ, quibus ea fors obtigisset, vt pro immortalis Deo aduersa paterentur. Nonnullæ etiam ad socias adierunt, vt vna cum illis gauderent, gratularenturque de iis, quæ mariti pertulissent. dolebant etiam se, quippe scæminas suppliciorum societate excludi, & thori, non patientiæ consortes esse.

Postquam in hunc modum deserunt Christiani circumduci, sex Magistratum, ad quos adducti erant, maximus tulit in eos sententiam, in hunc modum.

Sententia vltima Magistratus de Captiu la-ta. Cum superioribus annis oblatus esset Regi libellus contra legem Domini cæli, quod sit falsa, & hominibus imponat, & cæteris hominum cogat, fuit ab eo seuerè prohibita, propositis grauibus pœnis iis, qui illam sequerentur. Nunc quia ad nos adducti sunt homines, qui non reformidant illam sequi, & non parere edicto Regis, oportebat eos, ex legum Regni præscripto, perquam seuerè puniri, sed quoniam reputamus homines esse litterarum fere rudes, mandamus, vt qui eorum nati sunt in alieno solo, ii sumptu regio, septi firma armorum custodia, in patriam suam deducantur. Qui autem in hac Regia sunt nati, mensum ipsum carcere teneantur, iugo ceruici imposito, quo mense elapso, deducantur ad Tribunal, ad quod primum eorum causa delata est, vbi docebuntur edictis Regis dicto audientes esse, neque præterea huiusmodi legem sequi. Libros vero Christianorum, imagines, & similia, iubemus reponi in thesauro Regio. Hæc fuit sententia huius Magistratus, quam cæteris fecerunt. Dum hæc rumoribus vulgantur, venit ex primaria vrbe Nancheu, quæ est in Prouincia Chexiam, abestque sex dierum itinere terrestri, Christianus, qui P. Ioannem à Rupe Superiorem Missionis de tota re faceret certiore. Is coram egit cum Doctore Michaeli, in cuius domo quidam nostri diuersantur, & per litteras cum D. Paulo, qui & ipse nostros penes se habet: orauitque vtrumque vt Nanchinum ad notos sibi magistratus super hac rescriberent. Fecit vterque perquam diligenter. & D. Paulus quatuordecim capita perensebat, quibus Christiana disciplina à Vnguei kiao diffideat. Ad hos accessit Doctor Matthæus ex Prouincia Fokiem, qui eo diuenterat exitinere versus Honan, vbi Magistratum erat gesturus. Scripsit ille ad hominem nobilem, sibi amicitia in primis coniunctum, propterea quod eo ipso anno vna Doctores erant renunciati. Responsum non aliud tulit, nisi illum inflammatum ira, eo, qui reddiderat, spectante, litteras concerpisse iactis insuper in Matthæum conuictis, quod tam scelestorum hominum patrocinium susciperet. P. Petrus Spira ad Doctorem Paulum litteras detulit missus vt solandi afflictos Christianos causa, porro Nanchinum proficisceretur sed ab ipso Paulo vetitus est ulterius progredi, qui etiam ad Superiorem rationes percipit, cur id minime fieri oporteret.

In quo conueniant Christiani cum secta Vnguei kiao. Isterum Christiani feruntur accusati apud Regem. XVI. Kalend. noua procella superuenit. Aduenit enim ex vrbe Xamhai P. Petrus Spira, cū litteris Patrum eius domus, ad P. Superiorem Missionis, & Doctoris Pauli ad D. Michaeli, quæ tria complectebantur. Primum, Magistratum, qui condemnauerat Christianos, ad quem D. Paulus litteras dederat, respondere legem, quam D. Paulus affirmaret differre ab Vnguei kiao, reuera esse eandem, propterea quod vtraque doceret, non obedire Regi, & eius ministris, atque ad id probandum afferre, quod cum Rex annis superioribus vetuerit Patres diuulgare suam Religionem in Regno, & iusserit eo excedere, tamen contrarium faciant. Alterum, duos Magistratus Nanchinenses dedisse libellos ad Regem contra Religionem Christianam, & Sinas, qui eam colerent, & Patres qui eam docerent, nominatim vero contra Doctorem Michaeli, quod & Christianus esset, & hospitio Patres acciperet: generatim quoque accusatos alios, qui idem facerent, & facile intelligi sub

ligi sub his comprehensum esse Doctorem Paulum. Tertium, omnino nostris, quam celestissime fieri poterit, vtraque domo excedendum esse, & abeundum in alias oras, abstinentumque hominum consuetudine. Ita enim ipsos etiam Colaos consueuisset, quando se norunt delatos ad Regem, quem vt reueriti fuisse videantur, tali tempore domi delitescunt, nihil iubent, nullius salutationem admittunt: deinde, ne, si quod edictum ex Regia afferretur contra nos, in illis ædibus deprehenderemur, ad quas nos quæsitum essent missuri, cum ingenti illarum familiarum ærumna, & perturbatione nostra. tunc enim non esse dubium, quin nos toto Regno pulsos, in Macaum sint amandaturi: & fatius esse Magistratum acquisitionem fuga præuerrere. Itaque videbatur illis, mihi secedendum esse in vrbe Xamhai (quo ex litteris Nanchino allatis cognouerant quatuor aduenisse, quorum me vnū esse existimabant) vt dispicerem, quemadmodum quatuor qui illic habitarent, & tres qui vnus diei itinere abessent in villa Chiatino, longius amoueri possint.

Doctorem Michaeli, tertio, quo præcipiebatur, vt nostris ædibus suis exeant, neque cum Christianis agant, quo se Regi subiectos esse testentur, nihil dum opus esse iudicabat. Eam enim sibi amicitiam intercedere cum Gubernatore, vt, si quod edictum ab Rege afferretur contra Patres, se secreto certiore facturus esset, & tum, si opus fuerit, abituros. At cum nostri instarent, permisit ea condicione, vt vnus remaneret, qui si quid aduersi accideret, ipsum solaretur, & cui posset referre, quæ inter Magistratus agerentur, & quid faciendum esset, si alia similis procella immineret. Denique victus rationibus, quod non conueniret, vt se periculo obiceret, si repperit esset quisquam Patrum, in eius domo, contra edictum Regis, qui id ægerime sit laturus, dedit abeundi veniam, eo tamen pacto, vt quatuor in suam, tres in Leonis villam se conferrent, ego Xamhai, quo accersitus eram. Ita factum est. simul vero nos monuit, vt si promulgato aliquo edicto Patres in discrimen venirent, conscensis nauibus flumina percurrerent tantisper, donec sedata tempestate in terram liceret exscendere. Ego postea relicto mandato, vt hæc ita fierent, cum P. Petro Spira a. d. xlii. Kalend. Octobris discessi, & meridie morati, non nihil cum tribus illis in Xiatim peruenimus. Xamhai Octauo Kalend. eiusdem.

Prætermitto officia humanitatis, benevolentia, & amoris exhibita mihi à Doctore Paulo, cum me nunquam ante vidisset: bene enim longas litteras postularent. Duobus diebus, quibus apud eum diuersatus sum, plus duodecies venit ad nostram conelauē, aduocauit plures Christianos propinquos, discipulos, & amicos, vt nostros suis villis & prædiis maxime semotis acciperent. & communi nostro ipsiusque consensu placuit, vt bini per diuersa loca distribueremur, tum quatuor qui illic versabantur, tum ego, & tres qui erant in Xiatim, quo misit quendam nepotem suum, vt inde duos deduceret in quandam possessionem suam, atque, vt occultissimi, & quam optime instructi iter facerent, dedit eidem negotium, vt illos comitaretur, omnibusque, quibus opus esset, obsequiis prosequendos curaret. Ipse vero in se curam suscepit nos certiores faciendi, quid Pechini decretum esset: ea gratia famulum collocauit in Succheu, quo edictum afferendum erat ad Gubernatorem, qui ibi prætorium habet, vt simul afferretur, quanta maxima posset celeritate, apporaret.

P. Longobartus, & ego concessimus in quendam montem, vbi sunt duæ solitariae ædes duorum fratrum; sed non longo interuallo sunt sexaginta octo alia intra spatium duorum milliariū, omnes propinquorum eiusdem familiae, in quibus sunt omnino trecenta capita. Noster hospes est familiae Christianæ caput, non ita pridem ad Christum adductus vna cum coniuge, tribus filiabus, quatuor filiis, præceptore, & seruis. Peruenimus in hunc locum 11. Kalend. Octobris ibi habitamus in parte a diu admodum remota, tum à domesticorum, tum ab alienorum consuetudine. quæ res nobis perquam grata est, & ex vsu huius temporis. Benevolentia autem qua nos complectuntur, & tractant, eiusmodi est, vt supra nihil fieri possit, omnino perinde, atque si iam diu illis noti essemus. Postridie, qui erat festus dies S. Hieronymi, rem diuinam fecimus in modico facello ab ipsis pereleganter ornato, quo omnes conueniunt, & duo filii sacrificantibus ministrant. Eiusdem Diui memoriæ dedicabimus Ecclesiam, quam speramus eodem loci extructum iri. Vesperti quotidie conueniunt ad recitandas nobiscum Litanias, quibus absolutis, Pater eos docet horam ipsam explicans mysteria fidei, & res diuinas, quas extempore vnus eorum repetit omnibus audientibus, vt solet à tyronibus liberalium studiorum exposita lectio reddi. postea reuersi domum, singuli matri, & sororibus audita commemorant. His & aliis exercitiis tantos progressus fecerunt, vt, quantum quidem videre licet, domi perinde ac veteres

D. Michael non vult Patres ex sua domo dimittere.

Magna humanitas D. Pauli erga Patres Societatis, & Christianos.

Patres fugiunt in montem.

Christiani qua obeant Religioni officia.

Christiani viuant cum tamen pater, & duo filii non ante septimum abhinc mensem Christianam fidem sint complexi, ceteri ante mensem & dimidium. Nobis in illa solitudine iucunde uiuentibus, varii de Magistratibus Nanchiensibus nunciâ Doctore Paulo afferebantur. Primus fuit, oblatum fuisse Regi libellum, de reuocando in Regiam Xim, cuius operasset Reipu. utilis ob singulares eius dotes, quas demonstrasset, præcipue incensum commodorum Regni studium, & fidem, atque vel ob hoc solum, quod Religionem Christianam cum suis prædicatoribus ex hoc Regno extirpasset. Alter, missa esse edicta per illos fines, ne quis præterea eam Religionem sequeretur, vel amplecteretur. Hoc cognito magis etiam quam antea in seducto viximus, neque ut antea decreueramus, ad vicinas villas profecti sumus.

Incertum quid agatur in Regia de Patribus.

Cum in has partes veniremus, qui erant gnari eorum, quæ in Regia geruntur, aiebant fore, ut intra duos vel tres dies cognosceretur, quid responsum esset ad libellos contra nos oblatos. at modo elapsi sunt septem & viginti, cum interea Pechino de vario euentu aliorum sit allatum: de nobis ne verbum quidem. Varii varia loquuntur, peritiores existimant auctores libellorum, quo Xin gratificarentur, eos illi commendasse: cum autem is modo non sit Colaus, libellos non reddidisse Regi. Nam si fuissent redditi, quamuis Rex non subscripsisset, hoc ipsum, pro more Regiæ, famam nunciaturam fuisset.

In hac tempestate, quam res Christiana sustinuit, tametsi videatur fere desuisse, tamen à duabus rebus cauere oportet. Primum à Magistratibus, qui crebris edictis interdunt, ne quis amplectatur Dei Religionem. Verum hoc vitabimus, quia cum sint hostes manifesti, nos clam Christianos excolemus, absque vllis publicis cætibus, atque ita eos fallamus. Alterum est maioris periculi, fugere insidias Xim, qui nobis clam tendit laqueos.

Xim insidiatur PP. Societ.

Collocauit enim suum domicilium Nancheu, vbi non ignorat morari Patres, & est vrbs, quæ quadridui tantum distat à Xamhai, & Xiatin, quibus in locis, vt solet, exploratores habebit, qui, vt ab eo gratiam ineant, accuratè de omnibus, quæ agimus, faciant eum certiores. Qui enim illum sibi deuinctum volunt, fere apud eum de nobis loquuntur male. Ex quo fieri posset, vt si cognosceret nos nouos Christianos facere, & veteribus iuuandis intendere, sic inflammaretur furor, vt non modo iam factos libellos redderet Regi, sed etiam conficeret nouos. Sed confidimus Deum effecturum, vt in his principio respondeat. Nam si in eatur numerus dierum, ex eo die quo querelæ contra nos Nanchino perferri cœptæ sunt, sex fere mensium spatio, à decem grauissimis Magistratibus, tot accusationibus appetitus est, vt Rex ei cogeret Colai munus Pechini adimere, eo ipso tempore, quo si eum Magistratum gessisset, nimum huic infelici Ecclesiæ damni attulisset. Si igitur denuo nostram perniciem molietur, Deus, qui eum tanta prouidentia in ipso tempore sustulit ex Regia, posset nos omni tantu aduersarii metu liberare, aut priuando eum vita, aut tam obstinatam, tamque in persequendis nobis crudelem voluntatem mutando, quod posterius magis optamus, nimirum, vt Deus Saulum conuertat in Paulum, ad maiorem sui sancti Nominis gloriam, & suæ fidei incrementum.

In Deo spes collocanda.

Hæc omnia scripseram v. Kalend. Nouembris cum mihi reddita sunt litteræ Emmanuelis Diaz iunioris, & Paschalis Mendes, qui nunciant allatos esse in Regiam libellos contra nos, sed non esse Regi redditos. Quid iis contineretur, sic exponebant, vt à nemine præterea posset intelligi, & ego cuiquam Christiano dicere sum veritus, præterquam tribus nostris Doctoribus, quorum nobis satis explorata est prudentia, & fides. Est hoc documentum euidentis diuinæ prouidentia, & curæ, quam de hac expeditione, opere sibi in primis charo, gerit. Certe hic nuncius plurimum sedauit timorem à nobis conceptum. Verum vt nobis liqueret, nolle Deum, vt nimis securo, & remisso animo viueremus, interea dum nos solamur hoc certo nuncio, de frustra scriptis aduersum nos criminationibus, venit ad nos Christianus, qui certo refert Xim breuissimo tempore aduenisse in urbem Nancheu, vt existimarem Deum iter illi corripuisse, ne nuncii Pechinenses nimum nobis securitatis afferrent. Hoc cognito, cœpi continuo cogitare quo mittendi essent Patres, qui diuersabantur in villis Michaelis, & Leonis. cœpi etiam deliberare cum animo meo, quid facto opus esset, vt ipsi Xim res nostræ exponi, & probari possent, quostanto odio persequitur.

Signum diuina prouidentia.

P. Longobardus adiit ad D. Paulum, cum eo, de iis, quæ agerentur collaturus, quando, Dei nutu, eodem fere puncto temporis, quo ipse ad eum venit, aduenit etiam Nanchino cursor, qui ad consolandos afflictos ab eodem Doctore Paulo illuc missus fuerat. Is idem affirmabat atque litteris nunciatum erat, iam motus illos conqueuissse. Magistratus enim, simul cognouerint libellos Pechini effectu caruissse, mox victos liberaisse, supplicium

Nunciatur motus quiescere.

impositi iugi, condemnatis laxasse, tres duntaxat in interiore carcere retinere, natos in Prouincia Fochien, & hos breui missum iri ad Iudices Patrios. His Doctorem Paulum e-leemosynæ nomine, in sumptum itineris insignem pecuniæ summam largitum esse. Cæterum cum hæc maxime D. Paulo nunciarentur, non se capiebat præ lætitia, sicque ratiocinabatur. Igitur pro more quidem nostræ Regionis persecutio desit. nam Magistratus Nanchinenses non dabunt alteros libellos, & dum captiuos liberarunt, pœnasque condemnatis ad iugum mitigarunt, satis ostenderunt, se eorum quæ contra Christianos gesserint penitere. Nihilominus caute agendum est, non expedit vt Patres in publicum se dent. cauendum ne prius cœtus cogant, quam horum motuum memoria oblitterata sit. Quare qui in Xiantino habitabant, domum reuertantur licet, & ad meum hospitium, qui ante eo utebantur. In vrbe autem Nancheu in domo D. Michaelis pauci degant, ne Xim, qui ibi domicilium habet, intemperia inuadant. Denique ceteri in diuersas villas tribuantur, vbi omnia eis necessaria suppeditabuntur. Ita diligenter factum, & ego discessi Nancheu vt salutarem D. Michaeli discessurum ad gerendum Magistratum, eiusque consilium, quid pro commodo rei Christianæ faciendum esset, exquirerem.

In hanc urbem appulso redditæ sunt Pechino litteræ Patris, & socii, quos supra nominavi, quibus respondebant ad meas xviii. Octobris datas, atque ambo ex communi amicorum consensu hortabantur, vt Patres profecti in Regiam, pererent stabilem in illa vrbe sedem, fore enim vt impetrarent, propterea quod longe abesset Xim, & persecutio Nanchinensis omnino sopita esset. Approbavit hoc consilium D. Michael, valdeque institit vrgeri, ne diu profectionem differrem, & in quadam scheda memoriali, distincte descripta dedit plura præcepta, quæ ad rem conficiendam facerent & nonnulla alia, quæ, vt vir claro in eo Regno genere natus, & Reip. gerendæ gnarus, in paucis, optime norat, & ad nostra negotia plurimum erant habitura ponderis. Descendit vero vsque ad tam minuta & leuia, vt etiam moneret, ne me fugeret, ei qui in Regiam profecturus esset, curare vestem è corio, ad arcendas itinere terrestri niues. neque enim id temporis flumina, quod conglacianerint, nauigari posse. Duabus horis postea attulit compositum ab se libellum supplicem, quem à Patribus Regi offerri oporteret. Neque contentus hac diligentia, postridie eundem attulit sua manu descriptum, & emendatum. Vetuit præterea me sumptuum itineris metu profectionem intermittere. se enim quicquid esset opus prouidurum.

Putatur consultum ut Patres à Rege in vrbe possent stabilem sedem. Præcepta D. Michaelis.

Capitulum XXXI.
PERIOCHE.

CAPITULUM XXXI.

PERIOCHE.

Pertractatis iis, quæ recentiores ac proximi his annis scriptores generatim de potentissimo Chinesium regno memoria prodiderunt, & absoluta enarratione rerum sacrarum, transitus fit ad descriptionem belli grauissimi, quod varia fortuna inter Tartaros & Sinas annis potissimum MDCXXII. & MDCXXIII. gestum est.

Cum potentissimum hoc Sinarum regnum, vt supra à nobis ostensum est, ab Oriente & Austro vasto alluatur Oceano, Eoo & Indico, ab Occidente vero vicinis regibus vel v-tatur amicis vel vctigalibus atque tributariis: Solum superest latus septentrionale, à quo armis exercitibusque extraneis inuadi turbarique potest. Habent ibi Chineses vicinos Tartaros, gentem plusquam Scythica feritate & barbarie noxiam, qui Cathaïensi regno dominantur, & aliquoties etiam patrum memoria instar diluuii regnum hoc inundauerunt, & per XCII. annos continuos vniuerso huic regno Chinesium dominati sunt, donec à Chinesibus longus ille & miraculo similis murus, de quo cum superius diximus, tum etiam tabula nostra eum ostendunt, velut obiectum irruptionibus barbarorum illorum obiectus est. Sed & hinc indomitæ illæ gentes expugnaverunt, magnisque se in septentrionales regni nobilissimi prouincias infuderunt agminibus, donec nostris hisce proximis annis bellum istud ita efferbuit, vt Scythæ totam fere prouinciam *Leoatum*, capta primaria eius vrbe, suæ fecerint ditio-nis. Res autem ista hoc pacto contigit.

Tartari Cathaïenses antiqui Sinarum hostes.

Prorex illius prouincia, nomine *Hium*, qui anno MDCXXI. bellum aduersus Tartaros gesserat, tametsi afflictam & prope deperditam rem prouincia suæ, cui præerat, in aliquam



spem crexerat : sua tamen cunctatione Administratorum regionum querelas aduersum se concitauit. Ij maxime libellis nixi Visitatoris, qui ex ea Prouincia uehemens erat Proregis accusator, non sine suspitione accepti à Tartaris muneris; effecerunt, vt prorex pertæsus tot accusationum missionem ab Rege, quamuis perinuito impetrarit. Sic fert mos huius Regni, de quo sæpe meminimus. Successorem habuit, cognomento Yuen, qui præerat alteri primariæ vrbi, & munitæ, eius partis Prouinciæ Leaotum, quæ solem occidentem spectat : (Prouinciã appello communi vocabulo. Nam reuera iusta Prouincia non est, sed pars Pechinensis.) Is ergo toti Prouinciæ præpositus est, pari ac superior non modo dignitate, sed etiam auctoritate. Eius electio vulgo probata est : pauci qui intus hominem norant, parum de eo habebant spei. Verum nemo ausus est communi hominum opinioni in cassum obistere. Inter hos Paulus noster, prædixit eam Prouinciã huius hominis inertia perituram. Primis mensibus Tartari nihil mouerunt : Prorex suis libellis maria & montes pollicebatur. Ita iniecta spes meliorum successuum, & præteriti timores sedati. Anno superiore Tartaria, quam latè patet, annonæ caritate laborat : quæ causa fuit, cur & remissius bellum gererent, & multi ad Sinas migrarent. Eorum magnam turbam Prorex sane haud prudenter in primariã urbem recepit. Tria millia fuisse perhibentur cum suis familiis. Immo deceptus vanis promissis, quæ fames expresserat, ex eadem hominum colluue delectus habuit. Hæc prima est cladis causa, quam multi magistratus ciuitatis regiæ obseruauerunt, & in suis libellis graui censura castigarunt. Nihilominus libelli Proregis, qui multa afferret, effecerunt, vt id bonum factum videretur. Luna altera huius anni Tartari, certiores per suos exploratores facti de omnibus ex improviso impressione facta, conati sunt capere oppidum magnam, & munitum. Propugnauerunt Sinæ, & Tartaros cum aliquot capitum strage repulerunt, atque vnus centurio viuus in potestatem venit. Gloria huius victoriæ debita erat Centurioni cognomento Ho. Is veteri ab origine genus ducebat ab Tartaris Occidentalibus, sed præclaris facinoribus multis, præsertim hoc bello, ad supremos in senatu militari honorum gradus euectus erat. Hæc porro victoria nouos honores, & noua præmia merebatur. Proregis erat, cum regem, de re, vt gesta erat, certiore faceret, huius non obliuisci. Ille, incertum qua causa, verbum de eo tecit nullum. Ea res pupugit non modo eum, cuius causa agebatur, sed alios etiam Senatores ordinis militaris, quorum est vetus, & iusta querela se ab Senatu Philosophico despiciatui haberi. Ex eo tempore Centurio ille victor, alieniore esse animo, & rem gerere frigidius, neque id Tartaros latuit, à quibus sollicitatus ad defectionem, leui momento à pristina fide dimorus est. Atque hæc est altera postremæ calamitatis origo. Ipse enim opportunum rebellandi tempus prætolatus, nimis impotenti dolore priuatam iniuriam, publica ruina vltus est. Adiungi ad hæc licet, desideratam esse hoc extremo bello illam Amazonem, cuius milites omnium sententia erant fortissimi, vt satis demonstrant eorum commilitones, ex eadem Prouincia Suchuen, qui sub aliis centurionibus merentes, honeste in conflictu ceciderunt. Rumor fuit ipsam rediisse in patriam, vt nouos delectus haberet, reuera autem creditum est, superiorem Protegem missionem ei vltro dedisse, aut malis modis eam tractasse, quod hominem pueret, in Sinarum exercitu sæminam non modo militis, sed etiam Ducis muneribus fungi. Atqui satis sane erat vnam sæminam animo virili præditam, quam non vnum, sed plures viros sæminino animo, arma gerere, & exercitus ducere.

Hic erat status Prouinciæ, quando sub initium tertiæ Lunæ, Tartari iusto cum exercitu derepente oppidum adoriuntur in primis firmum & validum, nomine Xim yam, cui, vna cum aliis præerat, Centurio ille offensus, & quamuis in eo esset præsidium triginta millium armatorum, sine labore tamen, & sanguine captum est. Ergo omnes turpi fuga receperunt se in primariã urbem, quæ appellatur Leaoyam. Castigandi erant fugiui. Sed nimirum Prorex repentina iactura territus, veritus in singulas horas ne Tartari ipsam urbem obsiderent, conducibilius censuit dissimulare. Itaque Centurioni illi offenso permissa impunitas, vt maius postea priore, damnum afferret. Prorex de parum lætis belli successibus scripsit ad aulam, & auxilia postulauit. Is nuncius animos nouo timore perculit: missa auxilia : actum de Prorege summouendo. Sed nimirum Tartari non proinde ac magistratus Sinarum, in rebus gerendis cunctabantur. Vigesimo post die (forte hos paucos dies elabi fuerant, vt breui mora Sinas omnem belli metum pacem interpretari per amentiam solitos, incautos deciperent) exercitus Tartarorum septuaginta millium armatorum eius Tartari, qui bellum gerit, filiis ducibus, urbem primariã circumsedet. Huius tanti exercitus magna pars alteri cuidam Sinæ transfugæ parebat, qui cum ante biennium

Prorex
abit officio.
Yuen suc-
cedit.

Prædixio.

Tartaro-
rum tria
millia ad
Sinarum
partes ac-
cedunt.
Vincuntur
Tartari.

Causa no-
ua cladis.

Centurio
desicit ad
Tartaros.

Prorex A-
mazoni
missionem
dedit.

Oppido à
Tartari
pareitur.

prima clades accepta est, infeliciter pugnauerat, & amisso oppido, quod tuebatur, metu supplicii, transfugerat ad Tartarum, qui benigne exceptum, insuper, quo deuinciret hominem, generum sibi asciiuit. Is Sinis plurimum nocet non solum armis, sed etiam litteris, quibus, vt postea dicemus, multorum tentat animos. Eodem die quo ad urbem accesserant, sub meridiem cœperunt Tartari impressionem in eam facere, & quod absque pudore Sinarum dici non potest, inter quatuor horarum spatium eam ceperunt. id eo accidit, quod à Tartaris foris, & intus oppugnabatur. nam qui in ea sedes nuper fixerant citius famis, quam suæ nationis obliui, cum occidendis intus Sinis fessis essent, transmigrarunt ad suos, & centurio Ho iniuriæ dolore exulceratus, qui cohortem suam metu perpulerat in sententiam, aperta porta hostes, tametsi suspitione insidiarum diu cunctatos, in urbem admisit. In hac vrbe, quod ægre apud Europæos fidem reperiet, præsidio erant militum centum millia, è quibus triginta millia ceciderunt, ceteri partim fugerunt, partim in hostium potestatem venerunt, partim, post illum victoriæ impetum, nihil præterea senserunt mali. Hæc tam illustris victoria Tartaris non paruo constitit. Nam duarum Prouinciãrum copiæ Chequiam, & Suchuen diu fortiter repugnarunt, & Tartarorum viginti millia interemisse scribuntur. Ipsi autem fere omnes interneccione deleti, expertes infamiæ, triumpharunt moriendo. siquidem Rex publicas, & solennes eis exequias fieri iussit : prouidit eorum viduis, liberis, & alios eis diuersos honores habuit, viuus magis profuturos quam mortuis. Neque dubium est, quin præclara victoria Sinis potiri licuerit nisi Tartaros domestica proditio iuuisset. Prorex miles gloriosus, nil præter verba iactare solitus, huic cladi superstes esse non sustinuit. Desperatis enim iam rebus, cum ex ordine Baccalaureorum, in eius prætorium venissent, qui viuum hostibus dedecent, laqueo in collum iniecto, ipse sibi interstrinxit gulam. Visitator eiusdem Prouinciæ viuus ab hoste captus, nunquam adduci potuit, vt Tartarorum Principem supplex veneretur, aut se victum faceretur, neque vnquam vllis vel officiis, vel promissis, vel minis, vel tormentis se flecti passus est, neque exemplo transfugæ eiusdem Principis generi, qui & verbis hortabatur, & factis præibat. Ad extremum hostis tam obstinatam animi magnitudinem demiratus, collaudatum ad prætorium, in quo antea diuersatus erat, hominem remisit. Ibi denique victus de decoris impatientia, & ipse, vt fortis videretur, laqueo sibi mortem consciiuit, ipso in se hoste crudelior.

Tartari præter tantæ victoriæ decus, incredibile est, quantam argenti vim, quantumque instrumenti, & apparatus belli acquisierint. Bonam prædæ partem in patriam deportarunt, ex quo rumor incessit, tantis opibus contentos, desperatione parta retinendi, domum redire. sed reuera, alia sunt eorum consilia. Siquidem rex Tartarus, qui ex eo tempore Imperatorem se vocari iuber, palatium sibi, vbi habitet, ædificandum locasse dicitur, vt ex propinquiore fortunam prosequatur. Et quia urbem vastam ac desertam nolebat esse, potitus victoria in neminem sæuiit, sed edicto publico iussit omnes securo esse animo, sua, volentibus superis, recuperare : qui fauor haud dubie omnibus gratus erat ac iucundus : præter fidem victori debitam, nihil ab iis postulari, nisi vt securitatis maioris causa, omnes tonderent caput, & victoris populi legibus, cultuque vterentur. Sic à principio vt absque tumultu tantam ciuitatem in sua ditione retineret, esset que aduersus casus omnes, & insidias tutior, faciendum putauit : postea tamen sæda carnificina in diuitiores sæuiit.

Habitabant in ea vrbe mercatores locupletissimi ex Regni Prouinciis, quæ ad Austrum sitæ sunt : in hos solos crudelitatem suam erupit, siue quod eos patriæ desiderio teneri intelligeret, vt spes non esset illic moraturos, siue quod in eorum opes inuolare gestiebat. Harum igitur altera ratione motus, aut fortassis vtraque, edicit palam mercatoribus Australibus permitti absolutam domum redeundi licentiam : omnes fortunas suas haud dubie secum asportarent : hoc eis beneficium à victore tribui. Quid poterat gratius accidere nihil sinistra suspicantibus? Dicitur dies, quo simul omnes discedant. Vix tres, quatuorue leucas confecerant, cum imprudentes in mulcipulam veniunt : obruncantur nemine excepto, omnes, & præda in vibem reporratur, non sine timore reliqui populi, cui tamen tantum non est animi, vt de excutiendo iugo cogitet. Quid his gestis consecutum sit in vrbe regia Sinarum, facile diuinabit, qui Sinas norit. Expauerunt, vt solent, immo plus quam solent. Frequentes excubiæ ad portas : edicta innumera, quæ si timori erunt Tartaris, certo quam longissime aberunt : fuga omnis generis hominum crebra, sed iam metu edictorum inhibita. diligenter quæsitæ peregrini : nemini ingredi, aut egredi vrbe licet velata facie, qui mos ob magnitudinem pulueris in populosissima vrbe natus, postea per delicias creuit. Reperti multi Tartarorum exploratores, & nonnulli proditores

A Sinis ad
Tartaros
transfuga
plurimum
nocet.
Vrbi pri-
mariã ca-
pitur.

In vna vr-
be præsi-
dium mili-
tum con-
tinetur mil-
lia.

Prorex ipse
sibi violentas
manus infert.

Constantia
singularis.

Tartarus
præter vi-
toriam
multis di-
tescit.
Victus par-
cit.

Sauit in
diuites.

Omnes
mercatores
obtruncan-
tur.



ditores centuriones ex ordine militari, sed imi loci. Ex his fuit qui corruptus à Tartaris pensione, quæ in singulos menses soluebatur, certiores eos scripto faciebat de omnibus, quæ gerebantur. Immo repertæ apud eum sunt eorundem hostium ad primos magistratus litteræ, nullis eorum nominibus, sed munerum dumtaxat titulis inscriptæ: his nimirum ille, vbi consiliorum exequendorum spes ostendebatur, hominum pertentabat animos. Iudices qui pro tribunali rerum criminalium ius dicunt, approbante Rege, hominem condemnarunt, vt forcipibus in sexcentas partes discerperetur: & cum adhuc viuenti venter ferro apertus esset ad extremum caput amputatum, & canibus obiectum. Sed tantam fuisse ferunt astantis populi rabiem, vt ipsi canum vices agere maluerint, per semet laniato certatim, & dentibus lacerato capite. Vnus filiorum primo paterni supplicii spectator, post obruncatus est. Alter celeri fuga salutem quæsiuit, relicta in vinculis coniuge, & cætera familia quæ necem opperitur. Tartari exploratores clementius habiti, vt in quos non nisi visitato more animaduersum est. Ad hoc genus hominum perquirendum populus propositis præmiis allicitur, quinquaginta scutatis in singula capita de publico persolutis. Collectis ex pauore animis, vt præteritæ labi remedium afferrent, multa ab Rege, & magistratibus præstita. Ante omnia multo cum honore, reuocatus Hium ille, qui defunctum Proregem antecesserat, atque vt supra narratum est, tradidit libellorum contra se scriptorum, domum secesserat Abrogatus quoque Magistratus Visitatori illi, huius importuno accusatori, omnisque ei dignitatis spes adempta in posterum. In hunc Proregem omnium oculi conuersi, & spes omnis amissæ Prouinciæ recuperandæ in eo recumbit. Interea Rex adolescens se lachrymis conficere dicitur, non tam hostium formidine, quam ob suorum discordiam & importunitatem, non nullorum etiam perfidiam. Tanta enim est in ciuitate regia animorum dissensio, vt in singulos dies datis libellis alii alios de gradu deicere, ac percellere nitantur. Id adeo cordi fuit Regi, vt graui promulgato edicto omnes hortatus sit ad concordiam, propositis etiam præceptis & minis: sed nullo fere profectu. Quot capita, tot sententiæ: suo quisque commodo studet: publici postrema cura est. & quis non videt hoc esse flagellum eius, qui aufert spiritum Principum? Ad tuendam urbem, quæ restat, dicta Quammim, Sina suis viribus diffisi, magnis stipendiis conduxerunt triginta millia Tartarorum Occidentalium. Hi Orientalibus fortiores habentur, neque adhuc vnquam contra Sinas rebellauerunt. Nunc, quod tanti se esse videant, extolluntur animis, multa que iactant, magnitudini Sinarum parum decora, si imperii amplitudini, animorum magnitudo responderet. Iactant sollicitatos se ab Orientalibus, vt oppidum, quod tenent, dederent, ab se autem reiectos. Id, si commentum non est, eo spargunt in vulgus, vt ab Sinis noua indies donatiua auferant. Neque veriti sunt musare præcipuas Prouinciæ Pechinensis vrbes suorum maiorum fuisse, atque inter alias ipsam Regiam. Hæc omnia velut surdi, se audire Sinæ dissimulant, nouisque eos quotidie honoribus demulcent. Adeo, vt etiam Senator quidam in Tauli dignitate positus, quod multiplici artificio Tartarorum beneuolentiam sibi adiunxisset, ab Rege ad altiores gradus sit promotus.

Seculus prodicionis grauiter puniuntur.

Rex Sinarum se lachrymis & dolore conficit.

Sina ab omnibus Tartaris patiuntur.

Suadetur Regi, vt omnia Tartaris tradat.

Nouus Prorex venit.

Tartaris damnum illatum.

In eadem vrbe alius Senator è primoribus per summam imprudentiam non dubitauit oblatu libello suadere Regi, vt hæc quoque Tartaris dedita, quam optimis conditionibus visum fuerit, pacem cum eis paciscatur in posterum. Rex vehementer indignatus, lictores magno numero confestim misit, qui hominem comprehensum sibi sisterent. Factum est, vt imperaret, sed ille prius repentina inualetudine, si non ea formido fuit, oppressus obiit, quam Regiam urbem intraret. Prorex nouus, seu potius vetus, sedem habet in oppido, quod ex Prouincia Pechinensi, siue Xantum, in Prouinciam Leaotum proficiscentibus vltimum est, & velut claustra. Nomen ei est Va Xam hai quan, ferturque, arte & natura esse munitissimum, ac posse facile à paucis contra multos defendi, nisi Sinæ domesticum hostem intra se se haberent, superuacuum timorem. In altero oppido, quod dicitur Quammim, residet alter Prorex, sed qui iam dicto parer, vt qui sit omnium finium Regni imperator. Hic Prorex est is, quem dixi Tartaris esse beneuolentia coniunctum, qui è gregario milite ad summos honoris gradus euectus, magnos animos præfert, speratque se oppidum Leao Yam recuperare posse. Verum tantisper retinetur ab altero Porege, cui subiectus est, donec auctis copiis, iusto cum Tartaris exercitu, ex æquo confligere liceat.

Anno exeunte, quo nimirum dolor tantæ cladis sedaretur, Centurio, cognomento Mao, officio Tu su, Tartaris non nihil damni intulit. Res ita gesta est. Confugerat ad Tartaros Senator ex ordine militari homo cætera nulla re clarus sed tamen strenuus habitus,

tus, & qui complures Tartaros occidisse ferebatur. Is eadem opera se, oppidum quæ quoddam Tartaris dedit neque paucis Sinis conciliauit exitium. Princeps contra Tartarorum, hominem in alto dignitatis gradu collocat, quodque tradiderat oppidum, eius curæ credit. Hic cum iuxta apud Tartaros & Sinas flagraret inuidia, propterea quod utrosque vexauerat, coniuratione contra eum facta, inuitarunt Centurionem Mao, vt oppidum Sinis recuperaret. Venit, recuperauit, non absque Tartarorum sanguine, eo quod non omnes conscii coniurationis essent. Cæsa Tartarorum duo millia, nonaginta captiui, & inter hos Centurio ille proditor, cum filio. Ambo deinde cum sex Tartaris, onusti catenis, in Regiam urbem transmissi, & tam filius, quam pater, quamquam hic si vitam obtineret, egregia facinora se editurum promitteret, eo, quod supra descripsimus supplicii genere, discerpit. Centurio autem victor, liberali donatiuo, & noua dignitate ab Rege auctus est.

Sina iterum potitur victoria.

Hic est compendio descriptus rei bellicæ huius anni status. Sed non hic malum constitit. In Prouincia Su chuen magni motus excitati nec dum conquieuerunt. Eorum initia in hunc annum inciderunt, progressus in sequentem, ideo solam originem hoc loco memorabo. Supra narraui milites ex Prouincia Su chuen in expugnatione vrbs Leao Yam fortiter cum hoste pugnantes, pene omnes occubuisse. Rex ex eadem Prouincia nouos delectus fieri iussit. neque modo ascripti in militiam ex urbibus, quæ à Magistratibus reguntur, verum etiam ex montibus, quos gens ferox incolit, quæ iugum Regionum Magistratum nunquam passa, ab se creatis primoribus parer, & suis legibus viuunt. Hi cum iam nomina dedissent, venissentque in primariam urbem, vt stipendia exigerent, auctarium præterea postularunt, quale prouincialibus dari soleret, quod familiis alendis possent relinquere. Hoc auctarium Prorex, & alii magistratus, cum dare recusarent, milites, qui ferre non possent, pari se ac cæteros iure non haberi, facultatem sibi dari postulant redeundi domum. Hac petitione accensus supra quam oportebat Prorex, respondit, se vi ad militiam compulsum, & ne quid in fuga præsidii haberent, omnes stigmatem inulturum. Non tulerunt hanc ignominiam, qui, cum honesti milites essent, mancipiorum more tractarentur. Ita que facto impetu Proregem, & quotquot circa ipsum Senatores erat, contrucidant, ac deinde nemine præterea violato, extra urbem se recipiunt. Sequentis anni, qui fuit A.N.C. MDCXXXIII. principium quietum fuit, magnæque pacis spem ostendit. siquidem initio Veris Tartari non venerunt, vt in superioribus annis, idemque otium perpetuari posset, si animi eorum, qui in præsidii ad eas oras tuendas collocati sunt, acquiescere, & sua sorte contenti possent esse. Iam vero, si quod est, dicendum sit, omnes inuiti illic morantur. Inde fit, vt Magistratus superiores, qui ægre ferunt fortiores esse administrationem Regionis tot laboribus, & periculis afflictæ, male accipiant Magistratus inferiores, hi milites, milites denique reliquam plebem, atque ita nemo est, qui sua sorte sit contentus, sed quilibet cogitat, quemadmodum existimat se è miseris, quibus opprimitur, & quacumque via licuerit, suam fortunam lautiolem efficiat. Hinc adeo factum est, vt duo Magistratus cum aliis militibus consilium ceperint transfugiendi ad Tartaros, eisque dedendi oppida, eo pacto, vt augetur eorum dignitas, & venirent in partem spoliatorum, atque ita euaderent ærumnas, quibus miserum in modum cruciabantur. Hoc per clandestinos nuncios cognito, Tartari copias propere cogunt, & adducunt. Aduentantibus duo modica oppidula, quæ occurrerunt, frustra resistere ausa, mox in hostium ditionem venerunt. Denique vbi ad urbem Quammim acceperunt, quo fuerant inuitati, facile glandes pro plumbeis, & pro nitrato puluere arenam adhibebant. Gubernator cum militibus, qui ignari erant rebellionis, victus, & ignominia, ac probri plenus fugit Xam hai, quod est oppidum munitum, citimum Prouinciæ Leaotum, vbi desinit Prouinciæ Pechinensis robur, & aditus Regni vniuersi. Manserunt vero in vrbe rebelles, suorumque popularium spolia diuiserunt cum hostibus.

Causa noui motus in Prouincia Su chuen.

Causa ob quam deficiunt Sina ad Tartaros.

Duo oppida capta à Tartaris.

Rex cogitat Regiam Nanchinū transferre.

Rex consilium mutauit.

Id vbi nunciatum est in Regia, maxima est inter primores orta animi perturbatio, præsertim in Rege, qui Regiam mutare, & Nanchinum transire cogitabat, neque deerant Magistratus, qui idem censerent, multique eum sequi deliberatum habebant. Et omnino res ex eorum sententia processisset, nisi vir primariæ auctoritatis oblato Regi libello, demonstrasset hoc consilium esse viam ad euertendum Regnum. Quod cum esset cognitum, discessum est ab ea sententia, & decretum, vt nulla facta loci mutatione, de antiqua sede munienda consilium iniretur, & publicato edicto, grauibus propositis pœnis interdiceretur non modo Magistratibus omnibus, & aliqua dignitate præditis, sed etiam cuiusvis generis



generis, ac fortunæ hominibus, ne quisquam audeat ab Regia discedere. Imperator exercitus, & Gubernator oppidi à Tartaris expugnati, miserunt supplicem libellum ad Regem, quo etsi culpam à se remouebant, pœnitentiam tamen ostendebant infortunati successus, & negligentia pœnas à se repeti postulabant. Iussi sunt in Regiam venire, & quia nonnulli Magistratus leuam eis pœnam decernebant, Rex tantum iræ ardorem ostendit, vt eos compulerit capite damnari. & iam sunt in custodia, expectantque in horas singulas vt sententiæ fiat executio. Agunt primo loco Magistratus, de Regia nouis custodiis excubiisque sepienda, atque in primis vt portæ custodiantur diligentius. Deinde visum est viam in Xam haiquam magna cura obsidendum esse, qui cum sit locus arctatus inter montes, & ideo ante alios defensionem opportunus, eo, militum præsidium, arma, & cæterum belli apparatus miserunt. Creati præterea sunt noui Magistratus, quibus Rex potestatem ampliavit, qua si licuisset vti contra Tartaros, plus profectum esset. Hac igitur instructus discessit à Regia primus cum insigni pompa & fastu Xhimilio exercitus Sinici Imperator, in eas oras, in quibus cum eisdem opibus, & magnificentia dominabitur, quamdiu Tartari permiserint, tamen modo in oppido Dizim præsidium habeat octoginta millium hominum.

Imperator exercitus uicti, & Gubernator oppidi capiti capite damnati.

Creati noui magistratus.

Regnum Coreanum Sinis fidele. Lusitani quatuor maiora tormenta offerunt Regi.

Vtuntur Sina tormentis non sine suorum caputem periculo.

Noua rebellio oritur.

Causa rebellio.

Tota Prouincia Sucuem in armis est.

Vicina facmina fortis bello opem fert. Facmina belli dux fundit hostem. Capti in

In his omnibus motibus, & diffidiis fidem suam Regi Sinarum probauit Regnum Coreanum, quod nullam vnquam amicitiam cum Tartaris inire sustinuit, tamen variis modis modo minis, modo prætextu solius transitus, & similibus tentatum sit. Similiter Lusitani Macænes specimen dederunt fidelis obseruantia, & studii huius Regni res adiuuandi, missis quatuor maioribus tormentis, è quibus tria remanserunt eodem loci, vnum deuectum est in fines Xam haiquam, cuius quanta esset vis, dum Sina periculum facere volunt, vsque eo onerantur, vt dum exploditur ignis, cellam puluerariam corripere, cum multorum hominum iactura.

Idem accidit in Regia, accensa item cella pulueraria, incertum quo modo, vel qua causa. Et quia maior in ea fuit vis pulueris collecta in magnis dolis cretaceis, tantus fuit impetus, ac strepitus in auras erumpentis, vt tota vrbs tremere, vnus & viginti homines interirent & Doctor Leo periculum adiret sui muneris amittendi, vt cuius procurationis hæc essent. Sed adhibitum est remedium castigatis minoribus Magistratibus, & aliis ministris, quibus cura pulueris propius incumberebat.

In Prouincia Sucuem non defuerunt rebelliones, & pericula. nam cum sit ea gens armis assueta, multum negotii Sinis facessit. Occasio fuit hæc: Bello quod superioribus annis aduersus Tartaros gestum est, huius Prouinciæ gentes præclarioris, quam cæterarum vlla, suæ virtutis specimen dederunt. Et quia multi eorum in bello ceciderant, quibus Centuriones meritam laudem tribuebant, Rex eorum operam Regno vtilem fuisse iudicans, negotium dedit Magistratibus, qui rem in iis regionibus gerebant, vt exequias generatim omnibus qui fortiter in bello occubissent, facerent, eorum propinquis largi præmia tribuerent, atque iisdem in locis delectus novos haberent, solutis in antecessum stipendiis, vt eorum opera, vbi commodum esset, vti liceret. Ad hanc denunciationem concurrerunt non solum Sina, sed aliarum quoque nationes, quæ intra Regnum aut in eius finibus propriis legibus viuunt, paucissimis in rebus ditioni Regis subiectæ. In his visum est magistratibus discrimen adhibendum,

non modo vt minora stipendia acciperent, sed etiam, vt eorum vultibus signum id est, stigma inureretur, perinde atque si de emendis mancipiis ageretur. Id facinus tantopere commouit externos illos populos, vt tantam iniuriam gladio vlciscendâ rati, Gubernatorem cum omnibus Magistratibus, qui aderant, extemplo trucidarint. Deinde coactis tribus aut quatuor millibus, tota Prouincia tanto furore bacchati sunt, vt non modo oppida, & castella ignobiliora, sed etiam vrbes, in quibus ad Reip. præsidium plurimum est momenti, nullo fere resistente, ditionis suæ fecerint, iamque eorum Princeps Regem se nominabat, & monetam cudebat cum insignibus subiugatæ Prouinciæ. Satis negotii habebant, qui altis mœnibus, & ferro armatis portis oppida tuebantur, cum nullius esset deterior conditio, quàm primariæ vrbs, quæ trium mensium obsidionem passa est, obsessis ad grauia mala redactis, & incassum opem, ac leuamen expectantibus. Rebus sic afflictis, subuenit fortis bello facmina. Erat ea vicina afflictæ Prouinciæ, & Regi vctigalis, proprio tamen, & nulli obnoxio in suos imperio. Illa ergo contractis ex suæ ditionis regione copiis, ipsamet ductare exercitum, perduellium impetum frangere, atque omnino cohibere, ne porro damna inferrent, donec auxilia à Regia mitterentur, quæ propter locorum longinquitatem aliquot mensium spatium expectata sunt. Ea postquam aduenissent, magnanima facmina exercitum hostilem fudit fugauitque, & nonnullos captiuos viros misit in Regiam, qui morte damnati,

in ter

in ter mille notabilia frustra dissecti sunt, quod supplicii genus in similibus casibus apud Sina frustra fecantur.

Alius popularis motus haud minus periculosus postea in Prouincia Xantum exortus est. Auctor eius fuit adolescens, princeps sectæ, quæ in hoc regno appellatur Pelienkiao, detestabilis, & periculosa tum propter perplexa & obscura doctrinæ capita, quæ profiteretur, tum quod propositum habeat finem, aduersus Regnum rebellionem commouere. quod multi iam ex ea secta conati sunt. Denique comprehensus, & quæstionibus sæpius subiectus est. non ignari enim Magistratus habere illum factionis suæ socios, nitebantur efficere vt eos proderet. Id cum loci illi accepissent, siue eius amore ducti, siue metu, ne victus tormentis, ipsos ediceret, deliberarunt sumptis armis Magistratus adoriri, & eorum nece locum suum supplicio, se autem formidine liberare. id quod fecerunt multis eorum vna cum familiis neci datis. A principio non erat eorum numerus amplius ducentorum, sed vt in Regno Sinarum non desunt homines vagi, similisque colluies, quæ quantouis pretio talem occasionem redimeret, breui ad plura millia excreuerunt, captis minoribus locis, quæ se nemine repugnante dedebant, in duobus oppidis sese communiuerunt, vnde subinde vicinum agrum populabantur. Eius rei nuncius perlatus in Regiam, magnas curas attulit, tum ob metum sequioris successus, si rebellium consilia procederent, eo quod non longe distarent, tum quod vias quibus commeatus in Regiam aduehitur, terra & aqua intercluserant. Itaque cogebantur institores magno suo incommodo, longo circuitu per Prouinciam Honan iter facere.

Nihilominus adhibita in hoc negotio diligentia est, vt Centurionibus, copiisque submissis mature prouideretur. Et quanquam principio anceps aliquoties prælium fuit, tandem tamen deuicti rebelles exercitus eorum fusus, fugatus, captus adolescens ille factionis caput, qui se Regem ferebat: cuius ille tituli adeo retinens fuit, vt cum vni è Regni proceribus esset traditus, priusquam in Regiam perueniret, quo confestim transmissus est; nulla illum vnquam significatione honoris prosequi dignatus sit; & iussus illum inclinatione corporis honorare, facturum negavit, quod Regem nemini inclinari oporteret. Is per ductus in Regiam, in ter mille frustra concisus est. Hac victoria ciuitas Regia ingenti discrimine, & metu penuriae rerum ad victum necessariorum, quarum iam magna caritas erat, defuncta est.

Exorta quoque est grauis simultas in Prouincia Guej cheu. Sed primo sciendum est in Regni parte, quæ respiciens Bengaliam, & Pegu, Yunam dicitur, populos incolere, legibus, & Magistratibus propriis vtentes, qui, vt de Prouincia Licuem diximus, præter appellationem, quam à Sinis habent, nihil eorum Regno debent. Eius Regni principio incolæ tantum poterant virtute bellica, tantamque eius laudem in bellis erant adepti, vt cum quouis maiore Regno possent contendere. At postea ciuilibus discordiis paulatim ita debilitati sunt, vt se alii sponte, alii metu Regi Sinarum subiecerint, penduntque illi vctigal, atque in suarum terrarum peculiari administratione Sinicis Magistratibus vtuntur. Ipsi tamen siluestres habentur, à litteris, à bene temperato Reip. statu, à ciuili consuetudine abhorrentes, & ideo barbari audiunt, quod cognomen Sina omnibus exteris nationibus tribuunt.

Apud hos igitur populos inter duas familias lis orta est, de hæreditate haud mediocri. Fauebant Magistratus Sinici parti imbecilliori, tum quia videbant potiori illam iure niti, tum, quia amore vtilitatis sui Regni, metuebant, ne alterius factionis opes, & potentia nimium cresceret. Egerunt igitur, vt secundum imbecilliores, qui vocantur Xechia, pronunciareretur, quod aduersarios, qui dicuntur Apuengam, tantopere accendit, vt, velut iniuriam vindicaturi, cuius auctores Magistratus Sinicos credebant esse, ad inferenda eis damna se conuerterint, multis etiam interemptis. Re ad Regiam delata, visum est dissimulatione sopiendam esse. At Gubernator, & Protex eius Prouinciæ, cuius est in ea ius dicere, ratus haud male operæ fore castigare fontes, & fretus multitudine, quam sub signis habebat, hostes cum plus quam viginti millibus armatorum adortus est, tam infelici exitu, vt plus quam dimidia pars Sinarum in acie ceciderit, cæteris fuis fugatisque. Neque adhuc compertum est, quid in tam luctuoso euentu consilii sit captum.

Iam vero Rex Sinarum ipse omnibus se probat, propterea quod sit pius, liberalis, moderatus in faciendo sumptu, suæ fidei Religionis obseruans, & naturali quadam propensione feratur in bonum, vt licebit cognoscere ex nonnullis exemplis, quæ ab ipso edita, proponemus. Moris est in hoc Regno, vt quando alicui Reginarum corona faciendâ

frustra fecantur.

Motus alius in Prouincia Xantum oritur. Adolescens caput factionis.

Rebellium numerus augetur.

Rebelles vincuntur.

Captus factionis caput in frustra scinditur.

Oritur simultas in Prouincia Guej cheu.

Discordia incolæ perierunt.

Simultas causa.

Sina infeliciter pugnant.

Singularis Regis Sinarum mens laus. Mori Sinarum

est, in



nonsem est, in singulas infumantur ducenta aureorum millia. Rex, cum hoc anno vna esset fabrican-
Reginam da, iussit sumptibus modum fieri, & minoris pretii coronam conflare. Vanlie huius Regis
coronandi. auus in medio suorum palatiorum domum ædificarat, relaxando animo destinatum, sed ita
Exetra- sumptuosam, vt præter impensas in materiam factas, cæmentariorum, & aliorum artificum
ynr Rex manu pretia, & mercedes centū aureorum millia confecerint. Visum est nouo Regi, domum
nimios tot deliciis ornatam, parum conuenire Regi tam grauibus muneribus occupato, ac proinde
sumptus. iussit dirui, quod extemplo factum est.

Ineunte ætate, primis nascentibus fructibus, Eunuchi, quorum sunt varia studia, cer-
 tatim conquirunt primos fructus, & pulcherrimos, quos Regi, Regina, & aliis Palatinis of-
 ferant. Ex eo fit, vt interdum in aliquem fructum, qui non æstimaretur sex Iuliis, expendant
 quadraginta aureos. Id cum ad Regem esset perlatum, vehementer ab eo obiurgati sunt, quod
 in res nullius momenti tantum sumptum facerent.

Libellis magistratum plerumque mature respondet, præsertim eorum, quibus bene-
 ficii aliquid petitur. Modum imposuit vectigalibus, nonnulla etiam sustulit, quæ antea ad-
 hibita vi, & tyrannicum in modum extorquebantur. Hinc factum est, vt gemmis, quas
 felis oculos appellant, quæ olim in hac Regia maximi pretii erant, nunc tanta decessio fa-
 cta sit, vt non sit qui emere velit, propterea quod præcipui fere earum emptores, palati-
 ni sint.

Magistratus Prouinciæ Xantum oblato libello certiore fecerunt Regem, interditi
 apparere Lunam comitatam variis stellis inusitatae magnitudinis. Pari modo in vrbe Pechino,
 cum aliquot diebus Luna visa esset, vna cum alia magna stella, quod spectaculū tenebat tres
 horas à meridie, per libellum admonitus est Rex, cælum, quod supplicium minaretur, ali-
 quibus pœnitentiæ officii placari oportere. Rex primus fuit qui monito pareret, seruato plu-
 rium dierum ieiunio iussitq; idem à Magistratibus fieri, & vetuit spatium duodecim dierum
 quenquam tribunal accedere, ferendæ sententiæ causa, præsertim mortis, aut sup-
 plicii.

Rex ieiunium indicit publicum.

Eadem obseruari iussit occasione cuiusdam siccitatis, quæ fuit in vrbe Regia, quo tem-
 pore, ipse vt antea ieiunauit, atque insuper interdixit populo, ne animantes in communem
 & vulgarem vsum occiderent. Iniunxit præterea ministris Pagodum & templorum, vt va-
 riis supplicationibus pluuiam elicerent, neque cessarent pro necessitate populi precari. Fe-
 cerunt superstitionum ministri, quod imperabatur, neque spem modo ostentarunt, quod
 petebatur, obtinendi, sed etiam diserte diem nominarunt, quo casurus esset optatus imber.
 At is dies vbi illuxit, sol clarus apparuit, vt cum maxime. Quia igitur ab Rege erat facta po-
 stulatio, & Pagodes videbantur inuenisse se gessisse, neque rationem habuisse Maiestatis Re-
 gia, quod ei non annuissent hoc in beneficii loco petenti, harum rerum gratia, illis relictis
 precibus, & omni viuendi asperitate, pœnas à suis Pagodibus poposcerunt, acriter eos verbe-
 rando, petinde atque si sensu essent, & ratione præditi.

A Diis suis Pagodibus petit Rex pluuiam supplicatione. Ethnicis non impletrata pluuiam Pagodes percuntius.

Hac sua industria perfectum iri negotium certo sibi persuadebant idolorum sacrificuli,
 rati suos deos, vt pœnas ab se deprecarentur, concessuros, quod tam longis & ardentibus pre-
 cibus negauerant. Igitur denuo certum diem assignant, quo die confirmant certo pluiturum.
 Erecti erant omnium animi in spe felicis euentus, & sacrificuli cum suis sodalibus publice
 in hunc finem varios ritus, & inflexiones corporis adhibebant. Atqui cum dies & hora, quam
 designauerant, adesset, in obscuratur cælum densis nubibus: magna omnium existit lætitia:
 Sacrificulis conciliatur fides, expectant omnes auidi in singula momenta, vt optatus imber
 decidat. Ibi loco imbrum delabatur summo impetu de cælo grando lapidum, quorum nõ-
 nulli ouis gallinacis magnitudine pares erant, aliqui maiores quibus maxima calamitas sa-
 tis, hortis, pomariis importata est, mors quoque omnibus hominibus allata est, quotquot sub
 dio tempestas occupauit. Res fuit tam inusitata, vt nemo sit, qui similis casus meminerit. No-
 stri quoque Patres scribunt visum fuisse orbem illabi, tantam fuisse rerum omnium con-
 fusionem, & strepitum cadentium lapidum. Iam vero falsi vates, pro mercede suorum labo-
 rum, à magistratibus comprehensi, & grauius castigati sunt.

Lapides pluui.

Mirifica est Regis liberalitas, quando rogatur, vt inopes subleuet, aut vt virtute claros
 remuneret. adeoque procedit, vt petente Don ye Calao iusserit bis mille myriades tri-
 bui. Denique dicitur inusitata quadam inclinatione virtutem sequi, dummodo esset
 quillum doceret, quod vnum deest. Nam magistratus, qui stas diebus aliunde illum
 adeunt, vbi suis aulicis ritibus, & venerationis officiiis perfuncti fuerint, ea duntaxat lo-
 quantur & suadent, quæ priuatim ipsi conducibilia sunt de utilitate Reip. nihil admo-
 dum

Regis liberalitas. Rex natu-va prouus ad virtutem.

dum solliciti. Qui vero intus in palatio degunt Eunuchi, & feminae, in eo toti sunt, vt volun-
 tati Principis obsequatur, ne discrimen adeant amittendæ gratiæ, aut eius quod possident: in
 hoc intenti vt ad altiores honorū gradus, quos concupierunt prouehantur. Quo fit, vt miser
 Rex, tametsi suapte sponte à natura inclinatur ad bonum, parum tamen ex eo capiat utilita-
 tis, qui assiduo periclitatur, ne breui cæteris peior euadat.

Habet in more certis & stas annis experiri generatim omnes suos Magistratus, atque
 omni diligentia eorum actiones administrationesque excutere, & fontes pro meritis plecte-
 re, præcipue vero tria vitia persequitur, immodicam cupiditatem, crudelitatem, languorem
 in munere gerendo, quibus non modo magistratus abrogat, sed etiam seuerè castigat, qui au-
 tem minorum delictorum rei comperti sunt, cuiusmodi esset exempli gratia, in rebus ge-
 rendis minore prudentia vsum esse, non rediguntur in ordinem, aut certe ad inferiora
 munera admittuntur, manetque eis integrum recuperare, id quod amiserunt, atque
 etiam ad altiore dignitatis gradum eniti. Soli enim senes semel reiecti, spe redeundi ad ge-
 rendam Remp. exciderunt, propterea quod senectus, cuius causa ab ea remoti sunt, tempore
 non minuitur, sed crescit. Hoc examen hoc anno tam fuit seuerum, vt Magistratus, qui pœnas
 dederunt, fuerint quinquies mille, & quingenti, & ostendit Rex hac vice proscriptas esse om-
 nes allegationes & intercessiones.

Trium suis vitia Rex persequitur.

CAPVT XXXII.

PERIOCHE.

*Absoluta descriptione rerum Chinesium in Iaponiam Insulam trans-
 fretamus, vbi prius tria verba de Cochinchina, quod
 regnum Chinae finitimum est, diximus.*

Cochinchina regnum Sinarū siue Chinesium vastissimo regno collimitaneum est, habes
 ab Oriente prouinciā Sufnanensem, & Cantonensem regni Chinae; ab Occidente & Se-
 pentrione Indiam extra Gangem sub Magni Mogol dominio constitutam: à Meridie regna
 Aracanum & Peguanum. Qua Oceanum Orientalem respicit, in vastum dehiscit Sinum ma-
 ris, qui fluuios aliquot à montibus illius regni delapsos exhaurit. Ipsa Cochinchina (nam &
 sic scribitur à Geographis) in tres prouincias siue Principatus diuiditur, ita tamen, vt duo
 posteriores primo velut superiori pareant: in vniuersum tamen omnes Magno Sinarum
 Monarchæ vectigales sunt, quorum & ritus sequuntur moresque, vt & superstitiones: Ido-
 lolatæ enim sunt, & ignari doctrinæ de vero Deo. Narrant tamen nonnulli, qui in illis
 locis fuerunt, reperiri alicubi apud eos cruces & statuas quasdam, aliaque Catholicismi in-
 signia.

Cochinchina regnum.

Diuitiæ & opes incolarum huius regni magnæ sunt, cum è montibus eorum effodiatur
 aurum & argentum, & lignum Aloës magna reperitur copia, accedente nego-
 ciatione materiæ Sericæ & vasorum porcellanorum, quæ & ab Sinis ad nos affe-
 runtur.

Richardus Cockus, Eques Anglus, qui anno A.N.C. MDCXIV. à Collegio Mercato-
 rum Anglorum in Iaponiam missus fuit, narrat in litteris suis; Nobiles quosdam Britannos
 ab Rege Iacobo cum litteris & muneribus ad Cochinchinensem Principem, malo suo fato
 se Hollandis eo nauigantibus addidisse socios. Vtrosque enim cum fluuium quendam traie-
 cissent, à barbaris fustim interemptos cecidisse, quod aliquot annis ante ab Holladis in mer-
 catura improbam monetam numerantibus, decepti fuissent; & aliquot barbarorum pagi ab
 iisdem Hollandis subiecto igne conflagrauissent. In littore huius regni, quod sinuosum &
 vadofum est, crebra est Margaritarum piscatio.

Proximus ab China traiectus se offert in Iapan siue IAPONIAM Insulam, veteribus vix
 cognitam. De hac antequam propiora nostris temporibus narremus, quædam prius genera-
 tim dicemus, vt suis historiæ nostræ constet ordo, & quæ sequuntur, melius capiantur.

Iaponiæ siue Iapaniæ nomine magnum numerum Insularum & velut concursum in-
 telligimus, quæ inter se alicubi tam prope cohærent, vt cum magna illa & proprie sic dicta
 cohætere videantur: Omnes autem intercutu Euriporum & exiguorum fretorum à se in-
 nicem diuiduntur. Maxima earum Magino aliisque quibusdam Chryse, Marco Paulo Zipangri
 dicitur. Extenditur autem totus ille Insularum conflatus & syndrome ab altitudinis

Opes & diuitia eorum.



gradu XXXI. vsque ad XXXVIII. Tota hæc longitudo in ducentas ferme, vt aiunt, Leucas procurrit: cui nequaquam respondet Latitudo Iaponiæ, quæ alicubi in decem: vbi latissima est, in XXX, leucas patet, de ambitu eius dici certi nihil potest. Ab Oriente obuertuntur hæc Insulæ Nouæ Hispaniæ: ab Aquilone Tartaros aliosque habent notæ feritatis populos: ab Occidente spectat Chinam: à Meridie vasto Mari interfuso, inexplorata obuertuntur terræ. Complectitur hoc quicquid est Terrarum, LXVI. parua regna siue principatus potius, diuiditurque in tria membra. Maximum atque præcipuum conituit Iapan Insula, regna habens LIII. inter quæ *Machaus*, siue *Meacum* potentissimum est, in quo Lusitani negotiantur: & proximum ab eo *Amaguncium*. Habet Rex Meaci sibi subiectos XXIII. vel XXVI. Regulos, & Amaguntinus XII. siue XIII. Secunda Insula præcipua siue membrum dicitur *Ximo*, Dynastias comprehendens IX. inter quas præcipuæ sunt *Bungo* & *Figen*. Tertium vocatur *Xicoum*, principatus siue dominia complectens quatuor. Illustrissima omnium prouinciarum est *Coquinaia*, in qua est celeberrima & ob mercimoniam notissima Vrbs *Machaus* siue *Meacum*.

Paruit olim omne nomen Iaponium vni regi, qui patria lingua *Vo*, siue, *Vau* aut *Dair* vocabatur, donec is dururna pace in delitias & socordia resolutus, Præfectis ac Satrapis suis, ac præcipue *Cubis* (sic enim duo primarii vocabantur, quorum alter alterum extinxit) contemptui esse cæpit, adeo, vt *Cubi* illi duo *Dairum* regno denique euerterint. Crescente autem dominandi libidine, nunc hic nunc ille à Regis obedientia se subtrahit, sibi que singuli Regulorum nomen vindicauerunt.

Mansit tamen *Dairo* nomen supremi regis Iaponiæ, sed sine imperio vel potentia, vt vix à cæteris, qui circa Meacum dominabantur, necessaria ad victum & amictum acciperet, nisi vmbra Imperii Iaponici. A quingentis autem annis à *Dairo*, *Coquinaia* Dominus & Princeps *Tensa* (sic appellatur quinque illa regna circa Meacum) adeoque summus Iaponiæ Monarcha fuit *Nobununga* Tyrannus, cui *Faxiba* successit, præcipuus eius belli dux, qui sibi celeriter L. regna subiecit. Et talis fuit nostro æuo *Taicofama* Monarcha Iaponiæ.

Totius Iaponiæ vrbs primaria est *Meacum*, siue *Machaus*, Ciuitas maxima, cuius ambitus olim in XXI. milliaria patuit, sed nunc bellis Insulanorum intestinis plusquam tertia sui parte imminuta est.

In hac sedem suam habet Summus Magistratus Iaponiæ, tribus Viris constans. Post hæc sequitur *Officiaria*, ciuitas potens & libera, & vt quidam putant, omnium Orientalium locupletissima. Magna hic Mercatorum vndique concurrentium frequentia est, quorum qui mediocres facultates habent, XXX. aureorum millia possidere creduntur: qui diuites iudicantur, incredibiles opes possident. *Bungum* sui tractus Vrbs præcipua, loco sita est peropportuno. *Coia* ciuitas cuidam *Bonsio* sacra est, qui *Combodassi* vocatur. Est autem hæc commune sepulcrum omnium principum: aut si alibi sepeliantur, mittitur tamen huc dens aliquis cadaveris, tanta est loci veneratio. *Fiongo* Vrbs XVIII. Leucis à Machaunte distat, *Nobunanga* tempore magna ex parte deuastata, & anno MDXCVI. terræ motu grauissimo valide concussa, vt magna pars euerfa collapsaque fuerit, quod residuum fuit, igne consumtum est. Huc etiam referenda est *Amangasqui*, in cuius Portu Lusitani negotiantur, Vrbs satis elegans, quinque leucis à mari disincta, & *Saciao* opposita. Cæteræ sunt *Vo-Suquin*, *Funaum*, *Tosam*, aliaque non contemnendæ.

Cæli aerisque in Iaponia salubris est temperies, quanquam frigori & niuibus terra plusculum obnoxia sit, & humidior ob frequentes qui hic cadunt imbres: solum autem sterilius, quia fere montibus rupibusque asperatur.

Orizam metunt Septembri mense, nonnullis vero in locis Triticum mense Maio. Et terræ visceribus incolæ varia metalla eruunt, & exterarum nationum ea merce ad se pelliciunt. Quantum autem hæc insula sit ferax auri, testatur M. Paulus Venetus, qui ait suo tempore Palatium Regis aureis laminis tectum fuisse, haud aliter quàm apud nos magnatū domus Cupro vel Plūbo cooperiuntur. Arbores hic fructiferæ, nostrisq; similes, plurimè reperiuntur: Cedrus vero alicubi tantæ proceritatis & crassitie affurgit, vt inde Fabri Templorum columnas fabricet, & quantumuis magnæ nauis onerariæ malos; Campi & prata bouum equorumque armentis: saltus & dumeta lupis, apris, ceruis cuniculisq; scatent. Ex auibus frequentissima hic anates, palumbes, turtures, coturnices, gallinæ syluestres & phasiani reperiuntur. Butyro destituuntur, vt & oleo oliuæ, pro quo vtuntur abdomine Balænarum. Animalia, quæ apud nos domestica sunt, & ipsi habent affatim. Inter montes torius Insulæ satis editos præruptosq; duo præcipui visuntur, quorum alter assidue flammam euomit: alter *Figenoia* dictus tantæ altitudinis est, vt

Qualitas
& Natura
soli.

est, vt etiam ipsas nubes altissimo interuallo superet. Vulgus agreste Iaponensium fere è ferarum carnibus viuunt, vnde crebra apud eos venatio.

Est in vnuerfum gens Iaponum acuta, sagax, vafra, docilis, & acri præ aliis mortalibus memoria. Nulli hic paupertas sua probro est; maledicentiam, furtum, periurium, aleandique libidinem oderunt atque detestantur omnes. Viuaces plerique sunt, senibusque viridis ac cruda senectus, vt in sexagesimum annum militaris ætas extendatur.

Barbam alunt modicam, in capillo varius mos est: pueris raditur sinciput, plebeis rusticisq; dimidium caput: nobilibus caput totum, relictis paucis in occipitio capillis, quos attingi à quoquam, maximæ contumeliæ loco habetur. Pavimentum floreis tumentibus nitidissime consterunt, iisque indormiunt velut culcitrīs. Munitiei apud eos non minus studium quam apud Chineses. Capientes enim cibum duobus paxillis ligneis vtuntur, tanta dexterritate, vt nihil decidat, nec opus sit extergere mappa digitos. Capturi cibum calceos exuunt, ne catastromata coinquent, pauperiores, præsertim qui maritima loca incolunt, herbis, oriza & piscibus victitant: ditiores ornant splendide & opipare conuiuium: in singula fercula sine linteis aut mappis mutatur sua cuique conuiuæ mensa è cedro pinuve facta, alta pedem vnum aut paulo plus. Cibi præstantiores in pyramidalem formam assurgunt, scobe aurea conspersi, prominentib. ad gratiâ Cupressi arboris viridib. ramusculis. Inferuntur & aliquando patinis argenteis aues integræ, deauratis pedibus & rostro. Colore potius sunt oleaginoso quam albo, laborum tolerantissimi, auidi gloriæ, offensarum impatientes, dissimulatores studii vindictæ, & pro proditoribus vulgo habiti. Quidam inter eos liberos recens natos suffocant, odio educationis.

Lingua apud eos vna duntaxat, ita tamè variantib. idiotismis, vt aliæ atq; aliæ linguæ videantur. Litteræ eorū, vt & Chinesium, notæ sunt, & signa, integra verba & res significatiua.

Armīs fere vtuntur his: Sclopeto manuario, gladio lato, pugione, claua, aliisque ob leuitatem habilibus. Capite fere semper sunt aperto, præter quam cum lugent, tunc enim & hoc & totum corpus albo inuoluunt velo. Aquæ simplici admiscunt aliquantum Chii pulueris, atque inde delicatum potum conficiunt: ditiores etiam bibunt vinum ab Hispanis importatum. Caro venatione capta illis potior est animalium domesticorum. Gymnasium præcipuum habent, siue, vt nos dicimus, Academia in oppido Banoum, vt *Bonsii* docent. In Bungo vero oppido Seminarium est Iesuitarum, vbi Iapones ad discunt linguam Lusitanicam, & Europæi Iaponicam. Vtuntur Iapones arte imprimendi libros sicut & Chineses.

Si quis ex Nobilitate grauius aliquod crimen designauit, obsidetur domus eius à numerosa manu militum, iubeturque sibi ipsi manus afferre. quod si cunctetur, irrumpentes trucidant eum cum omnibus, quotquot in domo eius offendunt. Carceres siue ergastula facinorosorum non habent, sed puniunt maleficos in aperto campo, aut eos perpetuo damnant exilio. Si quis ob delictum aliquod capiendus est, oportet, vt per insidias & nihil tale metuens intercipiatur: alias enim vsque ad mortem acerrime se defendet.

Est negociatio frequens variarumque mercium in Iaponia, cum præter Orizam, qua Diuitia Iaponensium. peregrini multas quotannis naues onerant, incolæ mercatoribus exteris magnam vim vendant margaritarum, quæ magnæ sunt & rotundæ, & rubicundæ, nec tamen in minore precio quam albæ. Multum hic etiam est gemmarum, nec parum auri, vnde facile colligi potest, harum rerum copia hoc regnum ditissimum iudicari debere. De prouentibus Regis ita habet. Præter tributa & donatiua, quæ ei Reguli Insulæ ex debito offerunt, putantur ad eum redire quotannis duo auri miliones ex oriza, quæ in prædiis regis colligitur, vnde de cæteris facilis est coniectura. Nemo enim harum rerum, quod sciam, subduxit calculum.

Quantæ sint huius Regis vires militares, facile ex eo cognosci potest, quod *Faxiba*, qui regnauit ante *Taicofamam*, cuius vltimi in hoc scripto mentionem facimus cum totam sibi Insulam, inque ea quinquaginta regna subiecisset, omnino statuerit, collecto ingenti exercitu, traicere in Chinam, eique regno bellum inferre, in quem finem tantum iussit cædi lignorum, vt inde classis bis mille nauium confici posset, ad transportandas suas copias. Et sunt quidem Iapones viri fortes atque animosi, vt vel pauca eorum cohortes iustum Chinesium exercitum profligare atque delere possint.

Differt autem modus Gubernationis huius regni multum ab eo, qui nobis per Europam notus est. Neq; enim potentia & magnitudo huius Principis consistit in prouentibus eius annuis, neque in amicitia vicinorum populorum: sed in mera auctoritate & imperio. Quicquid enim capit agri ab hoste, diuidit inter amicos clientelq; suos, quorum perspectam habet fidem, hac dicta lege, vt sibi regi seruiant suis propriis impensis, siue pax sit siue bellum, adducto certo militum numero. Et hi rursus partiuntur suas possessiones fiduciariis clientibus-

que

Mores & consuetudines.

Robur militare & Modus Gubernationis.

que suis, vt eos hoc modo sibi deuinciant. Sic fit, vt quicquid est bonorum in tota Iaponia, dependeat à paucis, & hi rursus ab vno atque solo, qui est Dominus Tensæ, qui in momento dat aufertque, quid & quibus vult, attollit & deprimat, locupletat, & ad inopiam redigit Principes. Si ergo vel aufert vel mutat Principatum aliquem, mutat simul nobiles & milites in eo, relictis duntaxat opificibus & agricolis. Hæc autem ratio perpetuarum seditionum causa existit. Sic enim fit, vt Principes Tensæ alique videantur Tyranni & vsurpatores alienorum bonorum, destructores Monarchiæ & hostes magnitudinis Iaponicæ: vnde à populo, aliquando etiam à sociis odio habiti, perpetuo in armis viuere coguntur.

Accedit, quod Principes, cum subinde mutantur, non ita amantur à populo vt naturales domini: & ipsi Principes metu repentinae mutationis, nullo vicissim constanti amore populum complectuntur, certi, eadem facilitate, qua hunc obtinuerunt principatum, se obtenturos alium, & fortasse meliorem: hinc vel ipsi soli, vel coniuncta cum aliis opera semper rebus nouis student, & perpetuis Insulam bellis implicant.

Hinc Faxiba, vt absolutum sibi stabiliret imperium, solebat subinde de alia in aliam regionem transferre principes, vt præfecti nouis populis rebellare sibi facile non possent. Præterea, vt eorum frangeret potentiam, diuisit Regna singula in plures Præfecturas minores, vt in tanta prouinciarum angustia non modo nihil contra se possent, sed & ipsi inter se de finibus litigarent. Voluit insuper, vt in omnibus mutationibus tam is qui meliorem nancisceretur conditionem, quam qui deteriore, quotannis ad Regiam suam venirent, ibique præstarent fidelitatis iuramentum, & offerrent regia dona atque munera: quo quidem inuenio potissimas totius Insulæ opes ad se pertraxit. Idem populum distinxit contriuitque in structuris variorum ædificiorum, puta Palatiorum, Templorum, Munimentorum, Arcium & Castrorum, in quibus molibus suscitandis quotidie habuit ultra C. operariorum millia. In primis orsus est ædificare Templum, in quod dixit insumendum esse omne per Iaponiam ferrum. Iussit igitur vt plebs cum mercatoribus omnia sua arma & ferramenta in vnum aliquem locum conferrent, vt in vsu Templi conuerteretur. Hoc actu & spoliavit populum armis, & perfecit ædificia maxime admiranda.

Nunc videndum est, à quibus Magistratibus hoc regnum administraretur. Resident Meaci Triumviri, penes quos summa est rerum constituendarum potestas. Primus qui *Zaſo* dicitur, Pontificis Maximi instar præest sacris, Secundus *Voo*, dignitatibus & honoribus. Tertius *Cubacama* dicitur, tractat res pacis & belli. Gens tota in quinque diuisa est Ordines. Primus est eorum qui cum aliquo imperio sunt, & rerum potiuntur: hos omnes communi nomine *Tonos* nuncupant. quanquam inter ipsos quoque certi dignitatis gradus sint, vt apud nos Ducum, Marchionum, Comitum. Alter ordo eorum est, qui sacra gentis & rem diuinam procurant, capite ac mento prorsus abraſo. Perpetuum hi videntur calibatum, suntque in diuersas scissi Sectas, quamuis in vniuersum omnes *Bonsii* vocentur. Tertius Nobilitatis & Ciuium est. In quarto sunt institores, sellularii & varii opifices: quintus & vltimus locus est Agriculorum. Sontibus omnibus vel capitis supplicium constitutum est, vel proscriptio, si benigno vtantur Iudice. Gladio fere trucidantur omnes: et si quibusdam in locis latrones furesque conuicti, certo ad ignominiam vehiculi genere, per ciuitatem raptati, extra urbem de patibulo suspenduntur.

Religio Iaponensium.

In Idololatria atque superstitionibus non multum diuersi sunt Iapones à Chinesibus, immerſi omni impietati & etrotibus horrendis, habentes tam absurdas de supremo Numine opiniones, vt nemo rationis compos hanc insaniam satis mirari possit. Loco Sacerdotum Doctorumque suorū habent *Bonsios*, in vndecim sectas, non diuersas modo sed & aduersas contrariasque diuisos, qui tamen in vno hoc consentiunt, quod Diuinam negant Prouidentiam & immortalitatem animarum. Hanc tamen impietatem non communicant cuius, sed Nobilibus duntaxat, ad populum enim multa de pœnis inferni deique futura vita sermocinantur. Domos incolunt magnifice structas, multique vna habitant, neque vnquam matrimonium contrahere possunt. Academiæ diuersas cum habeant, præcipua tamen est Frenoiemensis, noue milliaribus à Machaunte vrbe distans. Extruxit ante annos CCC. Rex quidam Iaponiæ hinc inde per regnum MDCCC. Tempa, additis cœuentibus *Bonsiorū*, per diuersas valles, vt vacare studiis suis commodius possent. Ad radicem montis Frenoiemæ ædificauit duos Pagos, vt Monasterio illi necessaria suppedirent. Hoc Gymnasium deinde acquisiuit tantum dignitatis, vt supra cætera omnia conscenderit, & filii ac propinqui regum in eo educati fuerint, percipientibus *Bonsiis* eius loci tertiam prope partem reddituum Regni Vomenſis. Inclinantibus vero postea rebus Tempa illa ad DCCC. redacta sunt relinquentibus *Bonsiis* studia, vt sequerentur arma: adeo, vt Anno A.N.C. MDXXXV. post perpetrata multa homicidia

& la-

& latrocinia, ingressi fuerint Meacum urbem, eamque spoliatam incenderint. Cum autem anno A.N. C. MDLI. *Bonsii* nescio quo modo offendissent Nobunangam Regem, iratus hic armis expugnauit Montem eorum, interfectisque quam plurimis euerit XL. Tēpla.

In numero Deastrorum suorum maxime colunt Iapones eos, quos ipsi *Fotoques* & *Camemes* appellant, quorum illi quidem ob eximiam doctrinam & austeram vitam in cœlum assumpti putantur: hi vero ob merita de patria & multarum rerum inuentionem. Illi fere fuerunt *Bonsii* & Sacerdotes; hi Principes & Optimates: vnde fit, vt à Fotoquibus petant res & bona futuræ vitæ, à Camibus præsentis. Neque tamen in his consistit Idololatria Iaponensium, cū insuper & Solem, Lunam & Stellas adorent, alii vero Cœlum ipsum: nonnulli diuinitatis aliquid tribuunt ceruis aliisque per nemora errantibus feris. Apud Machauntem Templum cernitur, quod dedicatum est Deo Artium & Scientiarum. Vitur autem *Cacodæmon* partim astu partim vi, ad perpellendos miseros hos, vt se adorent in forma diuersarum bestiarum. Ingressus enim eorum corpora, eosque exagitat crudelibus modis, cumque interrogatur quis sit, respondet (exempli gratia) se esse Regem Boum, neque egressurum ex obfesso, nisi sibi extruatur Templum. Accepta promissione, simulat se discedere: si non sequatur effectus reuersus multo acerbius quam antea excarnificat miserum hominem, donec satisfiat promissis. Cernitur etiam hic *Plutonis* infernalis horrenda statua, iuxtaque eam duo *Dæmones* minores, quorum alter conscribit peccata hominum, alter ea perlegit. Parietes illius *Tēpli* vnique perſicti sunt, pœnis suppliciiisque, quæ *Cacodæmones* damnatis inferunt. Ostendit autem se *Diabolus* his hominibus variis figuris & modis, iisque perſuadet, bonum malumque successum in rebus à se vno pendere, prout colatur & honore afficiatur. Conſuevit autem potissimum hoc modo se exhibere.

Is qui ardet desiderio futuræ beatitudinis, conscenso monte expectabat donec se *Diabolus* ei offerret. Visebatur ibi *Phantasma*, quod comparebat in locis solitariis, & postremo percunctatorem illum in profundum quendam locum præcipitem dabat, in quo ei erat pereundum. Tandem hæc fraus detecta fuit per iuuenem quendam. Hic cum Patrem suum à simili stoliditate detertere non posset, secutus est periturum clam cum arcu & sagittis in manibus. Statim adfuit *Cacodæmon* circumfusum lumine quodam, quem dum senex humi prostratus adorat iuuenis sagittam mittit in corpus illud luminosum: paulo post videt se vulpē traiecisse. secutus igitur vulpem, quæ sanguine suo vestigia notabat, venit ad præcipitium illud de quo diximus, inuenitque ibi magnam struem ex ossibus humanis: & sic quidem patri seruauit vitam, aliis vero diabolicas fraudes patefecit.

Addendum his est aliquid de Exequiis eorum & Funeratioibus, in quas Iapones ingentes sumptus facere solent, *Bonsiis* plurimum argenti inde corrudentibus. Quorum hæredes his tantis impensis non sufficiunt, vel de nocte secreto sepeliuntur, vel in foricas abiiciuntur. Qui maiore deuotione colunt *Amidam* (est hic vnus è præcipuis *Diis*) iiaffecti tædio viuendi, intrant speluncam subterraneam, quæ aliud suspiraculum non habet, nisi per cannam oblongam. hic commorantur sine omni cibo, sine intermissione inuocantes *Amidam*, donec moriuntur. In locis maritimis mortem sibi hoc pacto consciscunt. Primum plurimum colligunt argenti, ex eleemosynis locupletiorum, significantes clara voce populo, constituisse se exire ex hac vita, & ad *Amidam* proficisci. Laudatur hoc eorum propositum ab omnibus. Postea ingressi nouum nauigium, lapidibus onerant collum, brachia, femora & pedes, & ita grauati in mare euoluuntur, continuo hausti profundo. Præter falsos, quos commemorauimus Deos etiam venerantur *Xaquum* inter deos maiorum gentium. Est inter eos Secta quædam *Ianſuanorum*, qui nihil credunt, nisi quod vident tanguntque.

Est autem inter sædissimos hos Idololatrias etiam bonus Christianorum numerus, qui multo maiore zelo circa religionem ardent quam nostri homines, vt quanquam Tensæ Reges multos variis suppliciis è medio sustulerint, & Christiani multa tormenta & cruciatus pertulerint, multi tamen ibi sunt, qui à semel concepta fide non defecerunt. Multum hic laboris atque studii impenderunt Patres *Xauerius* & *Turianus* Iesuitæ, multosque ad Fidē Christi conuerterunt, vt anno A.N.C. MDLVI. Apud Amaguntiam bis mille Christiani numerati fuerint, totidem anno MDLVI. apud Funiam. Anno A.N.C. MDLIX. numerus Neophytorum ascendit ad MCCC. Firandæ anno Salutis MDLXII. baptizati fuerunt duo fratres regis *Cangoximæ*. anno A.N.C. MDLXXXIII. factus est Christianus *Sumirandus* rex *Omu*renſis fuitque; ei in S. Baptismo impositum nomen *Bartholomæi*. Idem paulo post fecit Princeps *Samabarenſis*, narranturque in regione *Imoriana* baptismatis fonte tincta fuisse V. hominum millia; intra quinquagesimum autem circa urbem Machauntem siue Meacum millia extructa L. Oratoria Christianorum, è quibus præcipua fuerunt in his locis: *Imoti*, *Aye*, *Tochi*,
Q Sau



Incrementa Christianismi in Iaponia.

Saue & Coquinoqui in regno Arimensi, vbi Iesuitæ tunc habebant Collegium, & in eo circiter CDL. Neophytos, circa annu Salutis MDLXXIII. Interea propagata fuit Religio Christiana in Insula Amacusa, in Fungo & Xiqui. Rex Bungenfis Christianus factus est, & Franciscus nominatus. Regi vero Arimensi Protasii nomen impositum: vt ad id tempus fuerint in vniuersa Iaponia circiter CXL. millia hominum, qui Christo nomina dederant, Oratoria autem circiter CC. Iesuitæ numerabantur in eo regno CXIII. Sacerdotes vero Laici (vt vocat) LXXIII. rursus ex hoc omni numero erant XLVI. Iaponenses, cæteri omnes Europæi. Anno A.N.C. MDLXXXVII. conuersa sunt ad Christum vltra sexies mille capita, & prope totidem anno sequente. Idem fecerunt Rex Bungenfis, & hæres regnorum Xungo & Cicuge, cum Toparchis Insularum Oianæ, Gometræ, Cessuræ & Xiquinæ regionis, quæ pars est Amacusæ. Et hoc quidem loco fuit Christianismus anno à nato Bono Publico MDXC. Ab eo tempore cum Iaponia Insula grauius concuteretur bellis ciuilibus, Christiani quoque dira & atrocitas perpeffi sunt, neq; tamen florere desit Saluifica Fides in multis locis amplissimi illius regni. Quæ vero proximis annis Ecclesiis in illo regno earumq; doctoribus acciderint, ex Epistolis variis colligi possunt, quarum eas, quæ potissimum ad rem præsentem facere videntur, quatenus vsus erit, subiiciemus, vt ita cæptum de Statu Religionis Christianæ in Iaponia filum pertexamus, antequam ad cætera progrediamur.

CAPVT XXXIII. PERIOCHE.

Excerpta ex litteris Iaponicis, quib. generatim, quo loco res Christianorū sint, significatur.

GLoriosa mors, quam Anno M.DC.XXII. oppetiuerunt in Iaponia tum quatuor piarum familiarum, quæ ibi versantur, viri Religiosi, tum sæculares magno numero, viri, fæminæ, pueri, ex omni hominum genere, satis longæ narrationis materiam nobis præbent. Proinde, vel præteritis, vel quam breuissime delibatis compluribus quæ idoneum alteri iusto contentatio argumentum dare possent, ea duntaxat persequar, quæ magis inter ea eminere videntur. Temporalis Reip. Iaponicæ status nullam singularis momenti, vel cûmemoratione dignam mutationem habuit. Rerum etiamnum potitur cum tranquilla pace, idem qui annis superioribus Yxun de Yendo, Daifusamæ filius. Verum inter pacatas & quietas res politici imperii perpetuatur, atque adeo crescit bellum ad conuellendum spiritualem Christianorum statum, nostramque sanctam fidem labefactandam, alibi magna seueritate, alibi minore susceptum, vt videre erit, cum singula suis locis exponuntur.

Qui hoc anno aut viui flammis exusti, aut capite truncati decesserunt, fuere centum, vnus & viginti. Qui vero propolita ob oculos tam immani persecutione, tamque atrocibus suppliciis, baptismum nihilominus, adulta ætate, opera Patrum Societatis Iesu, susceperunt, eorum censa sunt duo millia, ducenti, sex & triginta: vt eos præteream, qui ab aliarum familiarum Religiosis, & Sacerdotibus Iaponiis baptizati sunt.

Præter insignem numerum Dogicorum (sic appellant Patrum contubernales) habuit hoc anno Iaponia Concionatores, & Catechetas sex & triginta, qui Patres comitabantur, atque in conuersione Ethnicorum, & cultura fidelium adiuuabant. Et iis quatuor ad tyrocinium Societatis admissi sunt, cum iam fidei nostræ causa custodia tenerentur, atq; ob eandem, cum alterum fere annu tyrocinii peregissent, vna cum felice, & fortunato suo magistro P. Carolo Spinola, viui cremati sunt. Præterea in Societate recepti neq; longo post interuallo necati sunt sex alii Iaponii, qui Patrib. sacrorum ministeriorum & laboru focii erant, & adiutores. Hi omnes vota nuncuparunt Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ad eum modum, quo Societatis Nouitii, permisso Superiorum solent. Itaq; si hos sex prioribus adiungas, versati sunt hoc anno in Iaponia de Societate duo & quadraginta, è quib. quatuordecim morte obita sanctam fidem testati sunt, decem Iaponii non Sacerdotes, & quatuor Sacerdotes, quorum tres ex Europa aduecti, quatuor vota professi erant, quartus Pater Iaponius.

Percursant nostri, & perpetuo circuitu obeunt vniuersam Iaponiam inuisentes atque adiuuantes Christianos, multos Ethnicorum baptismo expiantes, neque vllam eius partem relinquunt, quam non accedant, & in qua non laborent. Et iam tertium peragrarunt regnu Yezeo, quod Iaponiæ ad Septentrionem confine est, sed freto determinatur, cuius est in primis vndarum incitata vis, & rapidus impetus. Confluctantur assiduo ingentibus terra mariq; incommodis & laboribus, cum non minore vitæ periculo tum suo, tum eorum, qui ipsos vel comitantur, vel ædibus suis accipiunt, vel benigne tractant, ac reficiunt. Neque leuius discrimen adeunt, qui eosdem Patres, aut alios sancti Euangelii prædicatores suis nauib. in Iaponem transmittere non reformidant. Vtrumque enim est crimen, quod nõ minore supplicio compensatur, quam iactura vitæ primum ipsius, qui id sit ausus, deinde omnium propinquorum eius

Quis veru potiat in Iaponia.

Numerus baptizatorum à Patribus Societatis Iesu.

Numerus Concinatorum.

Quatuor Tyrones Societatis Iesu viui cremantur.

Sex Coadiutores Soc. Iesu necantur.

Numerus Martyrum à Soc. Iesu huius anni.

Descriptio Regni Yezeo.

Discrimina PP. Soc. Iesu, & aliorum.

eius, & vicinorum, denique vectorum omnium, qui eadē nauī sint appulsi: præterea bona eorū omnia confiscantur, quæ omnia vsu ipso quotidiano sane quā liquido cognoscuntur. Neq; tamen tot labores ac pericula eos qui in Iapone versantur, à suscepto deterrent, neque qui in aditu sunt, vt eam ingrediantur, de spe feliciter Dei nutu euadendi, se deiici sinunt: qui vero linguæ necdum sunt gnari, eam in Macao, magno ardore condiscunt, vt rebus omnibus instructi operarij, veniant.

Degunt in agro Nangasachiano Christiani de Societate Sacerdotes septem, & duo fratres, qui diuersis locis morantur, atq; identidem domicilium mutant, propterea quod nusquā alibi tota Iaponia accuratius, & crudelius Christianos insectantur. In hac enim Vrbe sedē fixere præcipui administri, & lictores regii qui incredibili diligētia eos peruestigant, ex improviso se in domos inferentes, sicubi quempiam latere suspicentur. Non sinuntur Christiani domi loco conspicuo habere imaginem, aut aliud signum pietatis Christianæ, neque ferre Reliquias, aut cereas Agni Dei effigies è collo pendentes, neq; conuenire ad precandū, legendos libros spirituales, agendumq; de sua salute, vti semper mos fuit in Iaponia. Neq; tamen tantus legū rigor sufficit ad eos deterrendos, quin omnia hæc summa cū pietate ac deuotione faciant, atq; adeo nouum Sodalitium instituerunt. Neq; minus florent Sodalitas B. Virginis, & Sanctorum Innocentium, quod informandis pauillis pueris institutum est, qui annos virtutib. excedentes, in illa tenera ætate de se exempla domi forisque dant maturæ solidæque virtutis.

Quantum sit odium Ethnicorum Principum aduersus nostram sanctam Fidem, atq; in primis aduersus Euangelii Prædicatores, & quantum illi miseriarum perpeti cogantur, facile cognosci licet ex iis, quæ P. Ioannes Baptista Bæzar, ad quendam Patrem Societatis nostræ Meaci comorantem scribit his verbis. Nam quis tibi R. P. satis explicare possit, quæ in hac perturbata Babylone hisce mensibus superiorib. gesta sunt? cum hi Ethnici id vnum anxie studeant, vt nos caperent, eaq; de causa omnia perturbarent, atq; incredibile omnib. metum iniicerent. Quod si ex me quæras, cur ipse in eorum manus non venerim, respondeo: licere, id Deum roges. Nam postquā in hac ora versor, versor autem octo iam ipsos annos, sic vt nusquā discesserim, neq; proditores, neq; exploratores nunquā in eas ædes pedem intulerunt, in quib. diuertebam. Nocte quæ Natalem Domini proximū superiorem antecessit, triginta Iudei, focii totam viciniam in qua degebam, diligentissime perlustrarunt, vt aliquem in latebris reperirent. Ades omnes adierunt, præter eas, in quibus ego nixus ante arā genibus, operiebar, dum immanes illi lictores vincula mihi iniicerent, ideoque Dogicum primo à me dimiserā, ne mea causa in discrimē veniret. Tota ea nox absumpta est in omnis illius vicinie summa perturbatione conceptæ sacræ imagines: iactata in Deum maledicta: miseri Christiani sexcentis iniuriis appetiti. Itaq; illa nox per lamentabilem, atq; inauditam confusionem transacta est. Idem mihi vsu venit in perugilio Circumcisionis, quando paucis horis multas domos peruagari eoactus, cum vna exturbatus, alia non acciperer, ad extremum sub dio, cælo sereno, sed tempestate, frigore, & ventis asperissima noctem peregi, vt ægre Sacrum facerem postredie. Veniebat in mentem illius pacis, & tranquillitatis, qua per illos sacros dies Societas frui solet.

Tertius, quartusue annus agitur, cum nauis quæ ex oppido Manila in Iaponem soluerat, in Anglorum potestate venit. Vehabantur ea duo Hispani, & quia suspicio erat Christianos esse, & Sacerdotes, ac Religiosos, vti reuera erant P. F. Petrus de Zuniga ex ordine S. Augustini, & P. F. Ludouicus Flores ex ordine Prædicatorum, capti sunt, atq; vna cum Nauarcho, traditi in manus curiæ Firandensis. Interea de his certior factus Zongun (est is maximus Iaponiorum Rex, qui & Xogun & Yendo) ac vehementer indignatus, contra edictum ne quis promulgandæ fidei causa Iaponiam intrare audeat, hos duos Patres Religiosos S. Dominici, & S. Augustini, vna cū Nauarcho iuberet duos illos Patres Hispanos Religiosos S. Dominici, & S. Augustini, vna cū Nauarcho viuentes cremari, atq; vt erat accensus impotenti ira, decreuit, vt eodē mortis genere afficerentur Sacerdotes omnes cæteri, & Prædicatores sancti Euangelii, eorumq; hospites, qui tū carcerib. tenebantur. Edixit præterea, vt illorum hospitem coniuges, & liberi, quamuis tenera ætate, & omnes Christiani eiusdem viciniae, nauaræ, & vectorum, in eadem nauī capti, capite plecterentur. Neq; hic passus suā immanitatem consistere, eidem supplicio addixit coniuges, & filios eorum, qui ante tres annos primum pro Christi fide occisi erant. Summa omnium harum epistolarum hæc est, eandem inesse Iaponib. crudelitatem & ænitiam, quā patrum & nostra memoria tot Christianorum millia in Gallia, Belgio, Hispania, adde etiā Anglia Germaniaq; passi sunt & etiamnum perpetuantur.

CAPVT XXXIV. PERIOCHE.

Eques Anglus, Saris nomine, Londino soluens, in Iaponiam nauigat, vbi quæ observatio- ne di-

Nangasachium crudelitatis Iaponicæ sedes.

Littera P. Ioannis Bæza, quibus explicatur persecutio Ethnicorū in Christianos.

Iuda triginta inter Christianos inueniti.

Maximi Regis Iaponiæ Nomenclatura.

Crudelitas Regis Iaponiæ.



ne digna viderit, diligenter enarrat. Iaponensium mores & ritus, sacra & ceremonia, administratio politica, supplicia facinorosorum, scholæ & Academia, varia secta, festa, modus confitendi peccata.

Saris & Adamus in Iaponiam nauigant.

G. Vilielmus Saris Eques Anglus anno A.N.C. MDC. XIII. conscensa naue, cui Caryophillo nomen indiderat, Londino soluens, constituit apud animum suum, recta Iaponiam Insulam petere. Bantam ergo primo delatus, hinc ad Moluccas Insulas, per angusta & scopulosa freta, inter breuia & paruas Insulas quam plurimas directa naue sua, audax & periculosum iter confecit, nulli nauarcho ante id tempus tentatu: quibus exhaustis laboribus, ad Firandum oppidum portum intrauit. Exceptus est a Rege, qui non ita pridem diadema sumserat, honorifice, qui & ipse nauem peregrinam visere voluit. Ingressus ergo Rex exuendo calceos pro more gentis ceremoniaru initiu fecit, que necessario secutus est Anglus, postea copiantes manus, easque ad mouetes genibus, varios gestus motusque ediderunt. At Anglus, vt regi barbaro vicissim honorem haberet, conuiuio ipsum pro presenti apparatu lauto excepit, adhibitis etiam ad delectandum hospite Musici. Cum autem ad famam aduentus Anglorum, magnus fieret nobilium & plebeioru Iaponum ad nauem concursus, insidias ac vim metuens Saris, praesidium militum ab rege impetrauit. Ridelicet hicaliquid contigit. Erat in fronte cubiculi, in quo versari solebat Praefectus Nauis, depicta Venus nuda cum puero cupidine pharetrato & obligatis tania oculis. Quidam ergo ex Iaponensibus, qui Christianismo ab Iesuitis utrunque imbuti fuerant, in primis mulieres, cum in genua procubissent, adorabant picturam illam, Mariam Virginem cum filio Iesu esse existimantes: qua stoliditate tamen Angli, vt potuerunt, ostenso errore amoliti sunt.

Venus pro Maria uirgine adoratur.

Postero die Rex, vt magnificentiam suam nouis hospites ostentaret, cum magno mulieru numero nauem ingressus est, sequentibus. Musici, quoru tamen cantus incocinnus rudis; admodum Anglis videbatur: cumque eos mercandi gratia venisse intellexisset, assignauit eis domum ad negociationes percommodam, cum Iaponibus nequaquam liceat, nisi de voluntate regis cum exteris negociari. Hoc in loco, cum sex septimanis aduentu Guilielmi Adams, Nauarchi Batani praestolatus fuisset usque appulisset, digressi ambo ad Ozacham primo, deinde Surungam appulerunt, ubi supremus Iaponensium rex residebat, a quo tertio post aduentu suum die admissi, litteras regis Angli ei exhibuerunt, qui eas cum in caput suum pro more imposuisset, laetitiam suam eo facto testatus est. Accessit aliud honoris & beneuolentiae genus: Lecticam enim, qua ipse rex vehi solebat, & equum, & iumenta pro seruis sarcinisque cum sufficiente alimonia rex Anglis suppeditauit. Ab vrbe Surunga ad Edoum (alius ciuitatis nomen est) profecti, nouum regem salutauerunt: & quamquam Surunga ciuitas maritima cum plerisque Europae maioribus urbibus de amplitudine certare possit, Edoum tamen multo maior est, & ad stuporem usque elegans, cum plerumque procerum domus deauratae sint, eaque de causa speciosissimae. Rex magnus Iaponiae, quem Surunga habitare diximus, magna prudentia administratione vniuersi regni cessit, eamque successori tradidit, assignata in super vrbe splendidiore Edoo, & Regia in ea Sede. Salutato nouo Principe & confectis ex sententia negociis suis, Saris cum socio Surungam reuersus, opera dedit, vt pacta mercaturae inter ipsum & Iapones inita, confirmarentur. Erant ea descripta characteribus Iaponicis, qui multu a Chinesibus, vt & ipsa scribendi ratio, differebat.

Characteres & ratio scribendi Iaponum.

atramentu .n. lapidi glaberrimo impositu terunt & aqua diluunt, & intincto penicillo pingunt verius quam scribunt, ducunt autem lineas ab summo ad imu, exordientes a dextra versus sinistram. Sigilli loco aliquid colore rubro appictum erat. Retulit autem Saris secum in Angliam aliquot codices Iaponicos, eodem vt apud Chineses fieri diximus, modo impressos, & picturis rudibus ornatos. Narrabat Iapones, viginti se nouisse litteras: quod quidem de Characteribus, quibus scribunt, capino posse certissimu est, cum infiniti sint, pro multitudine reru que exprimitur.

Firandum reuersus Nauarchus Anglus, ibi firmum fixumque locum pro mercatoribus Anglis constituit, & quosdam a suis in eum finem ibi reliquit. Hac edita fama multi ab China mercatores conuenerant, quamquam implacabile sit inter Iapones & Chineses odiu, vt Iapones horu ne nomen quidem ferre possint, sed Chineses, vbicunq; adipiscuntur mactet: quod ipsum Chineses quoque vicissim faciunt. Nec huic ad nouu Angloru Emporiu Chinesiu profectio obstare potuit rigidissimu Sinaru Regis edictu, quo nulli nisi impetrata licentia regno exire licet, edito. Firatum capitis supplicio: quod cum mercatores multi neglexissent, reuersi ab externa negociatione domu, proditi; magno numero iussu regis trucidati paulo ante id tempus fuerat: praefecti vero prouinciaru, quoru incuria vel conuientia illi exiuerant, aere multati & dignitatis gradu moti.

Hollandi se Anglos mentiuntur.

Fuerat iam ante celebre Anglorum nomen in hac Iaponiae parte, adeo, vt Hollandi eo dilati se Anglos esse dicerent, qui & viderunt, Iapones in Theatris suis spectante populo, bella inter Anglos & Lusitanos gesta, ludicris certaminibus representare, in quibus Angli personati fictios Lusitanos vicerunt.

Nunc deinceps quae duo Nobilissimi Nauarchi, Saris & Adamus in celeberrima illa Insula vide-

viderint obseruauerintque, & scripto comprehensa nobis reliquerint, opera precium erit audire: de quorum veritate atque fide dubitandum non est, cum vterque multis annis in Iaponia vixerit, alter etiam Legatione proserenissimo Angloru rege, ad Iaponiae Reges functus fuerit.

In regno Iaponia LXXVI. prouincia.

Dictum est in superioribus, supremo Iaponiae Regi LXXVI. prouincias totidemque regulos subesse: de ipsa vero huius regni antiquitate nihil ferme copertum habemus: istud duntaxat ex eoru relationibus atque monumentis sibi colligere videbatur Saris, iam ante DCCC. proximos annos intestinis eos dissidiis laborauisse, & cruenta gessisse bella, dum quilibet prouinciae illius, cui praerant, arripere possessionem, & se ab superioris dominio asserere nititur. Primus horu appellatur Nabunaga, saeuitia & crudelitate insignis: quem vt in regno, sic in impietate & saeuitia secutus est Guabacondonus, ex fabro lignario fortunae beneficio Rex totius Insulae factus. Huius Nepos, cum idem quod Auus nomen obtineret, titulo insuper Taicosama insignitus est. Succedente autem tempore, cum Guabacondonus populi in Taicosama fauore suspectu haberet, interfici eum quod is nepos esset, imperauit. Aeger autem cum sibi moriendum esse videret, nec aliu praeter pronepotem, Taicosama filiu haberet haeredem, vocatum ad se Giesonem Daifusamam, qui octo prouinciarum erat dominus, Tutoris pueri constituit, totiusque Iaponiae administrationem ei comisit, adiunctis quatuor regulis a primo ordine, & quinque aliis ex inferiori, vt his veluti decem uis & pueri tenerior aetas formaretur, & pax in vniuerso regno custodiretur. Prudenter quidem ista constituta a senefuerunt, sed nequaquam eius responderunt expectationi. Nouem enim illi collegae paulo post in Daifusama insurgentes, bellu homini intulerunt, quo tota Insula grauiter concussa est. Ad extremu vero Daifusama victor, reliquoru nouem prouincias suis facultatibus adiecit, autusque supra modu potestas, abiecto Tutorio nomine, totius se Iaponiae Monarcha appellauit. Ergo tota iam prouinciaru dominus, Regia Sedem Edoum occupauit, vtque malis artibus, quae situm regnu sibi stabiliret, per integrum prope annu XXX. millia artificum praeter incredibile operaru multitudinem in iacendis aegeribus, reficiendis muris & edificiis publicis, ac munienda vrbe occupata habuit. Interea Fereisamam pupillum, Taicosama filium, veru regni haeredem, Oraca vrbe & vicinis aliquot prouinciis contentu esse oportuit: ad quem cum miseratione adolescentis eius ingens populi multitudo confluisset, legit ex iis pariter atque suis C. millia militu, scilicet vt regnu paternu recuperaret. Opposuit huic Rex siue potius vsurpator regni Oghosamam ducem suum cum CCC. millibus hominum, quo tamen in bello quod anno MDCXV. gestum est, nihil memorabile contigit, nisi quod Oraca vrbs, cum amplissimis totius Europae conferenda, exusta flammis & penitus euerfa est.

Bellum civile in Iaponia.

Subest autem vniuersa Iaponia nostra quidem memoria vni soli Principi, qui ab ipsis Vo siue Vo siue Dai appellatur. Hic cum genio & voluptatibus nimis indulgeret, omnem regni administrationem in praefectos ministrosque regios transtulit, quem socordia contemtu homini attulit. Arrepta hac occasione praefecti & Satrapae, quisque sibi dominium prouinciae, cui regis nomine praefuerat, propriu vendicauit, Regi solum Daiu nomen & auctoritate relinquentes, vt ipse quos vellet, nouis ornare posset titulis honoribusque, ex quo magnas quotannis umbratilis ille Monarcha percipit diuitias, cum quibus principu eoru in aula Daiu Legatu suu habeat, & munera eo missitate soleat, praeter prouinciam Tensam cum vrbe Meaco, que omniu est opulētissima, cuius prouetus ad Daiu redeunt. Genus huic a praefectis regibus longo ordine deriuatu, vnde a populo suo instar dei colitur & adoratur. Terra ipsum pede contingere nefas habetur, neque nisi rarissime domo prodit, ne a plebe conspiciatur. Quoties in Throno regio consistet, vna manu arcu & sagittas, altera vacuu vagina pugione tenet. Bellu alicui ex regulis inferre, aut hominem occidere fas ei non est, alioquin de corona periclitabitur. Sunt .n. Praefecti Iustitiae primarii partes denunciare bellu, & iudicibus in dicendo iure praesidere, eosque ad mortem condemnare. Bonzii (sic appellatur sacerdos Iaponu) supremu suum & ipsi habent praesidē, ac velut summum Pontificem, qui regem sacroru agit, & de reb. diuinis iudicat. Idem etiam Tundos (Episcopis nostris hi similes sunt) consecrat & inuestit, eosque magnis auctos priuilegiis, luculentis redditibus ornat. Ipsi vero Tundi inferioribus sacerdotibus ordines conferunt atque beneficia, & in minoribus casibus, puta in ciborum discrimine & similibus dispensandi potentiam tribuunt. In vniuersum omnes sacerdotes in rebus ad ritus ecclesiasticos & sacra gentis spectantibus, summo Pontifici parent, in ciuilibus vero Primi Iustitiaru sententiae stare coguntur.

Vo siue Dai, Rex Iaponia.

Hierarchia Iaponensis.

Fuit olim Iaponia plurimum tam terra quam maria latronibus & pyratibus infestata, donec Guabacondonus (quo de diximus) totius Insulae Monarchiam obtinuit. Gessit hic graue bellu cum rege Chinesium super Corea, quae vicinum Chinae regnum est; ad extremum tamen, defuncto Guabacondono, Iapones ab Corea recesserunt, quae ab illo tempore Sinaru regi tributum soluit annuu. Fuit autem iste Guabacondonus homo summe crudelis, qui nulla re atque ac mactatione hominum delectari videbatur. Quoties annum suum iucundo recreare volebat spectaculo, reos damnatosque capitis produci iubebat, inque loco supplicii ordine constituit

Crudelitas Regis Iaponensis.



stituit. post arrepto acinace lacertorū suorum robur in iis dissecandis ridens iocansq; expertus est, artem simul in vibrando immani gladio ostentans. Alios ad palum nudos alligatos, sagittis ab arcu missis in star metæ feriebatur, peritiam sagittandi affectans. quin & fœminas quasdam sua manu interfectas, exenterauit, vt latentia naturæ receptacula rimaretur. Sed compar ipsum nec multo mitius fatum inuenit.

*Autochei-
ria frequēs
apud Iapo-
nes.* Est apud Iapones tritum & vulgare, vt rei criminum capitalium, vbi se ad mortem con- demnatos intelligunt, etiam si infimæ conditionis homines sint, non expectent carnificem, sed sibi ipsis, modo ferrum nancisci aut laqueum possint, violentas manus asserant, forte i- stud & virile facinus interpretantes. Si quis morte afficiendus producit, qui adstunt certa- tim accurrentes eum feriunt, aciem gladiorum suorum in eo experientes, & aliquando eum in minutas partes dissecantes. Narrat Nauarchus Saris, vidisse se id supplicii genus irrogari mulieri mæchæ & duobus eius amatoribus. Ipsa n. vtrique eandem horam constituerat, qua ad se venirent. Cum vero vnus ad conductum affuisset, inuenit iam corruale suum cum am- sia cubantem. Damnata ergo tarditate sua, plenius iterum alterum ad pugnam prouocans, gladium in eum stringit. Resistit hic viriliter, & excitato tumultu nocturno, comprehensū à præfecto vigiliam, tres simul eo modo puniti fuerunt. Apud Iapones enim non minus capi- tale est, gladium in alterum stringere, quam adulterium committere. Vidit idem Saris eodē modo fures plecti. Vnde tāta formido incurritur furib. vt egressi Iapones domo, ne fores qui- dem claudat, securi de compilatorib. istis circūforancis, quorū apud nos pleni vici & cōpita.

*Crucifixio
supplicium
in Iaponia.* Est & crucis supplicium apud eos vulgare, relinquuntq; crucifixorum corpora in fur- ca, donec à volucris deuorentur. Crucis a. forma hæc est: erigitur stipes in mediocri altitudi- nem, in summo eius tignū transuersum est, ad assignandas ei manus; paulo inferius aliud ad pe- des alligandos; quod intercedit mediū, applicādo leuandoq; seruit corpori. Horū ita pendē- tium dextrum latus, aliquando vtrumque lancea perfodiunt, & aliquot ictib. eos occidunt.

Decollatio. Tertium supplicii genus est Decollatio, quam hoc modo peragunt. Ante reum carni- fex cum securi, hunc se quitur alius cum pala stercoraria, & tertius tabulam ferens, cui inscri- ptum est crimen & causa mortis. Moriturus manibus ad tergum ligatis ingreditur, pone se- quente lectore, qui eum fune ducit. Comitantur eum duo milites hastati vsq; ad locum sup- plicii. ibi damnatus intrepide percussori ceruicē præbet, nullo metus indicio dato. Vbi trun- catus cecidit, qui astat, strictis in exangue corpus irruunt gladijs, & illud stultitiam concidit.

*Exequia
cruenta.* Digresso Nauarcho Anglo, Rex Firandi mortuus est. Die exequiarū eius, cum iusta fierent defuncto, tres è primis eius cubicularijs sibi ipsū pectora acutissimis cultris crudelem in mo- dum aperuerunt, & pro tam egregio facinore, commune cum domino sepulchrum merue- runt. Et aderant quidam è primi nominis proceribus, qui se idem facturos publice pollice- bantur, si Monarcham fato fungi contingeret.

*Comædia à
Meretrici-
bus peracta.* Comædia apud Iapones, non, vt alibi, à viris aut adolescentibus luduntur, sed à meretriculis, quarū magna est in crebris lupanarib. multitudo. solent has Lenones & proagogi petentib. vili addicere precio, siue ad concubitū, siue ad ministeria domus & culinæ, siue deniq; ad lauā- da linteamina postulentur. Sunt autē ipsi Lenones instabiles & infames, adeo, vt mortuis se- pultura negetur, & defunctorū cadauera vneo tracta in sterquilinia abiiciantur, vt canib. esca- fiant vel sub dio cōputrescāt. Neq; tamē hæc tā grauis ignominia impedire potest, quin multi fetido illo & pudēdo genere quæritus vitā ducant, magnaq; opes colligant, parū curiosi, quid de cadauere suo post mortē fiat, fœlicius ne à vermib. sub tumulo, quā à canibus comedantur.

*Pœna Le-
nonum.* Sed nunc aliquid de Bonzijs siue Sacerdotib. Iapanensium eorumq; collegijs dicendū est. Sunt inter eos seclæ duodecim, in varias scissæ opiniones, quæ omnes in eo duntaxat conue- niunt, quod à veritate discrepant. Nonnulli Epicuri haram olentes Prouidentia diuinā & ani- mæ immortalitatem negant. homini tres inesse aiunt animas, quæ vt ordine atq; consequenter in corpore humano se exserunt, ita emoriantur. Verum cautiōres hi sunt neque dogma istud temere in vulgus efferunt. cū tumultum populi & perniciem nō essent effugituri. Duos cum- primis celebrat Prophetas, Amidam & Sacam, & hos adorandos aiunt atq; inuocandos. Qui magis sobrii haberi volunt, aliam post hanc vitam fore credunt, eamq; diligentib. Amidæ cul- rib. satis aucter pollicentur, ita tamen vt in duorum illorum sanctitate & meritis omnem omnino salutis spem collocent, neque opus esse vt quis ieiunijs & acerba vita id mereri stu- deat, quod Prophetæ illi iam ante luculenter præstiterunt. Appellant autem hos Deos suos *Fo- toques*, id est, Sospitatores, præterq; eos alios inferioris ordinis & velut minorum gētium co- lunt, quos *Camis* nominant, minorum rerum curā & officia viliora iis delegantes, vt annonā, diuitiasq; præstent, & sui liberorumq; suorum suscipiant curatelam. Hi enim *Camis* vel Reges, fuerunt vel Medici, vel alioquin de populo bene meriti, vnde in numerum deorum relati fuerunt, de quib. Bonzii mira fabulantur, iis quæ Homerus de Vlyssē nugatur, non absimilia.

*Amida &
Saca, Dii
Iapanensiu.*

Taicofa-

Taicofama Rex, qui ante annos XXXIII. viuere ac regnare desuit, moriturus testamento *Novus
Mars apud
Iapones.* scavit, ne corpus eius, vt apud Iapones moris est, igne cremaretur, sed integrum in Templo eū in sinem extructo conderetur, erecto super monumentū colosso, vtq; ipse in eo Templo sub nomine *Sin-Faciman*, id est, Noui Martis deinceps coleretur, & præses belli haberetur. Sed & idem figuram & magnificentiam futuri monumenti etiamnum viuus accurate præscripsit, & super eo decemuiris testamenti exequutoribus præcepta dedit. Narrat Nauarchus Anglus vidisse se Mausolæum istud, aitq; quinquaginta columnis lapideis, tā materia quam artificio spectandis augustum in modum assurgere, & à longinquo conspici posse, cum in edito colle extructum sit. Huius statuam à populo diuinis cultam honoribus idem Saris refert.

Mirandus autem valde est huius Taicofamæ factus, qui cum adolescens dolandis affabre & torno elaborandis lignis victum sibi parasset, deinde bellicis facinoribus inclauisset, po- stremo ob solam virtutis famā ad illud sublimitatis fastigium conscendit, vt summa apud Iapo- nes Monarchia potiretur: nec iis, qui in hominem cadunt, contentus honoribus, etiam deus haberi voluit, illorumq; adscribi Catalogo, quos viuus irridere solitus fuerat. Tentare- rat iam ante ipsum *Nabunanga* idem, qui euertere omnia idolorum templa cum ipsis Bonzijs conatus est, vt suas statuas in eorum locum subrogaret, nouis sibi constitutis sacerdotibus. *Templa in-
numera an-
pud Iapones* Erat in *Frenoiama* oppido Iaponiæ non incelebris Academia, nouem à Meaco vrbe distans miliaribus. Circa hunc locum prisca Reges Iaponum ab DCCC. circiter annis tantum Tē- plorum erexerant numerum, vt ad tria millia & octingenta accederent, ordinatis ad seruitia eorum innumeris Bonzijs, & tertia parte omnium per regnum istud prouentuum assignata. His non contenti Bonzii etiam ad res politicas & administrationem regni manus extenderāt, superstitione, vt sit, eorum conatus impunes præstante. At Nabunanga cum sacerdotib. pro- pe bellum intulisset, vehementer eorum potentiam imminuit, cū abutentes diuitijs suis à vitæ fœueritate & continentia ad luxum fastumq; conuersi fuissent: eodem labore tantus ille temporum numerus ad DCCC. redactus est.

At Bonzii hoc pacto in ordinem redacti, partes *Nechienis*, qui concitata rebellione in Na- *Causa odij
Nabunanga
in Bon-
zijs.* bunangā insurrexerat, palā defendebant. Nabunanga igitur plenus irarum, cū Nechiene pa- cem fecit, conuersa in Bonzijs omni exandescencia: qui cum de salute & gratia regis despe- rassent, dilapsi sunt, magna; eorū pars in Templo *Quanon* Idoli, quod munitissimū fortalitiū illis locū præstare poterat, se incluserūt, spem in super iis faciente loci sanctimonia, in quo etiā peregrinis ante id tēpus Asylū patuerat. Sed nihili hæc omnia fecit contemtor Numinis Na- bunanga, qui ad motu exercitu miseros Sacerdotes obsedit, ipsumq; templū cū CD. alijs Ido- *Presbytero-
majyx Na-
bunanga.* lorum delubris, & MDL. sacrificijs igne & gladio deleuit. Hinc profectus Meacum, claustra Bonziorū maiora XX. cum minorib. LXXX. in quib. circiter LX. moniales inuenerat, fun- ditus euertit. Erat Idolum apud Bonzijs in præcipua veneratione, *Izu* dictum, quod humana effictū specie tridentem manu vibrabat, quo modo Græci Neptunū effigiare soliti sunt. Hoc Idolum consulerunt sacerdotes, quoniam sibi receptus daretur. Intellexerunt autem, ne ipsi quidem statua securam eo in loco superesse mansionem. Cumq; huius Deastrī magnā crede- rent esse potentiam, cui deducendi in campos Elysios animas eisdemq; reducendi tribuebāt facultatem: transferre igitur simulacrum istud & extra noxam constituere conati, nihil tamē egerunt: neq; enim violentas Nabunangæ manus effugere potuit, qui illud cum sacello, in quod confugerat, igne consumsit. Altera Bonziorum Academia erat apud *Facusangin* oppidū, & hanc pariter rex iste è medio sustulit: nec finem fecisset sæuendi in calamitosos sacrificios Nabunanga, nisi Cainochuni oppidi Regulus, nomine *Xanguenus*, qui religionem Bonziorū intrauerat, ex rege factus sacerdos, callido inuento furentem Nabunangam decreto Bonzio- rum publico, Patronum Religiosorum & Summum Pontificem creari curauisset, quo nouo honore acerbum hominis mentem mitigauit. Ipse vero illato Dijs suis bello, seipsum in eo- rum locum suffecit: sed paulo post è medio sublatus, mortalem se, non deum esse intellexit.

Sunt autem Bonzii ilti plerumq; nobilib. orti familijs, à parentibus, quorū facultates nu- *Bonzij ple-
rique nobi-
les.* merosa soboli alendæ vix suffecturæ videntur, in monasteria detrusi: in quib. non vnū emun- gendi simpliciores argento exercent artificium. Scedulas enim quasdā varijs inscribunt cha- racteribus, quas velut amuleta aduersus dæmoniorū ludibria magno precio vendūt: suntq; nōnulli ita ab iis fascinati, vt Bonzijs pecunias credāt, in altero scilicet seculo reddēdas: quod quidē hie facturos & fœnus insuper soluturos datis Chirographis pollicentur. Sunt insuper Pythonica arte & incantationib. instructi, noueruntq; clandestinis cū Cacodæmone pactis rerū futurarū euentus prædicere, & rerū furto surreptarum prodere indicia. Iidē accepta pe- cunia vel benedicunt emtoribus, vel maledicūt eorū inimicis, exemplo, puto, Balaami illius, cuius mentio in sacris litteris est, Pseudoprophetæ. Omnes vero hi, tam viri quam fœminæ abstinentes à matrimonio, perpetuum ore duntaxat profitentur cælibatū. Qui



*Secunda Secta Gen-
buxorum.* Qui secundam diuersamque à superiore sectam amplectuntur, eos *Tanambuxos* vo-
cant. Hi antequam in sodalitium istud admittantur, conscenso monte præalto, per conti-
nuos LX. dies ieiuniis vigiliisque macerare corpus suum, & austeritatis futuræ specimen ede-
re coguntur, quo in loco diabolus sub variis figuris se ipsis conspiciendum exhibet. Post il-
lud tam acerbum experimentum in societatem recepti, cucullo albo ab humeris dependente,
à Bonziis distinguuntur, crispantesque crines & galeo nigro teæti caput hinc inde vagantur,
aduentumque suum, sicut olim Idææ Matris Sacerdotes Galli, nolarum & crepitaculorum
sonitu præsignificant.

*Tertia Se-
cta Gen-
guis.* Qui tertiæ sectæ nomina dederunt, hi ab Iaponibus *Genguies* appellantur, homines fu-
sci fere coloris. Vxores hi habent, familiasque alunt, spelæa tamen & latibula montium incol-
lunt, vbi magnam cum malis spiritibus habent familiaritatem, Principem Cacodæmonio-
rum *Amidam* appellantes, quem nocturnis diurnisque colunt officiis, sub variis subinde spe-
ciebus apparentem, & cuius opera miros patrant effectus, vt etiam fluuios siccis pedibus
transcant. Plerumque tamen apertis ludibriis à malitioso isto genio deluduntur, patuitque; fraus
eius indicio pueri, qui patrem ad Paradisum, vt ipse opinabatur, profecturum, secutus, sub
altri montis præcipitio immanem humanorum ossium stragem vidit, vnde collegit, omnes
eos, qui ad eum modum à Diabolo in cælos abducti fuerant, in valle ista periisse.

*Quarta
Secta am-
torquis.* *Combadares* vocantur, qui quartæ Sectæ adhærescunt, suntque pars Bonziorum, eorumque
Academia de litterarum Iapanensium inuentore gloriatur. Hic *Agyrta* & *Veterator* insignis,
cum ad summam senectutem peruenisset, quadratam ingressus caueam, moriturum se nega-
uit, sed cum nouus Rex (de quo olim regnatura multa iactabantur) *Mirozus* nomine, con-
scendisset solium, ibi tunc se iterum proditurum. Sed nec *Mirzous* haecenus venit, neque ipse
post tot annos prodiit, vnde eum in cauea illa periisse constat. Et quanquam fraus eius &
mendacium extra dubitationem sit, tanta tamen est populi stoliditas, vt sepulcrum eius in ve-
neratione habeant, ante quod innumeræ pendent lucernæ, ab omnibus prope regni pro-
uinciis missæ; per suasi enim sunt, eos, qui de plano illo vel mortuo bene mereri studeant, per
omnem vitam magna vsuros prosperitate. Templum quod pone structum est, tam luculentis
abundat prouentibus, vt inde VI. Bonziorum millia commodè alantur, quibus omne cum
mulieribus commercium capitis supplicium affert.

*Quinta
Secta gen-
tilium.* Sunt præter Superiores omnes multi, qui Solem, Lunam, & Idolum quoddam triceps
venerantur. Et his se aliquando horribili specie diabolus conspiciendum offert, quem thure
& operosis sacrificiis colunt. Quidam è Bonziorum horum numero *Cami* & *Fotochi* nomina
chartæ inscribentes, eam comburunt, seruosque cineres istos ad medicinam pro ægrotis
seruant, & aqua dilutos ad bibendum porrigunt. Qui inter Bonzios præcis annis ob integritatē
vitæ & abstinentiā claruerunt, defuncti catalogo cælitum adscribuntur, & à posteris adorā-
tur, inter quos ille præcipuum locum obtinet, qui *Iconorum* Sectæ auctor extitit. Præfectus hu-
ius Ordinis Generalis, et si aperte flagitiosam viuunt vitam, tantæ tamen apud plebē est auctori-
tatis, vt si vel vultum in aliquem eorum atque obtutum conuertat, statim manantibus lacrymis
animi gaudium testetur, & ab eodem illo nebulone, porrecto auro multisque; additis blāditiis
peccatorum impleret veniam. Quoties dies huius sectæ festus annuusque; recurrit, tanta con-
fluit hominum multitudo, vt non pauci opprimantur & elidantur, qui in parte felicitatis po-
nunt, ad eum modum in ista solennitate extingui. Decantantes laudes illius, quem huius su-
perstitionis auctorem diximus, rotas noctes lamentationibus & horribili vlulatu transigunt.

*Multa sta-
tua crifi-
mulacra
in Iaponia* Omnia apud Iapones plena sunt Idolis atque Simulacris. Viderunt Angli in via ab *Oza-
cha* (quam urbem alii *Ozechiam* vocare malunt) ad *Sarungam* colossum ingentem, æneum to-
tum & intus concuum, qui si quis eū afflauisset tantum, tinnitum clangoremque; de se dabat.
In Meaco vrbe Templum est, quod cum vastissimis totius Europæ Basilicis magnitudine cō-
ferri potest, columnis lapideis suffultum; in eo est colossus ingens humana specie, iuxta quem
Cacodæmon singulis mensibus viri formæ apparet, cui virginem intactam atque exornatam
pulchrè offerunt. Hanc vbi subegit impurus spiritus, vaticinandi arte pro amissa pudicitia do-
nat, quæ de dubiis euentibus in posterum consulitur: nisi forte Bonzii personati Diaboli vi-
cem subeuntes illam constuprant, quod Romæ à Decio Mundo in Paulina factum nouimus,
& de Tyranno quodam Ægyptiorum historiæ commemorant.

*Equites
religiosi in
Iaponia.* Sunt inter Bonzios quidam, qui ad exemplum Equitum Melitensium militarem discipli-
nam profitentur in diuersos tamē distributi ordines. *Valentinus* Carualio describēs suppli-
cia eorū qui Daifusam regi Iapaniæ per rebellionem se opposuerant, cuiusdā ex hoc Bōzio-
rum genere meminit, qui foras prodire, nisi cu ad bellū proficiscendū esset, rarissime solebat.
Tunc a magno suorum comitatu & clamore anteeuntis turbæ egrediēs, nobilib. affecis suis li-
brum

brum deosculandum præbebat, quem ipse deinde capiti imponebat. huic libro diuinos pro-
pe illos solere ait exhibere honores, & ex contactu illius robur & audaciam acquiri ad strenue
vincendos hostes. Sed nunc de diebus festis eorumque peregrinationibus dicemus.

Meacum sicut inter omnes Iaponiæ ciuitates facile principatum obtinet, ita quoque su-
perstitione cæteras superat, narranturque in vicinis ei montibus præco tempore ad septies
mille claustra & delubra structa fuisse, interque ea vnum tantæ existimationis, vt reges profe-
cturi ad bellum vota ibi nuncuparent, & confecto ex sententia negocio bona fide soluerēt, il-
lata inter anathemata magna vi auri. Præbuit idem Fanum populo Asylum, quo in repentinis
casibus confugeret, solebatque Cacodæmon variis modis odorantibus in eo illudere.

Augusto mense festum *Gibon* variis editis spectaculis solenniter peragunt. prodeunt in
publicum XVII. vehicula ferica tela cooperta, inque iis pueri instrumenta musica tangentes. *Gibon so-
lenne fe-
stum.* ipsa vehicula à quadragenis viris eiusdem tribus atque opificii trahuntur, sequentibus cæte-
ris contribulibus. in postrema acie sequuntur vehicula militaria, atque hoc ordine ad tem-
plum proceditur. A meridie vxores atque concubinae eorum prodeunt, & promiscue cum
illis, qui currus traxerunt, per vicos & compita vrbis discurrunt, non sine violatæ pudicitia
suspensione, appetente vero nocte domum ad viros redeunt. Altero die rursum ad Templum
conuenitur, & superioris diei scelera precibus expiantur: Celebratur eodem mense Festum
defunctorum ad hunc modum. Sub occasum solis innumeras lampades ad ostia domus ac-
cendunt: hinc nocte per plateas vagantur, defunctorum amicorum animas sibi in via occur-
rifle fingentes: his ipsis domi post peractas ridiculas quasdam ceremonias, mensam sternunt,
& varios cibos apponunt, eaque ad epulas inuitant. aiunt enim mortuorum animas victu il-
lo egere, & mirifice rectari. Cum autem ad epulas illas spiritus nulli veniant, domestici ac-
cedentes, eorum vicem explent, apposita diripientes fercula. per biduum durat festum istud,
quo tempore defunctorum monumenta fertis ornant, & Bonziis pro iis orantibus munera
offerunt.

Martio mense conuenientes varios ludos & spectacula edunt deorum suorum depictas *Ludi Ma-
ritiales.* imagines humeris ferentes & tripudiantes. Hinc in duo diuisa agmina repente hostes euadunt,
& pueri quidem baculis lapidibusque, viri vero hastis gladiisque inter se depugnant, nec im-
pune quidem, cum semper in certamine illo aliqui cadant.

Ad *Sacium* oppidum magna solennitate quotannis mense Iulio celebratur festum *Da-
mao gin.* Præfertur Idolum comitante magna turba equestri, sequentibus Bonziis, deinde o-
ptimatibus prouinciæ & caterua militum; vltimum agmen claudunt sagæ & veneficæ. Ge-
statur autem Idolum istud in cathedra deaurata viginti virorum humeris, qui cantilenis sibi
inuicem respondent, procumbente in genua populo, & simulacrum illud antiquissimum ad-
orante.

Varia in cælo felicitum animarum statuunt Bonzii receptacula, peculiarem cuique lo-
co deum præficientes, qui eo velut in patrimonium suum diligentes sui cultores transferat.
hinc quidam peractis solennis ieiunii diebus conscenso suggestu auditoribus magno clamo-
re contemptum huius vitæ suadent: alii sponte morituri socios itineris quærunt, scilicet pau-
lo post Paradisum ingressuri. Et hi quidem constituto atque fatali die adueniente, postquam
largiter Eleemosynas distribuerunt, ad mare proficiscuntur: ibi ex hausto charitatis poculo,
cohortati se inuicem ad spontaneam mortem, nauigium intrant, depositoque vsitato ha-
bitu, alium largis manicis induunt, quas lapidibus explent, deinde collo funem inne-
ctunt, ad cuius extremitatem saxum ponderosum alligatum est, vt facilius mergantur, sic-
que in profundum se præcipitantes, alta hauriuntur voragine, expeditissimam hanc ad fu-
tura gaudia cæli viam arbitantes: narratque *Nauarchus* Anglus, septem eiusmodi cælipe-
tas se vidisse, qui eo modo paradisum in fundo maris quæsiuerunt. Et sane magnus his vrina,
toribus post mortem à superstitionibus habetur honos. Qui vero *Amidam* impensius colunt,
viui terram subintrant, effossa ad eum finem spelunca, in qua latitantes aerem per tubum cuius
harundinem attrahunt, & eo pacto fame ac siti contabescunt. Tertii in honorem Idoli cuius-
dam ab alta turri se præcipites dant, & ita Paradisum adeunt. Postremo multi peccus crudeli-
ter sibi acutissimo cultro in modum crucis aperientes, effusa cum sanguine vita Idola placare
& Elysios obtinere campos annuntiant.

De eorum confessione hoc tantum addam. Est apud *Ozacham* urbem inter frequen-
tes rupes vna eminentior cæteris, cuius summum fastigium ad CC. passus assurgere creditur, *Modus
confrendi
delicta a-
pud Iapo-
nes,* incurua & extrema sui parte pendula. In hanc aciem destituta est statera, cuius vtraque lanx
hominis capax est, arte sane mirabili. Trabs vero ferrea, à qua bilanx dependet, beneficio

R rotæ

rotæ dentatæ protruditur cum eo qui ingressus lancem trutinandus est. Et primo quidem lanxilla homine plena, ut necesse est, ima petit, vacua cōtra alte adscendente. Oreditur ille peccatorum suorum confessionem, vnde ad quodvis delictū lanx cum illo aliquantum adscendit, idque tandiu, donec enarratis omnibus sceleribus lances in æquilibrio constitutæ pares



fiant. Præst toti illi actioni *Goquiis*, id est, cacodæmon quidam, qui humana indutus specie, perfunctum ex ordine confessione sua à delictis absolvit, confiteri nolentem verbis minisq; increpat, obstinatum & pernegantem eversa statera in subiectas rupes præcipitat, Narrauit Japonensis quidam, qui horrendum istud examen septies subiuerat, & deinde ad fidem Christi conuersus fuerat, tam horribilem esse ab rupe illa in subiecta præcipitia despectum, ut vix quisquam inueniatur, qui quantumuis atrox delictum neget aut dissimulet. Locus hic ab Iaponibus *Sangene-tocoro*, id est, Rupes Confessionis appellatur.

CAPVT XXXV.

PERIOCHE.

Idola, Tempia, Exequia Iapanensium.

Inter fictitios suos deos primo loco ponunt Iapones *Amidam Xacam & Faceman*: quartum numerantes *Casungam* diuitiarum largitorem velut Plutum quendam. Huius paruum statuam cum anno A. N. C. MDCXII. Mercator quidam Iapanensis forte inuenisset, Larari-

Dii multi apud Iapones.

Larari-

Lararium ei domi extruxit, aureos proinde sibi pollicitus montes. Paulo autem post accidit, ut (nescio qua de causa) omnia eius bona à Præfecto vrbis fisco regio addicta fuerint. Iratus ille domum properat, Idolum cum larario extra fores in publicum proicit, & fidem Christianam amplectitur. Post quatuor illos hi sequuntur *Tamondes*, *Bosomondes*, *Homocondes* & *Zoiolis*, quibus singulis singulos celos attribuunt. Cæteros edisserere velle, Lætori pariter nobisque ipsis qui hæc scribimus tædium nauseamque esset allaturum. Narrauit *Organtinus*, cum aliquando festum *Trigidos* (ex minorum gentium deastris hic est) celebraretur, tam violentum lapidum imbrem cælo cecidisse ut multi vulnerarentur, omnes autem diffugerent. Amidam tamen præ cæteris omnibus religiose colunt, & eius nomine mendici Eleemosynas petunt, Bonzii quoque plebi æternam ab ipso felicitatem pollicentur.

Multi huic dæmonio & augusta valde templa dedicata sunt, inter quæ illud eminet, quod *Meaci* conspicitur, eentum & quadraginta vlnas longum. Est in eo *Amidæ* ingens statua, variæque *Aethiopum*, *dæmoniorum*, *ventorum*, *fulgurum*, aliæque laruarum horrendæ picturæ, quibus parietes vndique illiti conspiciuntur. Sunt inter eas quædam triginta brachiis totidemque manibus visendæ, cum septem in pectore faciebus. Spacia quæ inter imagines illas intercedunt, auro ita fulgent rutilantque, ut aspicientium perstringant oculos. Est & in *Meaco* vrbe aliud Idoli magnificum Templum, tres habens porticus, totidemque columnarum ordines, & sacraria cum adytis, omnia faberrime elaborata. Intus sunt columnæ LXX. incredibilis altitudinis, parietes vndiq; depicti, cum tecto artificiosissimo. Vestibulum cum area quadraginta cubitos longa, Bonziorum seruit deambulationi, adiunctis CLXXX. conclauibus, & Bibliotheca multis instructa codicibus manuscriptis impressisq; nec defunt hic balnea, cellæ subterraneæ, cubicula, culinæ cum prægrandibus lebetibus, & ahenis, quibus aquam tam hyeme quam æstate calfaciunt. Nocte omnia ardentibus lucernis collustrantur, ut diem æmulari nox videatur. Ante templum est piscina quadrata, quinquaginta cubitos lata totidem longa, omnis generis piscibus referta, quos capere aut extrahere fas non est. Aiunt Iapones, certa apud ipsos constare fide, Templum istud cum collegio Bonziorum iam ante DC. annos fundatum fuisse.

Templa Meaci magnifica.

Templum *Casunga* procera pinu & cedro ab omnibus partibus cingitur, alluiturque à fluuiolo quodam peramæno eo deriuato. Visitur ibi geminus columnarum ordo, inter quas quinquaginta ex solido metallo, inauratæ totæ spectantur. Adiacet huic cænobium Vestalium, quæ post XLV. annos ætatis transactos, hæc talia loca ingrediuntur, ut vale dicto voluptabus, reliquum ætatis ibi exigant. Hoc claustrum nulli mortalium fas est ingredi, præter Bonzios eiusdem ordinis, qui vestimentis splendidis induti, magnam præ se ferunt grauitatem. Est haud procul ab eo aliud templum in luco annosarum arborum, *Fachimano* idolo dicatum, superiori magnificentius splendidiusque; nec non alud *Daio* sacrum, cuius introitum duo gigantes barbati lapidei, è saxo XIV. cubitorum velut ianitores seruant. Intus columnæ sunt XCVIII. ingentis altitudinis, quod templum ultra DCC. annos iam stetit fabulantur. Pone assurgit rurris lignea, triginta columnis firmissimis subnixæ, in qua campana pender, cuius labrû in tres cubitos patet per diametrum. Aluntur in huius templi area multi cerui & columbæ Idolo sacræ, quas intercipere aut vilo pacto lædere nefas est. Assurgit iuxta lucus pomiferis arboribus confitus, miram etiam è longinquo spirans fragrantiam.


Templum Casunga sine Pluti.

Cum autem *Meacum* omnium totius Iaponiæ vrbiū sit amplissima & pulcherrima emporiumque celeberrimum, maxima quoque & splendidissima in eo reperiri templa par est, inter quæ vnum tantæ est magnitudinis, ut in eo ultra CCCC. Bonzii commorentur, & maxima ex parte ex primitiis frugum, quæ ibi offerri solent, & collata ad sacros vsus pecunia vitam ducant. Idolum, cui *Fanum* istud dedicatum est, ex ære Cyprio fabricatum est, intus concauum, ad XXII. pedum assurgens altitudinem, cum prægrandibus brachiis, humana specie effictum & pallio oblongo tectum. Ipsi Idolo *Mannada* nomen est, quod à miseris Iaponibus magna religione colitur.

Nec minoris apud eos existimationis est Templum *Tinchidai*, ad quod etiam à remotissimis locis religiose instituuntur peregrinationes, estque Dæmon ille præ cæteris, impurus & scortator, cui Bonzii pulcherrimas virgines vndique conquisitas velut Lenones substerunt, quas vbi immundus ille spiritus constuprauit, per easdem de futuris respondet euentibus.

R 2

bus.



bus. Oportet autem vt singulis mensibus noua puella praesto sit quae in locum eius quae vim passa est, Substituitur.

Fuit Superioribus temporibus in vrbe Meaco collegium Iesuitarum, in quo non docuerunt tantum, sed & typographiam habuerunt, reperiturque Nouum Domini nostri Testamentum, Lingua Iaponensium impressum Meaci, quo gentes illae vtuntur, idque pueris ediscendum praebent, constatque eo pacto iam aliquot Iaponum millia ad fidem Christi conuersa.

Ingenium
vixit Iaponum.

Ingenium eis viua esse & subtile satis apparet ex quaestionibus, quas Batauis atque Britannis proposuerunt, de Deo, Spiritibus, immortalitate animae, aliisque eius materiae controuersis: quanquam multi inter eos sint aperte Athei, qui Bonzios cum omni cultu & religione palam explodunt. Vicissim Bonzii atroces calumnias in Iesuitas confinxerunt, humanis eos vesci solere carnibus, & noua doctrina pestem, famem aliasque calamitates vniuerso regno attrahere. Qui Christo nomina dant, eos Apostasias crimine notant condemnantque: quanquam ipsi non dubia sint diaboli mancipia, a quo non tantum aperte falluntur & irridentur, sed etiam atrociter affliguntur.

Exequia
Iaponensium
splendida.

In Exequiis mortuorum adornandis ambitiosi valde sunt. Primum accenditur rogo, quem defunctorum agnati splendide vestiti accedunt, sequentibus mulieribus alba veste & flammeo versicolori indutis cum pedissequis. Primariae Matronae lecticis ex cedro factis gestantur, quas sequitur nobilium virorum ordo splendore conspicuus, hinc Maximus Bonziorum Pontifex trabeatus, sella curuli vectus, triginta inferioribus stipatus factorum ministris, quorum postremus lugubri stola indutus facem praefert, & caeteris velut viae dux est ad ro-
gum

gum, quem circiter CC. Bonzii circumstant, concinentes varios hymnos & pelues atque tintinnabula percipientes. alii corbes depictis chartis plenos ferunt, in quibus varios flores & herbas expresserunt, scilicet vt innuant, defunctum iam in campis Elysiis inter violas & rosas spaciari. Octo Bonzii vexilla, quibus totidem Idolorum nomina inscripta sunt, humi trahunt, in luctus signum, alii cereos arduos gestant, suas decantantes naenias.

Pompa
Iaponensium
sepul-
turae.

Post tot praeventium ordines sequitur defuncti cadauer, albo indutum amictu, manibus compositis & sursum eleuatis orantis in modum. Lectus cui incumbit, a viris nobilibus gestatur, sequentibus mortui liberis, inter quos qui maximus natu est, ardentem cereum manu praefert, vt ignem rogo, haeres futurus, subiiciat. Postremum agmen constat magna & promiscua turba, qui pileis triangularibus, inscriptis deauratis litteris, caput tecti incedunt. Vbi horae spatium in decantando lesso infusum est, Princeps Bonziorum hymnum quendam ignota lingua recitat, acceptumque cereum ter circum caput rotat, animae aeternitatem eo signo innuens, eumque cereum in terram proicit, quem mox defuncti haeres humo tollit, & eo rogo, cui iam cadauer impositum est, preciosis structum lignis & fragrantibus perfusum oleis incendit, qui concepto celeriter igne funus in cineres redigit.

Peracto sine ceremoniarum, liberi defuncti diuinos extemplo patri honores habent, thus adolentes, & cum inter caeli numina adorantes: Bonzii, qui in eo ritu officiosi fuerunt, luculentam persolunt agnati demortui mercedem. Sequenti die, vbi Epulis funebribus se inuitauerunt, ad locum busti redeunt, colligentes ossa & cineres paternos, quos in deaurato vase reponunt, & vbi per aliquod tempus domi seruauerunt, non multo minore pompa sepeliunt. Repetunt autem exequias illas liberi in parentis memoriam, septimo die, septimo mense, & postremo septimo quoque anno. Infusunt autem in has tam operosas exequiarum ceremonias Iapones ingentem auri vim, nec ditiores duntaxat, sed & qui tenuiori cum re sunt, vt aliquando census patrios funeri magna ex parte impendant: cum ad eum velut praecipuum pietatis honorem non plebei tantum, sed & primari nobilesque viri, & illustri loco nati inuicentur.

Apotheosis
Iaponensium.

CAPVT XXXVI.

PERIOCHE.

Terra motus in Iaponia stupendus, saepe tempestates, & alia quaedam obseruatione digna.

A. D. II. Iulii mensis anno A. N. C. MDXCVI. cineribus iuxta Meacum urbem pluit, quibus velut niue aut pruina totus illius urbis ager obiectus fuit. Paulo post arenae rubicundae vim ingentem caurus ventus inuexit, & visi sunt pili femineis similes de nubibus cecidisse. Aliquot diebus post sequutus fuit terramotus tam validus atque violentus, vt concussa tota Insula, multa templa & palatia, quae Taicosama infinitis struxerat sumptibus, nec non & alia magnifica priuatorum aedificia ab fundamentis euersa corruerint, qua in ruina multa hominum millia perierunt. In Fano Ianzusanga Idoli omnes statuae deauratae, quae ad DC. fuisse perhibentur, afflictae ruptaeque fuerunt, paucis saluis seruatis. Quin & Oceanus tumore elatus ac velut bulliens ad aliquot millia ingressus Insulam, agros inundauit, quae illuue praeter innumeros pagos atque villas, haec ciuitates submersae fuerunt, Ochinosama, Famaoqui, Fingo, Casicanaro, cum quibusdam minoribus oppidis. Multae naues in ipso portu perierunt, aliae in insulam vi vndarum delatae, recedente deinde mari in sicco destitutae fuerunt. Idem terramotus Nagosamam urbem Mercatu celebrem non concussit tantum, sed dehiscente terra absorpsit penitus, fuitque hiatus ille solitarius tam vastus patensque, vt vix sagittae ictu extremitas eius contingi potuerit, quin & in hunc usque diem tam saeudus ex illa lacuna spirat odor, vaporis nebuloso mixtus, vt instar Aeheruntae vallis praetereuntium feriat nares, affligat valetudinem. Neque terra tantum tremuit, & mare ebullit sensu irati creatoris, sed & horreni vlularum & boatus formidabiles ex auditi sunt. Vbi vero ea omnia quieuerunt, fuitque sibi reddita tellus, Taicosama ad exstruenda noua Palatia & Basilicas animum adiecit. Narrant Lusitani, circa idem tempus in via, qua a Malacca ad Iaponiam nauigatur, inauditas saeuisse tempestates, furentibus ventis quos ipsi Tuffones vocant, qui aliquot diebus continuis mare inquietauerint, ab aquilone in subsolanum grassantes, non sine pernicie plurimarum nauium. Est autem, teste

Portenta
qua in Iaponia
acciderunt.

Terra-
motus horren-
dus.

Tuffones
venti no-
xii.



naarcho Anglo, illius venti (Tuffonis) in his oris tremenda vis & impetus, qui refert, cum ipse *Firandis* esset aliquot domos ab eo partim valide concussas, partim euersas penitus fuisse admiscende se flatibus illis & ruinis incendio, quo haud dubie tota vrbs conflagrauisset, nisi pluuia admirandæ, sed plane tempestiuæ superuenientes, ignem restinxissent. Prædixerat iam ante Bonzius quidam ciuibus, nocte illa Vrbem incendio perituram, se enim in somno à Dæmone super ea re admonitum fuisse. Ergo tota ciuitas in apparatu perpetuo fuit earum rerum, quæ ad restinguendum ignem facere poterant, factæque supplicationes diurnæ nocturnæque ad templa Idolorum, pro auertenda illa pernicie. Idem ille ventus siue, Turbo multas naues cum apud Edoum urbem tum in aliis portibus profundo merfit, ingrediente insuper tumefacto mari ciuitatem, & inferiora ædificiorum tabulata perluente, vt ciues magno tremore in vicinos montes effugerint. Palatium regium tegulis inauratis coopertum vi turbinis tecto prope ex integro denudatum patuit, nihilque præter saxos muros & firma ædificiorum claustra intactum à vento mansit. Bonzii pro more suo calamitatem istam Iesuitarum concionibus & mutata religioni adscriperunt, quibus noui Christiani, horum discipuli responderunt, eiusque rei causam in Idola retorserunt. Quia autem ad hunc locum nos series narrationis vocauit, mirari subit, quid causæ sit, quod Iesuitæ, cum quotannis ad suos in Europam perscribant quid rerum, in primis circa incrementum & decrementum Christianæ Religionis, in Iaponia geratur, ea tamen quæ sequuntur, tacuerint, quæ ad hunc modum habent.

Paralipomena Epistolatum Primus ac potentissimus Iaponiæ Rex, qui in vrbe *Edoo*, siue vt Iesuitis placet, *Iendo*, regiam suam habet, proposito edicto publico interdixit vniuersis regni sui nobilibus, ne quis Christianam fidem amplecteretur, constituta graui pœna. Fecerunt idem minores reges regu-

regulique, inque primis *Michael*, Rex *Arimensis*, qui Christo simulate nomen dederat, & deinde iterum ad vomitum relapsus fuerat. Postquam enim patrem suum regio deturbasset folio, ducturus Magni regis *Edoensis* consobrinam in vxorem, in eius gratiam deferta Christiani-nisni professione ad Idolomaniam reuersus est. Hinc graue in Iesuitas & eorum discipulos concepit odium, è quibus octo correptos crati ferreæ viuos imposuit, vt subiectis carbonibus candentibus assarentur. Perpulit hic regem magnum, vt pariter Iesuitas exterminaret, etsi alia quoque accesserit causa, quæ ipsum mouisse videtur, quam Iesuitæ in Epistolis suis reticent. Nauarchus tamen Anglus, *Saris* nomine, qui eo tempore in Iaponia vixit, eam aliquo modo tangit. Venerat ab *Amacane* Edoum nauis Lusitanica, peregrinis mercibus plena. Ex his *Ogoshamar* præstantiores, præserti oblata pecunia, emere cupiebat, quod esset Præfectus Maris illius prouinciæ. At Mercatores Propolium & rerum suarum detrimentum veriti, donec poterant, tergiuersabantur. Petiit ergo *Ogoshamar* res illas importunius, & quidem regis sui nomine, cui quicquam negare fas non erat, eoq; nomine Iesuitas vocatos ad se compellauit. Negauerunt hi, eam rem ad se quicquam pertinere, qui viri essent religiosi & speculationibus non lucro aut mercaturæ dediti: omnemque illius potestatem esse penes præfectum nauis. At hic plurimum in eo negotio posse Iesuitas cavillabatur, qui in magna apud mercatores essent auctoritate, & sic erat circularis frustratio. Irrisum se videns Præfectus Maris, Iesuitas apud Magnum Regem accusauit, quod sub specie religionis & sanctitatis mercimonia exercerent, dissimulanter duntaxat. Iratus rex iussit, vt templum & domus, quam in *Edoo* vrbe habebant, euertetur, vtque ipsi Iesuitæ tam ex hac vrbe, quam omni agro *Nangasachien*si perpetim exularent, constituta insuper capitis pœna, si quis eorum ad quintum circa urbem regiam milliare accederet. Hoc edicto neglecto, cum quidam Iesuita clam irrepens, in domum hospitem ad ægros quosdam visitandos intrasset, ibique missam celebrasset, proditus & cruci viuis affixus est. Nec in eo stetit commoti regis iracundia, qui omnes in vniuerso regno suo Iesuitarum domos comburi iussit, ipsos vero æternum omni exulare Iaponia.

CAPVT XXXVII.

PERIOCHE.

Regiones atque Insula Iaponia vicina. Corea regnum Chinesibus vectigale. Insula *Liquina*, *Insula Formosa*, *Iedzo*, aliaque. Plaustra velifica. Lis inter *Sectas Amida* & *Xaca*. Idolorum principes inter se dis-sentiunt.

Coraï siue *Corea* non est Insula, vt plerique omnes nostri & superioris æui putauerunt *Corea* Geographi, sed pars continentis, longissimo promontorio in oceanum excurrens, distat-quantum ab Iapan Insula centum milliariū nauigatione. Mare quod intercedit, perpetuis prope tempestatibus obnoxium est, vnde toto eo quinquennio, quo inter *Coreanos* & *Iapones* bellum fuit, vltra *CCCC*. nauigia perisse auctores sunt. Extenditur autem regnum *Coreanum* in centum prope milliariū longitudinem, latitudinem sexaginta, viciniorque habens ad septentrionem, vbi latissimum est, *Tartaros*, *Chinensium* tamen regi vectigal pendit. Sunt autem peninsula illius incolæ optimi sagittarii, quanquam in cæteris militiæ muneribus minus habeant peritiæ quam *Iapones*, quos tamen nauium numero superare creduntur. Intulit *Coreanis* *Taicofama* bellum graue & diuturnum, vt per eam gentem armis subactam viam sibi in ipsam *Chinam* siue *Sinarum* regnum sterneret, vtque nouas *Iaponensium* sibi fidelium in *Corea* fundaret colonias. Sed quod volebat non obtinuit. Aquilonem versus prope *Sassumas* siue *Sissimam* *Iaponiæ* Insulam, aliæ quædam sunt Insulæ, *Liquina* & *Sechies* à Lusitanis appellatæ, insigni fertilitate soli nobiles, quas vicinus *Sissimæ* rex victo earum regulo cuiusque nobilibus, partisque maximis spoliis suo subiecit dominio. Inter *Macar* & *Iapan* alia est insula satis spaciola, quanquam magna ex parte sterilis: *Formosa* vocatur, cumque à *Sinarum* terra propius absit, vectigal illi regi soluit: gessit & hæc olim pro libertate cum *Iaponibus* bellum. Meminit *Ludouicus Frois* gentis cuiusdam barbarica feritate, quæ insulas in septentrionem à *Iaponia* distans incolat, & crines ac barbam promittat. Ebrietati hos deditos esse ait, feroces, eoque nomine *Iaponibus* formidabiles. Cælum adorare, nec præter id aliud numen nouisse. Ab huius *Ludouici* opinione non multum abit *Nauarchi* nostri *Angli* sententia, qui se de Insula *Iedzo* nomine audituisse narrat, quæ tamen occidentalior magis sit, cuius incolæ corpora haberent pilis obsita, in cæteris ad statueram *Iapanensium* accederent. Materia vestiaria homines eos omnino destituit, nisi quantum

Iesuiticorum.

Causa ob quam Iesuita ab Iendo proscripti fuerint.

Corea quantum absit ab Iaponia. Eius magnitudo.

Liquina Insula.

Formosa Insula.

Iedzo vel Iedzo Insula.



Currit à vento non in ventis trañti.

tum à Sinis mercatoribus inuehatur. Ait idem Saris, apud Chineses, multo magis vero Coreanos, in vsu esse plaustra, quæ erectis velis antennisque à vento instar nauigiorum, in loco æquo atque sabuloso agantur: eorumque curruum velificorum beneficio stauisse Taicosamam Chinesè regnum ingredi, sed veneno interemptum id intermississe. Sed & Hollandi eisdem curruum imitati satis feliciter in patria sua sunt, vt notum est.

Femina Iaponum qualis.

Mulieres Iaponum colore & statura corporis Europeis prope similes sunt, minus tamen formosæ facie, quem defectum fucis & cerussa sarcire student. Apud Firandum oppidum multæ mulieres perpetuo in nauigiis victitant, piscationem magna solertia exercentes, vt etiam in profundo Neptuni pecudes venari nouerint atque extrahere. Lippi his atque rubentes fere semper oculi, vnde facile à cæteris dignosci possunt. Quæ ciuitates inhabitant, stragula veste & serica fere vtuntur, aureis simbriata lemniscis. Acuta his & subtilia ingenia, vt satis ostendunt in peragendis comædiis, velut supra ostendimus, vbi de Mimis & saltatricibus diximus.

Dissidium inter Amidam & Xacæ sectatores.

De sectis eorum qui *Amidam* & *Xacam*, quæ duo dæmonia apud Iapones facile prima sunt, pariter in superioribus quædam à nobis dicta sunt. Patet autem vel apud hos absurdissimos Idololatrias, quantum religionis dissensio possit suadere malorum. Pellexit vterque harum sectarum princeps infinitum hominum numerum in suam sententiam, constatque vtriusque partis in vicinis Meaco vrbi montibus ad tria millia templorum, sacellorum, monasteriorum claustrorumque fuisse. Et Amidæ quidem sectatores Præsidentem dogmatis sui *Fandoxum*, Xacaani vero, *Foquexum* vocabant. Accidit ergo anno A. N. C. MDCIX. vt Foquexus quidam de familia & sequela Xacæ, intempestiuo agitatus zelo, aduersæ parti & Amidæanis & maledicta & errorum notas publico sermone impingeret: cui aduersarius paulo post oratione ad suos habita ita respondit, vt conuicia duplicaret. Cumque reciprocis maledictis se inuicem sine fine inceslerent mordaces illi doctores, Cubus siue Præfectus, qui *Fandoxus* erat ex Amidæ secta, vtrumque Edoum ad se vocauit, vt coram Imperatore siue Magno rege litem istam disceptarent. At Foquexus, qui conuiciandi initium fecerat, horrebat regis adspæctum, conscius sibi, quod paucis annis ante filio regio, qui tunc quidem mortuus erat, sacris interdixisset, non sane alia de causa, quam quod eum fidelem Amidæ cultorem esse intellexerat. Vnde tergiuersantem Rex dignitate, habitu religiosi priuilegiisque omnibus priuari iussit, lata sententia in publico diuersorio. Qui vero eius nomine aderam, responsuri pro eo, multis affecti contumeliis insuper verberati fuerunt. Vnde cum ex eius complicitibus, ligatis à tergo manibus, per Iaponiæ prouincias circumducti ludibrioque habiti, postremo Meacum adducti, cum antistite suo nares & aures amiserunt. Sic seueritate principis controuersia ista finita fuit, comperto, quod ille qui in Amidam eiusque cultores inuectus fuerat, non verus Xacæ sectator, sed graphicus impostor fuisse.

CA P V T XXXVIII.
P E R I O C H E.

Vteriores Nauarchi Saris observationes in Iaponia Insula. Quomodo Firandi à regulo eius prouincia exceptus fuerit. quas viderit vrbes, Edoum, Fussimin, Ossacam, Sarngam, alias. Mores & ritus Iaponensium.

Gvilielmus Saris, Eques Anglus, quem in superioribus multoties laudauimus, trium nauium Anglicarum nomine regio Præfectus, a. d. XI. Iunii mensis anno Salutis MDCXIII. prope Firandum urbem Anchoras iecit: est autem Firandum oppidum in Insula quadam Iaponiæ vicina, in qua tunc Rex *Fotnesama* cum *Tonesama* nepote dominabatur. Is rex intellecto peregrinarum nauium aduentu, cum quadraginta nauigiis actuariis adfuit. Vbi propius aduenit, cæteris iatra naues se continere iussit, ipse cum nepote nauem nostram ingressus est: ipse iam senex septuaginta duorum annorum, nepote eius vigesimum secundum agente. Erat vterque indutus toga serica talari, ab sinistro latere dependebat gladius, ab dextro pugio breuior. Abraferant crines sincipitis, relictis ad occiput capillis longioribus, quos tamen in nodum constrinxerant. Verticem neque tiara neque galero vel pileo texerant, sed aperto erant capite, Salutatio ex more Iaponum, exutis calceis, facta est, de qua plura in superioribus diximus. Inuitauit vtrumque Nauarchus Anglus ad epulas, quarum apparatus erat pro copia nautica, accedente suauissimæ Musicæ condimento.

Digressio

Digressorege ab Anglicana naue, certatim adfuerunt nobiles aulicique eius, & nouis hospitibus munera obtulerunt, ferinam scilicet carnem & aprugnam volucres & pisces & fructus arboreos satiuosque, & magnitudinem ac apparatus nauis attoniti mirabantur: ingressi vero subinde plures & omnia rimati diligentius, cum suspicionem mouissent Anglis, Nauarchus præsidium militum ab rege impetrauit, qui & præconis voce proclamari iussit, ne quis Anglis aut eorum bonis vim faceret iniuriamue, constituto capitulis supplicio.

A. d. XIII. Iunii mensis Nauarchus Anglus ex naue in terram egressus est cumque recta regiam petiisset, obtulit Firandino regulo munera nomine Regis Britannii, quæ ipsi gratissima fuerunt: istis enim acceptis non tantum ipsum Saris, sed & socios, Mercatores adeoque omnes qui aderant magnifico excepit conuiuio. Fercula potissimum constabant ex auiibus, ferina sale condita, bellariis fructibusque diuersi generis. Inter prandendum circumlatus fuit cyathus satis capax, pars doni regii, quem vino facticio ex oriza & aromatibus plenum ab omnibus & singulis exhauriri iussit, simulque Iacobo regi felicitatem & vitam precatus ipse, cæteros quoque facere voluit.

Vigesimo primo eiusdem mensis die rex iterum Anglorum nauem petiit, magna stipatus mulierum caterua, quæ omnes mimæ erant, actrices comædiarum & saltatrices. Solent autem hæc mulieres agmine facto oberrare per prouincias & oppida, acturæ comædias, vt Angli Ludiones per Germaniam & Galliam vagantur, vehentes secum omnis generis vestes & instrumenta histrionica, pro exigentia fabularum quas lusura sunt, in quibus frequentissima sunt argumenta belli, amoris, & eiusmodi. Toti illi agmini muliebri præest vnus Leno aut Productor, qui ludentibus iis à spectatoribus pecunias exigit. Si quis earum ad alia quoque ministeria vt velit opera, ad culinæ puta seruitium, vel mensæ, vel lecti contubernium, de precio cum Chorago eorum paciscatur oportet. Sed nos de impudicis istis mulierculis satis superque iam ante diximus. Primo die Iulii, cum duo Angli eousque irarum progressi fuissent, vt strictis inter se digladiarentur ensibus, parum abfuit, quin omnes loci in præsentissimum adduxissent periculum, cum capitale sit, nisi aduersus hostem publicum aperto bello gladium vagina vacuare

Diuella capitalia apud Iapones.

Paucis diebus post venit ad Anglos vicina Insula, cui *Goto* nomen est, regulus, ille ctus de peregrinarum nauium aduentu nuncio. Huic rex Firandensis aditum in Prætoriam Anglorum nauem impetrauit. Consensa igitur is naue, ab Anglis Epulo & concentu harmonico exceptus atque delinitus fuit, exploforumque tormentorum boatu, quam humanitatem sibi gratissimam fuisse ostendit, Anglosque vicissim ad suam Insulam perhumaniter inuitauit.

Goto Insula vicina Firando.

A Firando oppido ad curiam Regis Iaponici discessit Nauarcho Anglo, Rex Firandinus suam concessit Tirremem, cuius beneficio per multas Insulas hinc inde sparsas, tuto nauigauit. Est inter eas vna celebrior, nomine *Fucata*, arcem satis munitam habens, è lapide quadrato ædificatam, nullis tamen instructam machinis aut milite præfidiario. fossa circumdatur arx illa, quinque passus Geometricos profunda, decem lata, estque ad eam aditus per pontem pensilem siue leuatorium. Adiacet ei oppidum, platearum tam exacta reatitudine, vt ingresso per vnâ portam statim se offerat opposita. Ciues eius multi sunt & frequentes, simulque perurbani, vt vel à minima iniuria aut offensione peregrinis inferenda diligenter abstineant: cum in aliquot ciuitatibus Iaponensium contrarium fuerint experti Angli, ad quarum introitum non à viris duntaxat, sed & pueris conuicio excepti, falsarii atque scelerati coreani appellati, alicubi etiam lapidibus petiti fuerunt.

Fucata Insula ele-gans.

Delati Angli ad *Xemina-sequam* oppidum maritimum, inuenerunt ibi ingentem nauem in portu sub Anchoris stantem, quæ tantæ vastitatis erat, vt mille onerum nauticorum (velut loquantur) capax videretur. Ad vtrumque latus laminis ferreis munita erat, aduersus incendiarios malitiam. Forma nostris hominibus incognita, qualis Arca Noachi fuisse è sacris litteris colligi potest. Seruit hæc nauis transportandis ex Iaponia in vicinas Insulas militibus, si quæ forte ex illis rebellionem aduersus Magnum regem concitauisset.

Xemina-sequam oppidum.

Hinc Ossacam petierunt Angli, ciuitatem satis magnam, vt illam tam ratione amplitudinis quam similitudinis aliquo modo Francofurto ad Mænum parem esse iudicauerint. Fluuium, qui eam perluit, non minorem Tamesi esse aiunt, stratum ponte operoso, altis fornicibus structo, vt inter primaria Iaponiæ numerari possit. Est in ea castrum firmissimū satifque amplum cum muro ex tessellatis lapidibus structo, sex circiter cubitos crasso, adiectis insuper aggeribus, loriceis, pinnis & defensionibus, ad profligendam vel sustinendam vim hostilem, vt

S

lem, vt



lem, vt ad perfectum munimentum nihil deesse videatur. Fossa enim profunda & lata admodum totam arcem cingit, vnde sibi eam *Tequasamma* defuncti Imperatoris Iaponensis, filius regiam atq; habitationem delegit. Ex aduerso huius vrbis *Ossaca* aliud est non parui momenti Emporium, nomine Saia.

Vrbs Fushimi in Iaponia.

Fushimi oppidi quanta sit amplitudo, ex eo patet, quod perpetuo ibi sint in praesidio tria millia militum, quos Magnus Rex Iaponiae interdum Meacum aut Ossacam euocat. Muratur autem illud triennio quoque, discedentibus veteribus praesidiariis, succedentibus nouis. Obseruauit autem Nauarchus Anglus discessum veteranorum, optimo constituisse ordine hoc pacto. Ingressos fuisse ait quinos, & post quintum quemque ordinem secutum fuisse Pen-tacosiarcham, qui seriem seruare cogebat manipulum suum. In primo agmine ait fuisse funditores: hos secutos sclopetarios: deinde hastatos; tertio loco qui gladios & clypeos ferebant: postea sagittarios: hinc eos qui hastas breuiiores nec pedo pastorali maiori multum absimiles gestauerint: vltimum agmen iterum clausisse funditores, Tubam Tympanumve se audiuisset, aut vexillum vidisse labarumue negat Saris. Primae Phalangis milites deargentatas gladio- rum vaginas, eos vero qui ducem Legionis proximae cingebant, inauratas habuisse, idem testis est. Porro signa apud eos non omnia pari militum numero constituisse: cum interdum CCC. interdum CC. aliquando CL. vnum signum militum constituerent. In centro cuiusque signi siue cohortis se conspexisse narrat tres equos ephippiis holoseris magni precii instratos, quos singulos a tribus stratoribus vel equisonibus è mancipiorum numero ductos fuisse ait. Supremus illarum copiarum dux, quem praecipua belli capita cingebant, magna cum pompa & fastu progrediebatur, trahens post se canes & alium apparatus venaticum, quasi ad insectandas feras proficisceretur. Sequebantur eum sex equi, magnifice exornati, sine scissoribus, scilicet vt illum solum dorso ferret. Equi Iapanensium nequaquam ad magnitudinem equorum Anglicorum vel Germanicorum accedunt, sed mannis nostratibus prope sunt similes, corpore denso, firmisque membris, nec animo feruoreque multum inferiores Hispanicis. Equos istos sequebatur lectica gestatoria, cui subeundae decem constituta erant mancipia. Ad hunc modum seruatis religiose ordinibus per oppida vialque publicas ingrediuntur milites, neque quenquam mortalium vlla afficiunt molestia, nedum iniuria, vnde & in diuersis publicis, nec non etiam a priuatis tecto & mensa cum hilaritate recipiuntur, cum cibos & caetera, quorum ipsis vsus est, bona fide mercantur.

Equi Iaponum qualiter.

Modestia militum Iaponia.

Cibi Iaponensium varii.

Porro cum hi ipsi tum omnes in vniuersum Iapones oriza potissimum vescuntur, ex quo frumenti genere varios cibos ad palati gratiam conficere nouerunt. Neque tamen destituuntur aliis edulis, cum affatum habeant piscium, radicum, leguminum, salsamentorum, altiliu, in primis suppetente copia anseru, anatum, vt de perdicibus & ferina taceamus. copiosi enim hic passim lepores, apri, capreaeque. Et quamuis vaccarum armenta sint in Iapania, buryrum tamen caseumque non conficiunt: butyri vicem larido & abdomine porcorum facientes, quorum in tota Insula multi greges. Terram, vt nos, aratro profcindunt, iungentes vel boues vel equos ad tracturam. Qui teniorem sunt cum re, potum alium quam aquam vix nouerunt, quam tamen fere calefactam bibunt, vt aduersetur vermibus lumbricisque, si ipsis fides sit habenda. ditiores vino vtuntur, vel natiuo eoque aduecto: vel fictitio ex oriza, aqua ardente: & aromatibus destillato, quod quidem, etsi satis forte est, tolerabili tamen precio venditur.

Sarungam qualis ciuitas.

Sarungam urbem Londino aliquo modo similem putat Anglus noster, nam quicumque strepitosum aliquod aut sordidiusculum inter mechanicos exercent opificium, in suburbia velut relegantur, vt ibi tinniant quantum lubet. Qui hic residet rex potentissimus, Legatum Anglicum comiter admodum excepit, & ad eius petita, quae priuilegia mercatorum potissimum tangebant, benigne annuit. Abhorrent autem natura & instituto Iapones a longiore sermone, vnde eum, qui a rege aliquid petat, postulata sua in breuissima capita contrahere, paucisque complecti verbis necesse est. Sed & ipsi Iapones in edictis suis verbosi non sunt, quod ex summa priuilegiorum, quae ab eorum rege impetrauit Legatus Anglicus, colligi potest. Sunt autem ea huiusmodi:

Priuilegia Anglorum in Iaponia.

1. Omnibus Magnae Britanniae Regis ciuibus subditisq; in primis autem Societati mercatorum Orientalis Indiae, copiam facit *Ogoshosama* Magnus Iaponiae Dominator, intrandi in portus, ciuitates, emporia regni sui, ibique negociandi, cauetque iis de iniuriis, donec ibi fuerint.

2. A vectigali omni & telonio Anglorum naues atque merces liberas pronunciat, vt nauarchis aut mercatoribus, antequam negocientur, curiam regiam de more adire non sit necesse.

3. Si quae nauis Anglica in portu vel littore naufragium faciat, praefectus illius prouinciae

uinciae periclitantibus omni ope suppetias feret, & bona eorum ab interitu seruata praefectis dominis restitui curet. Licebit iisdem Anglis ad commerciorum suorum vsum vnam vel plures domos emere, easque vbi videbitur rursus vendere.

4. Defuncti alicuius Angli bona omnia illi cedent, cui moriturus vel testamento legauit, vel ad quem natura spectant. Delinquens Anglus a Consule suae nationis, non alio poterit. Legibus Iaponiae Angli non tenebuntur.

5. Iapones, qui aliquid a Britannis mercati fuerint, intra constitutum diem vel soluent precium, vel restituent emptum.

6. Procuratores & ministri regii, si quid ad vsus regios ab Anglis emant, tantundem pro eo soluant, nec minus, quam priuatus quisque emptor soluturus fuisset.

7. Mercatori Anglo, per prouincias & regna Iaponiae mercandi gratia profecturo, Magistratus expeditis litteris salui com meatus licentiam & securitatem praestabunt.

8. In vicinas Insulas negociandi ergo proficiscentes Anglos, vbi que admitti volumus, vi priuilegii huius, etiam si alio ac speciali diplomate instructi non fuerint,

Adiunxit his Magnus Iaponiae rex Epistolam ad Magnae Britanniae Regem, cui per eundem Legatum dona incredibilis precii vereque regia misit. Post dies aliquod venit ad aulam Monarchae Iaponi Legatus Hispanicus ab Insulis Philippinis; qui etsi dona ei obtulit ad colloquium tamen regis admissus non est, nec nisi semel illius videndi potuit impetrare copiam. Petebat is a Rege, vt edicto publico omnes Hispanos & Lusitanos, qui in Iaponia versarentur, domum & ad Philippinas reuerti iuberet. Respondit Iaponius: regnum suum commune Asylum esse omnium gentium: non igitur videri sibi iure facturum, si ibi citra noxam commorari volentes expellat. Caeterum se non impedire, quin eos, quos verbis, vt se sequantur, inducere blanditiisque possit, secum auehat: vt quenquam inuitum cogat, non permissurum. Causa autem Legationis illius erat, quod Hispani in Insulis Moluccis vehementer ab Hollandis premebantur, quibus vt validius oblectarentur, vndique conquirebant & venabantur milites Expectabat Orator Hispanicus per aliquot dies commodius responsum, quod cum non expediretur, plenus tristitia discessit. At Anglus, cum omnia quae voluerat, obtinisset, domum profectus cum sociis, ea quae huc annotauimus, litteris consignauit, vna cum parte illorum quae in superioribus quoque capitibus allata fuerunt.

Legatus Hispanicus & eius postulat.

CAPVT XXXIX.

PERIOCHE.

Mercator quidam Anglus, qui anno A. N. C. MDCXXIII. in Iaponia negotiatus fuit, narrat, quae cum primis ibi notata digna viderit obseruaueritque.

ET si nimis multa de Iaponia Insula, & fortasse plura quam instituti nostri ratio ferebat, diximus: ne tamen curiosum lectorem ea celemus, quae diligenti perquisitione in nostram peruenerit notitiam: placuit ea, quae sequuntur, cum tam prope ad hos proximos accedant annos, subiicere. Sic igitur ait Anglus iste.

Relatio Mercatoris Angli de Iaponia.

Regnum Iaponiae, cui multae Insulae maiores minoresque hinc inde sparsae adiacent, amplissimum est, latissimeque patens, hinc inde densis nemoribus, montibus rupibusque asperum & horridum, vt fere quarta eius pars inhabitata incultaque maneat: neque enim in procreando frumento fructibusque necessariis condignas rependit colono gratias. Incolae igitur omnis illis desertisque loca plana & fluminibus vicina tam ad agriculturam quam habitationem sibi selegerunt. Aer temperatus est & salubris, vnde rari ibi morbi contagiosi. Solum intus videtur cauenosum, quod crebris concutiatur terrae motibus, accedentibus procellosis & turbulosis tempestatibus, quibus aliquando classes in ipso portu affliguntur mergunturque.

Summum totius Insulae vicinarumque dominium sibi vnus vendicat Rex, quem quidam ideo Imperatorem vocant, quod LXV. Sarrapae, siue vt se ipsos appellant, reges, eius agnoscant imperium. Ex regulis istis quinque ad sanctius consilium admittere solet, qui caeteris sapientiae laude & reipublicae scientia antecellunt, quorum ea est in iustitiae executione, in conseruatione pacis & impediendis coniurationibus dexteritas & vigilantia, vt cum prudenti-

Monarchia Iaponia.



dentissimis totius Europae consiliariis facile conferri possint. Qui causam litemue suam ad regi deferre tribunal velit, consiliarios prius conueniat oportet, alias aditum ad principem obtinere nullo modo potest.

Monogamia Regis Iaponis. Monarcha illius Iaponici tanta est magnificentia, ut proditurum ad venationem vel aucupium nunquam pauciores quam mille sequantur comites, unde eius in aliis rebus splendor colligi potest. Vna hic praeter Barbarorum morem contentus est coniuge, in qua veneri suum modum statuisse haecenus creditur: quae quidem maior laus est in eo, quod tale quidam eum diem de nullo rege est auditum: cum & nobiles pluribus consuefcere ex more solent mulieribus, ut nonnulli ultra centum habeant uxores & concubinas, pro modo scilicet facultatum.

Diuitia eiusdem. Diuitiae thesaurique regi isti creduntur esse multo ampliores, quam dici scribue possit, cum non arcas duntaxat sed & tota conclaui auro argentoque signato plena habere dicatur, praeter massas praegrandes auri infecti, quae in munitissimo illo castro Ossacae sine (ut noster hic appellat) Ozechia asseruantur, quarum massarum magnitudo ex eo colligitur, quod XV. viri vnam difficulter portare humeris potuerint, cum ab Ozechia Meacum deferretur. Accedit quod Principes Iaponiae atque reguli, etsi a Monarcha nihil beneficii percipiant, donis tamen muneribusque annuis eum ita colunt, ut detractum sibi ipsis succum atque sanguinem in eum transfundant, sic fit, ut ipso pinguescente ipsi macrescant: quodque eos magis extenuat, tanta est in conferendis donis eorum profusio, ut inter se certent, & tenuiores in ea munificentia opulentioribus cedere turpe sibi existiment. Rex Diomedem agit, qui Glauco *ῥαλκμα χρυσίου*: cum pro preciosissimis muneribus regisque donis vestem vel vilius aliquid donat, quod accipientes insigne beneficium interpretentur oportet. Utque eos magis exhaustos viribus neruisque destituat, ne rebellare in eum possint, quotidie nouis exactionibus subsidiisque eorum emungit oculos nunchoc nunc alio titulo pecunias iis imperans.

Præcipua Arcis in Iaponia. Quod in vrbe Ozechia est castrum, omnium totius regni munitissimum est, ampliusque caeteris, & triplici muro firmissimo cinctum. Proximum ab eo locum tenet Arx vbi Edoo, fossa & muro cincta, tormentisque æneis instructa. habent & Crates & Falquatæ oppida suas arcas, amplas sane neque contemnendas. Sunt autem in præcipuis illis arcibus diuersoria sua assignata proceribus regni, in quibus, si eo veniant diuertere atque commorari possint. In medio assurgit ingens horreum, ad seruandam magnam orizæ vim, & caetera ad alimoniam in longum tempus suffectura. Iuxta Falquatam lucus est, in quo non tantum arbores ad amissim consistæ delectationem pariunt, sed & frondes earum naturæ artificio tam densæ atque inter se implicatæ, ut vel intensissimo æstu solis radii penetrare non possint. forma luco exacte quadrata, III. millia pass. latus longusque est. In vmbilico eius assurgit delubrum, loco tam amœno dignum, statuis picturisque & auro conspicuum.

Mores Iaponensium. Sunt Iapones ut plurimum vrbanis & comes, aulici vero in excipiendis peregrinis prope modum superstitiosi, ut ne minimam quidem omittant ceremoniam. Poculo excipiunt hospites, in ciborum vero delectu non eadem apud ipsos, quae apud Europæos luxuria & varietas. In radicibus enim, piscibus & cum primis oriza omne decus mensæ consistit. Aues, gallinas, aut porcinam ad conuiuia seruant. Potus vulgo haud alius fere quam aqua, quam tamen non frigidam bibunt, sed in eodem lebere calefactam, in quo paulo ante orizam coxerunt, ut illius decocti odorem aliquo modo seruet, & densitatem aliquam siue consistentiam acquirat: admiscetque aliquid, quod affatim bibentibus ebrietatis causa est: vbi obseruatum est, eos cum ebrii ad iram commouentur, ita excandescere, ut quauis tygride immanius sauiant, neque facile ab vlllo placari possint.

Leges & supplicia. Legibus vtuntur rigidis admodum atque seueris, nec vllum mitius irrogari supplicium reis solet quam exilium. proximum ab eo mors est. Homicidia, latrocinia, furta, edicti regii violatio, etiam atrocius puniuntur. Adulterio praesens constituta est mors, quamquam in eo crimine tanta vtantur astutia, ut rarissime deprehendantur. Sententia ludicum in conuictos lata nec reuocari potest, nec prouocationem admittit. Quibus moriendum est, si vel amputatione capitis vel cruce è medio tolluntur, quamuis atrociorum delictorum sint pænæ grauiore.

Mentio nominis. Ter in omni vita nomen mutare solent, aliqui etiam pluries, pro ratione crescentium annorum: communiter vero vel à rege vel viro illustri, quem sibi patronum quæsiuerunt, nomen adsciscunt.

Scribendi ratio. Scribendi litteras easque imprimendi artem nouerunt, ab antiquissimis ut ipsi iactant, temporibus. Litteræ eorum potius characteres aut notæ appellandæ sunt, cum pro varietate positio-

positionis varia significata recipiant, ut notæ hieroglyphicæ. Et quamuis ingentem earum litterarum numerum habeant, vix tamen vnus Christiani hominis nomen recte scribere & exprimere nouerunt, quia quidem in re multa cum Sinarum populis communia habent.

Dies festi. Sabbathum diemque festum in septimana agnoscunt nullum: dies tamen certos in quolibet mense, primam, decimam quintam & vigesimam octauam superstitiose obseruant, quibus templa adeunt, & sepulcra maiorum suorum venerantur. Nonam Lunæ diem quot mensibus infastam obscenamque reputant, ut nullum in ea opus, quod quidem durable futurum sit, exordiantur. Diem patris aut matris emortuaem quouis strictissimo obseruat ieiunio, ut à summo diluculo ad noctis initium cibi nihil omnino capiant.

Nunquam à primis regni Iaponensis initiis maior creditur detecta fuisse in Regem coniuratio, quam nostrorum tempore. *Schuga-samma* is est, (Oghosamma aliis dictus) qui etiam ipsam coniurationem & eius auctores probe cognitos habuit, nihil tamen grauius in eos statuere ausus est, ne cum principibus tantæ potentiae & auctoritatis dubiam belli fortunam experiri volens, de totius regni possessione periclitaretur. Quanti autem illa in regem conspiratio fuerit momenti, facile intelliget Lector, si auctores atque capra illius nominauerimus. fuerunt autem hi. Primus vocatur *Cangano Figen* *Dono*, Regis agnatus, & omnium Iaponiae principum longe opulentissimus, cuius prouentus annui, regni opes prope superant. II. *Schima* *Dono*, optimis fortissimisque instructus sit. III. *Micauono Camy* *Dono*, nepos regis ex fratre, vir indomiti spiritus, quem pater de consilio fratris regis exheredauerat, quod nimia luxuria & rerum venerearum intemperie morbus campanum sibi accersisset, cuius acerbitas nares ei magna feridate erolerat. IV. *Massamona* *Dono*, Regulus Osheu. V. *Mengami* *Dono*. VI. *Iechuo* *Dono* Regulus *Cocora*. VII. *Catto Sama* *Dono* & ipse regulus partis Iaponiae. VIII. *Nancobe* *Dono*, Summus Bonziorum Pontifex in vrbe *Edoo*, primusque à Rege in rebus ad sacra gentis spectantibus, qui & tutor ipsius Magni Principis per aliquot annos fuerat. IX. *Codusque* *Dono*, qui Regi Magno à Secretis fuit, & ab eodem ad summas opes euectus fuerat. Ingentes horum omnium sunt diuitiae. si Mangocorum, ut ipsi vocant numerantque, quas quotannis percipiunt, ratio ineatur: quæ quidem auri vis, cum tanta sit, ut si ad nostrorum hominum captum componere velis, fidem vix sit inuentura, ideo ab iis opibus percensendis superfedere latius iudicauimus.

CAPVT XL.

Hollandorum in Moluccis Insulis, & Lusitanorum in iisdem stationes, arces & propugnacula, ex quibus perspicitur quantum illi his proualeant. Emporia, vrbes, castella, portus marini, inter extremum Africa promontorium & Iaponiam, in quibus Batavi & Angli negociantur. Alger, vrbs munitissima in littore Africano, receptaculum Piratarum.

DE Moluccis Insulis, earumque insigni fertilitate & singulari caryophyllorum atque nucis myristicæ prerogatiua, ut & eorum, qui bona incolarum voluntate in illis Insulis negociantur, eximio lucro multa dicere non est necesse, cum in superioribus commentariorum nostrorum Indicarum libris affatim de his omnibus locuti fuerimus. Cum autem hæc ferram multis annis inter Lusitanos & Batavos reciprocata fuerit, nunc his nunc illis proualentibus, prostromo tamen fortuna Hollandis magis fauere visa est, ut ex numero munimentorum atque arcium, quas vtrique in his Insulis hoc ipso tempore obtinent, planum est perspicere.

Et Lusitani quidem (siue communiter Hispani) in Moluccis & vicinis nec longe inde distantibus Insulis, hæc habent munimenta.

Vnum in Ternate. I. in Tidore. II. in Gilolo. II. in Batachina. Hollandi vero eos numero multo superant, habent enim

Tria in Insula Ternate. III. in Tidore. I. in Amboina. I. in Batachina. II. in Botone. *Quo loco sint res Batavorum in Moluccis Insulis.* III. in Machiana. I. in Insula Motir. quamquam nonnulli his non contenti etiam arces Batavorum plures in iis partibus numerent. Hæc nimirum causa est, cur Hispani ab Hollandorum potentia sibi tantopere metuunt; sed & ipsi Hollandi horum munimentorum fiducia ferociore facti, barbaros contemtim habere iniuriisque afficere cæperunt, unde in odium eorum incurrerunt, nec tam benigno ut ante adspiciuntur vultu. quin & aliqui

ia etiam, præstare iugum Lusitanorum subire, et si superbissimi sint, quam avaritiam Patauorum explere.

Porro quia ad hoc caput deuenimus, non erit alienum etiam Emporiorum, castellorum, præcipuorumque locorum & Portuum marinorum, in quibus Angli cum barbaris & Lusitanis negociantur, catalogum texere, facti initio ab extremo Africae promontorio, quod Bonæ Spei caput appellant, ductoque filo secundum litus Æthiopicum, usque ad Indos Orientales & Iaponiam Insulam.

Listua Æthiopicum. Primo loco occurrit Quama in partibus Auralibus extremæ Æthiopiæ, sub gradu aequatore XXI. & hic venduntur plurima mancipia, ebur rude, Ambra & eiusmodi merces.

Sequitur oppidum & Insula *Mosambica* ubi præter superiora omnia etiam probatissimum reperitur aurum.

Mombaza siue *Mombassa*, celebre est emporium ac frequens ibi mercatorum conuentus, præsertim ab Cambaia & aliis Orientis partibus. Serui hic prostant magno numero, ebur, & aurum, aliaque metalla, sed aduectitia: puta, ferrum, stannum & argentum.

Magadoza Ebone abundat & lapillis preciosis: hinc frequens est negotiatio & nauigatio in Cambaiam & Indiam.

Ad fauces Sinus Persici est *Armusium*, vulgo *Ormuz*. Decantatissimum hoc est emporium, ubi distrahuntur præcipue merces ab Arabibus & Persis, nec est celebrior locus aut frequentior mercatoribus in toto Oriente, si Goam excipias.

Muscata oppidum est non contemnendum, ratio tamen ibi negotiatio, quod incolæ fiducia munimentorum suorum peregrinis mercatoribus fere vim afferre ac leges præscribere soleant.

Sinda, meracatu celebris vrbs, Magni Magol Indici imperium agnoscit, qui in ea arcem habet & præsidium militum.

Damon siue *Daman* magni nominis vrbs, rempublicam quandam constituere videtur, cum ultra centum minora oppida pariter & pagos suo habeat subiecta dominio.

Hinc sequitur *Sierra de Baçien* Hispanis: Latini dicunt Montes Bacenos, qui locus australior est quam *Daman*, agnoscitque regis Decanensis imperium.

Goa totius Orientis opes vno intuitu conspiciendas præbere videtur. Vrbs amplissima, quanquam in exigua Insula constructa sit. Palatium in ea magnificum assurgit, domicilium proregis Indiæ ex parte Lusitanorum.

Sequitur *Onorium* munimentum exiguum. Inde, *Barcolorium* oppidum, ubi magna vis reperitur piperis & gingeris, & gemmarum.

Canon vrbs mediocris est Indiæ, cum arce, frequens mercatoribus. Celebrior tamen hac est *Cochinum*, oppidum munitissimum cum arce iuxta posita, portum habens excipiendis nauibus tutissimum.

Coulan Arcem quam oppidum rectius dixeris. *Fanum Laurentii* pagus est, sed loco percommodo. multi in eo commorantur Monachi Hispani atque Iesuitæ.

Quilaon oppidum est cum propugnaculo. *Iucatra* vicus manibus destitutus, arce tamen munitus. Incolæ fere Christiani sunt.

Manera vicus est peramænus in Insula Zeilon, inter Promontorium Comorinum & Caput Galli, qui eum inhabitant, Lusitanici generis sunt. Multum hic venditur Cinnamomi & aromatum.

Negapatana vrbs est mercatu nobilissima. S. vero *Thomæ Fanum*, alias *Maliapor*, oppidum ad spectu pulchrum, muro firmo cinctum, tutam Lusitanis præbet stationem, in ripa Gangis fluminis.

Emporiis celeberrimis iure accensebis *Pegu*, *Aracan* & *Martaban*. *Malacca* Vrbs est ampla & totius orientis nobilissima. Valida defenditur arce, lætaturque fœdere cum rege Achinensi.

Machaul siue *Amacao* oppidum Lusitanorum est haud procul à Sinarum regno in parua Insula extractum, frequens hic hominum Europæorum cum Sinis & Iaponibus negotiatio.

De *Iaponia* Insula paulo ante prolixè disseruimus. In ea et si neque Angli neque Lusitani oppidum aut munimentum vllum habent, negociari tamen vtrisque, vt & *Batauis*, peculiari regis priuilegio liberum est. Quæstuosissima hic est Hollandis negotiatio, quam cum Sinis aliisque barbaris gentibus, quæ frequentes huc confluere consueuerunt, magna solertia exercere nouerunt: interim nec à piratica facienda omnino abstant, vt interceptæ *Chinensium* *Iunquæ* loquuntur.

Deco

De eo Africae vel potius Æthiopiæ littore, quod Orientem solem respicit, cum quædam dixerimus, fortasse non erit ingratum Lectori, si reliqua quoque illius partis Orbis terræ littora, occidentalia & septentrionalia tribus verbis tangamus, eatenus duntaxat, quatenus Hispani munimenta, emporia atque portus in vtroque obtinent. Initium igitur facturi ab iis, quæ Hispanorum Reges proximis & superioribus annis Turcis eriperunt, armisque victricibus suo subiecere dominio, septentrionale litus Africae legamus oportet. Possident igitur Hispani siue Lusitani (perinde enim est) intra Fretum Herculeum siue Gaditanum has vrbes: *Ceutam*, *Tanger* & *Arzillam*. Extra Fretum autem *Armazaganam*, quæ Australior est *Arzilla*, cum Insulis in Oceano Atlantico, *Madera*, *Portu Sancto*, *Canariis*, *Capiti Viridis* & *Peninsula Arguina*. Adde his Insulam *S. Thomæ* & *Principis*, quarum omnium Insularum incredibilis est fertilitas, cum non frumentum solum incolis sufficiens gignat, sed & tantum sacchari atque vini laudatissimi, vt etiam ad exteros mittat.

In *Arguina* & *Fano Georgii de la Mina* habent Lusitani propugnacula non contemnenda, quæ magnam ipsis præstant cum Æthiopibus in aurifero regno *Congo* negociandi facultatem. Habent iidem & præsidium in vicina Insula *Loanda*, in qua ad V. captiuorum millia ex variis Æthiopiæ gentibus intercepta quotannis adipisci possunt, quorum bona opera in regnis prouincisque Nouæ siue Occidentalis Indiæ vtuntur. Facilis hinc fuisset patribus nostris breuisque in Nouum Orbem traiectus, si sciissent ibi adhuc aliquas nostrisque oppositas esse terras; cum obiectum *Brasilie* litus non nimis longe à littore Æthiopico regni *Congo* absit. Sed ignoti nulla cupido.

In *Angola*, quæ prouincia & ipsa ex parte iuris est Lusitanici, argentum præstantissimum reperitur, quod periti metallicæ rei Peruano ob bonitatem præferunt: vnde non abs re *Pattulus Diasius* cum Æthiopibus super possessione illarum argentifodinarum armis dimicauit. Inter caput Bonæ Spei & Promontorium *Guardafu* possident Lusitani adhuc tria munimenta: *Senam*, *Sofilam* & *Mosambicam*; de quibus superius aliquid diximus. Rege *Melinda* vtuntur amico: *Quiloe* vero tributarium habent. Sed profecto, in tam longe distitis & diffusis prouinciis infida est & laboriosa illorum locorum possessio, cum ex Hispania Lusitaniaque tantum hominum nequaquam haberi possit, quantum ad tot & tam procul remota præsidia requiritur. Et fuit quidem tempus, cum gentes illæ Ibericæ beneficio horum portuum & munimentorum solæ prope per totum Orientem mercaturam facerent: verum nostra tempestate Anglorum & Hollandorum felicibus nauigationibus Lusitanorum quæstus & negotiatio valde est imminuta.

Conclusuri primum hunc rerum Topographicarum librum, antequam ab Africano littore penitus discedamus, aliquid de *Argeria* siue *Alger* ciuitate & portu famosissimo dicemus, cum sæpius in nostris rerum Indicarum commentariis, sic exigente nauigationum serie, illius loci fiat mentio: & nos Piratæ Mauri *Numidæ* que, illius vrbs, quæ nebulonum illorum est receptaculum, non sinant obliuisci.

Refertur vrbs ista inter antiquissimas illius partis Africae, putaturque antiquitas dicta *Mesana*. Ptolemæo *Sardæ Colonia*: alii tamen *Ziliam* appellatam malunt. Sita est ex aduerso Insularum Balearicarum, *Maioricæ*, *Minoricæ* & *Ebusæ*, vnde & ab Arabibus nomine alio *Gezeir*, id est, ad Insulas, nominatur. Putatur hæc ipsa fuisse sedes *Iuba* prisci Mauritanie regis: deinde vero in honorem Cæsaris Dictatoris *Iulia Cæsarea* vocitata. A nostris, vt notum est, *Argeres*, *Argeria* & *Alger* vsurpatur. Formæ vrbi prope triangularis, situs talis, vt apex in cuneum definens summum montis occupet, inde descendit ipsa ciuitas duobus lateribus, sensimque dilatatur, donec latissima pars Mari Mediterraneo obuertatur. Vrbs ipsa muro duplici, lorice, aggeribus, fossa & vallo firmissimo munita, quamuis hostilem vim eludere potest. In edito colle Arx est, quæ non vrbem tantum sed & portum nauisque in eo defendere, vel si opus sit, tormentis oppugnare potest. Præter palatia virorum illustrium, sunt etiam priuatorum ciuiumque domus in ea magnificæ, balnea & tabernæ publicæ priuatæque operosæ. Omnia tamen ædificia arte & præstantia materiæ superat Templum Mahometanum, & quod hoc splendore sequitur, Armamentarium, siue vt vocant, *Arsenale*. Populosa hæc est ciuitas frequensque mercatoribus Turcis, Indæis & Æthiopibus. Nundinis, quæ bis in septimana recurrunt, ingens fit rusticorum ex vicinis montibus in vrbem concursus, qui tantum in eam inferunt alimonie varii generis, vt omnia, in primis ferina, vilissimo emi possit precio. Pullorū gallinaceorum maior vis quam scribi crediue possit, cum eos non ope & incubatione matrū ouis excludant, sed calore artificiali ac moderato quod & in *Ægypto* fieri nouimus. Bouū, Equorum, Camelorū quantū hic sit, iam alii ante nos dixerunt. Arma Maurorū apud hanc vrbe

Caroli

Hispani quid in littoribus Africa habent.

Argeria vrbs descriptio.



Caroli V. Cæsaris exercitus sensit, cum irrito conatu eam Imperator is oppugnaret. De moribus incolarum si quæras, officinam scelerum esse intelliges; tantum hic est furum, lenonum, Sodomitarum. quid enim de Piratica dicam, quam omnes vel exercent ipsi, vel ex ea vitam ducunt? Arcem, cui plurimum fidunt Mauri, adire homini Christiano fas non est: quæ sequuntur, à quodam præsidario milite didicimus. Fossam, qua ea cingitur, XVII. cubitos latam assererat, profunditatem eius duorum esse hastiliorum. In propugnaculis stare tormenta ænea maiora IX. minora XVIII. in medio puteum esse aquæ suavissimæ, præter fontem perennis aquæ, qui ibi scaturiens delapsus molam aquariam agitet, ad cuius custodiam semper triginta milites præsidarii excubent.

Imperium
urbis.

Fuit hæc vrbs patrum memoria sub imperio Regis Teleninii, tam diu, donec Bugienses, excusso huius dominio, peculiarem sibi elegerunt regem, cui & Argeriani se sponte subiecere. Hinc quasi pœniteret eos patrocini alieni, ad libertatem paulatim aspirantes, suis auspiciis naues aliquot in Oceanum emiserunt, quibus obiecta Hispaniæ littora vicinasque Insulas latrociniis infesta fecerunt. Sed à Ferdinando Catholico contusa ipsorum fuit ferocia, adeo, ut impetratis in decennium induciis, vectigal annuum ei soluerent. Eo autem mortuo Ariadenum Barbaroslam ab obsidione vrbs Hipponensis vocatum, supremum militiæ suæ ducem creauerunt: qui post illustres aliquot victorias celebre fecit Argerianum nomen. Is, pertæsus precarii & circumscripti imperii, Regem illius vrbs totiusque viciniæ se appellauit, subactis etiam repentino terrore aliis Maurorum gentibus.

Ariadenum
Barbarus.
sa.

Ad hanc Urbem quid acciderit Anglorum Baraorumque nauarchis proximis his annis, sequente libro explicabimus, ad quem properamus, & huic finem imponimus.

FINIS LIBRI PRIMI.



CONTINUATIONIS
HISTORIARVM ORIENTALIS INDIÆ,
LIBER SECVNDVS

CAPVT I.



EMINIS SE potes, amice Lector, nos secundum hunc librum narrationibus variarum expeditionum naualium in eas, quas superiori libro descripsimus, regiones atque prouincias destinauisse. Ad eas igitur nunc stylum applicamus, ita tamen, ut in recensendis iis eundem, quem in Topographicis secuti fuimus, obseruemus ordinem, facto initio à nauigationibus, quæ in Orientalis Indiæ ea regna suscepæ fuerunt, quæ Magni Mogol agnoscunt imperium: quibus cum res Persicæ ita cohæreant, ut separati ab iis integro orationis filo non recte possint, necessario, quæ in Sinu Persico contigerunt, cum Indicis coniungendæ fuerunt. De annorum ratione sic accipe, nos ab anno A. N. C. M. DC. XIII. orditi, & vsque ad nostra narrationis telam pertexere tempora, idque facere tam in Indicis Persicisque, quam in Sinenibus, Japonicis & Æthiopicis. Nam Aquilonaribus tertio libro peculiaris locus assignabitur.

Igitur a. d. XVI. Ianuarii Mensis anno A. N. C. M. DC. XIII. ab *Grauesenda* non ignobili Angliæ oppido soluit naus, cui nomen erat *Expeditioni*, eo fine, ut recta Orientalem Indiam Magnique Mogol regnum peteret. Præfectus erat illi naui Robertus Schirleius cum Thoma Povvello, cum mediocri vectorum militumque numero A. d. XXVII. Aprilis Mensis ad exiguam quandam appulere Insulam, cui à cuniculis nomen imposuerunt. Humilis ea est & depressa, sita sub XXXIII. gradu ab Æquatore. hanc ut explorarent, scapham maiorem eo miserunt, constituta sub Anchoris naue. Qui missi fuerant, fulicis mergisque plena deprehenderunt littora, nec non eo genere auium, quas vulgo *pinguinas* vocant. Piscium alitumque hic tantam Angli sunt adepti copiam, ut maiori naui in aliquot mensium alimoniam sufficerent. Secundum autem nacli ventum, proram recta in Bonæ Spei Promontorium obuertunt. Ad *Saldanacham* ubi appulerunt, duas ibi in anchoris stantes naues Anglicanas repererunt, vni nomen erat *Hæctori*, alteri *Thoma*. Haud procul ab his stabant in eodem portu quatuor Hollandorum naues, quæ reditum in patriam meditabantur. A. d. X. Maij Nauis Anglicana, cui *Grano Piperis* nomen erat, eodem venit, reditura ex longo itinere Indico in Angliam: cum autem exhausta prope esset alimonia, à Schirleio adiuta atque resecta fuit. Decimus quintus Maij dies erat, cum naues illæ iunctim sublatis anchoris *S. Augustini Promontorium* petierunt, conspecto in itinere Promontorio Æthiopico, quod *Arecifam* vocant, sub XXXIV. gradu latitudinis ab Æquatore versus Austrum. A. d. XV. Iunij Mensis *S. Laurentij Insulam*, quæ barbaro nomine *Madagascar* appellatur, in conspectu habentes, Portum Augustini intrauerunt, ubi lignorum & aquæ potabilis copiam nacli sunt, carnes tamen adipisci non potuerunt. Et barbari quidem aliquot boues Anglis polliciti fuerant, sed mentiti sunt: quo dolo exacerbati Angli, quadraginta milites in vicinam syluam miserunt, ut raperent, si quam nancisci possent prædam. Verum & istud frustra fuit: nam præter humiles quosdam casus, & aliquot succensos ignes, ad quos pisces appositi erant, nihil repererunt.

A. d. XXIII. eiusdem mensis *Iuanam* Insulam tenuerunt, quæ quatuor milliariibus Germanicis inde abest. Ciborum hic affatim, & vili quidem emerunt precio, iuuenos quidem quatuor, capras vero complures & gallinas, mala item punica & citria, aliaque refectionis genera. Illecti autem precii vilitate, circiter XL. boues emerunt & præterea multum alimoniam.

T

Vicina



Vicina huic est *Mohelina* Insula, ab *Aethiopia* culta, quibus tamen multi intermixti sunt Turcae & Arabes, quorum ope illi in bello aduersus Iuanenses vtuntur. Regnabat circa hoc tempus in ea rex adolescens, *Phanaomalus* nomine, cuius pater Rex sub ipsum Anglorum aduentum è viuis excefferat. Præerat autem Regno mater adolescentis, cum lectis proceribus, quos pater moriens filio tutores constituerat. Frequens ex hac Insula in vicinum *Melinda* regnum est negociatio, & in Arabiam felicem, quæ tamen potius in permutatione mercium consistit, quam solutione pecuniæ. Inter mercatores Lusitani non sunt postremi, qui & hoc quidem loco Anglos comiter & benigne habuerunt, quanquam aliter sentirent quam loquerentur. Lingua Insulanis eadem quæ cæteris *Aethiopia*, difficulter autem ab Europæis pronunciat.

Die XIX. Iulii *Aequinoctialem* lineam Angli transierunt, posteroque die Insulam quandam procul conspexerunt, Promontorium *Guardasubi* esse existimantes, quod ad fauces *Erythraei* Maris obiicitur: recta igitur *Socotoram* petentes, eo tamen penetrare non potuerunt, sed ad vitanda tempestatis incommoda subducere naues in locum tutum coacti fuerunt. Surgunt in his oris certo anni tempore sædæ atque densæ nebulæ, quibus ipsius Solis Lunæque adpectus nauigantibus prope eripitur, accedentibus aliquando periculosis tempestatibus & procellis. Color aquis marinis albus, in summo natant folia quædam lata nobisque incognita.

Non procul inde obtulit se conspectui eorum *Dofara*, Felicis Arabiæ oppidum maritimum, editis domibus è saxo fere structis alte assurgens. Huius vrbs portum cum peterent, in vicino quodam pago in ipsa crepidine Maris anchoras jecerunt. Qui oppidum incolunt, *Aethiopes* sunt & Arabes mixti, interque eos piscatores plurimi, à quibus omnibus Angli fatis comiter liberaliterque habiti sunt. Præfecto nomen erat *Meyr Mahamudo*, qui nouis hospitibus dona obtulit, iuuenos tres, capras & oves plusculas cum alitibus nonnullis. Angli ei vicissim aliquot telas sericas *Damascenæ* texturæ donauerunt, & hoc antidoro egrediendi in litus libertatem atque negociandi emerunt. Maius est pecori his in locis quam alibi precium, nec aqua dulcis hospitibus exiguo venditur, cum pro quinque dolii octo floreni soluendi fuerint.

A. d. XXVIII. Augusti mensis, proripis in litus *Perficum* obuensis, nauigare ceperunt, & secundo Septembris die *Macyram* Insulam, sub XX gradibus & X. Minut. sitam tenuerunt: octauo vero die post, superato Sinu *Perfico*, in eo litore anchoras proiecerunt, sub gradu ab *Aequatore* XXV. cum minutis X.

Hoc loco *Nauarchus* Thomæ *Povvello* Equiti mandauit, vt assumptis duobus *Perfis* viæ ducibus & sociorum nauticorum mediocri numero facta exfensione regionem illam iustrarent. Primum omnium obtulit se eis pagus non modicus, cui *Tessequa* nomen erat: incolæ illius oræ vocabantur *Baluchi*, subiecti Dominio Reguli *Mirzah Meleicho* qui regiam suam habebat in oppido *Guadera*, distante sex milliariis ab isto pago: in vniuersum tamen omnes *Perfarum* Regis Imperium agnoscunt. Cum autem *Guadera* portum habeat totius illius oræ celeberrimum, statuerunt Angli eo sibi omnino proficiscendum esse. In eum igitur finem nauem ab incolis *Tesseque* petierunt, sed pro responso ignominiam ac minas retulerunt. At Angli, vt terrent barbaros, tormento æneo in eos fulminauerunt. Responderunt *Perse* pari boatu, emisso insuper in Britannos imbre sagittarum. Recesserunt Angli paulisper, factoque denuo in barbaros impetu, eos ita percalerunt, vt multi metu mortis in mare insipientes perirent. Nonnulli excepti & in nauigium Anglorum delati, magno ipsis deinceps vsui fuerunt, eum duces viæ ipsis existerent, & quicquid ad illius regionis notitiam pertinebat luculenter explicarent.

Superiores illa velitatione facti Angli a. d. XVII. Septembris cum nauisua profecti, iuxta editas rupes præteruecti ad alium pagum venerunt, cui nomen *Iuana* erat: Vesperis eiusdem diei ad *Guaderam* appulerunt, jactisque Anchoris peream noctem in portu substiterunt.

Vbi diluxit, circiter triginta lembi piscatorii prodierunt, ex quibus nonnulli ad nauem Anglorum accesserunt, vt cum peregrinis colloquerentur. Cum autem Britannii sermonem eorum non assequerentur, captum atque hæcenus detentum nauclerum *Baluchum* cum cæteris captiuis *perfis* in urbem dimiserunt, luculenta polliciti præmia, si ad se in nauim reuerterentur. Sed & alium quendam virum *Perfam*, nomine *Nazirbegum* cum litteris miserunt, vt negociandi licentiam mercatoribus Anglis impetraret. Responsum est à *Guaderanis*: Regnum *Maqueronæ* *Perfarum* Regi subiectum non esse: vectigal tamen annuum *Magno Sopho* soluere, eoque nomine iis qui ad *Aulam* *Perficam* irent, omnia humanitatis

mitatis officia exhibere solere: & nihil quidem ad summam humanitatem Angli desiderauerunt, quibus narrabant *Guaderenses*: magna fortunæ indulgentia Britannos eo ipso tempore aduenisse, quod *Prorex* statuisset breui assumto valido militum præsidio (ipsi vulgo *Caranana* *Perficæ* iter in eas partes suscipere, vt sancti cuiusdam viri sepulchrum religiose inuiseret. Hac occasione Anglos optime vsuros ad conueniendum periculosum alius in interioribus



Perfidus iter. Quin insuper se ipsi camelos mulosque suppeditatos, quorum beneficentia & merces suas transferre possent. Hæc omnia barbari tam speciosa verborum dulcedine condiebant, vt Angli summam perfidiam & fraudem, quæ sub promissis illis latebat, non animaduertent.

Ergo sequenti die *Nauarchus* Anglus sarcinas suas thesaurosque, cum ad litus præmisisset, ipse cum omni familia & plerisque sociis nauisque proxime erat, vt sequeretur, terramque peteret: cum seruus quidam *Perfa* ex *Guaderanis* Anglum quendam puerum interrogauit, an ista omnia essent, quæ *Legatus* Anglicus secum deportaturus esset in *Perfidem*? at *Anglo* sermonem non intelligente, *Baluchus* quidam prope astans & idiomaticus gnarus, respondit, præcisiora duntaxat, gemmas, margaritas & aurum sarcinis istis contineri: cætera adhuc in nauis esse. Ibi *Guaderanus*: sufficient igitur ista militibus nostris in prædam. *Artonitus* ad hæc verba *Baluchus*, cum in omnia quæ à barbaris agebantur, intentionem haberet oculum, tandem proditionem subesse intellexit, & *Nauarchum* Anglum monuit, caueret sibi à prorege *Guaderano* nisi ipse perire funditus cum sociis vellet. Constituisse enim eum, seruatis duntaxat *Muscis*, *Chirurgis*, pueris & mulieribus Anglorum, cæteros omnes trucidare nauemque diripere. Ingressi fuerant iam nauigium actuarium *Nauarchus*, *Gubernator* & primi nominis Angli, cū intell. cta proditione subito conuerso itinere nauera

nauem repetierunt. Ibi intellexerunt, proregem iam ad M. D. milites coegisse, quibus oppressos Anglos interimeret.

Angli ergo, ut fraudem opposita astutia eluderent, misso quodam à suis ad Proregem, nunciari ei iusserunt, febricula tentari Nauarchum, non igitur eo die in urbem venire eum posse, sed exscensionem in futurum dilaturum: rogareque insuper, ut Prorex duas tresue scaphas maiores ad nauem Anglicanam mitteret, ad transportandas mulieres & pueros, quod Anglorum Scaphæ satis capaces non essent. Recte etiam eundem proregem facturum, si aliquot primi nominis Guaderanos mitteret, qui honoris ergo Nauarchum, qui ad Magnum Sophum Legatione fungebatur, deducerent. Non grauate assensus est his omnibus prorex, eumque, qui hæc ab se petierat, comiter dimisit. At hic cum ad littus venisset, aperta altera cista, preciosiora cimelia & splendidiores vestes celeriter inde depromsit, quod uxorem Legati postero die iis vsuram diceret, ut magnificentius ingrederetur urbem. Stabat iuxta eam alia arca rebus preciosissimis plena, quam referare consultum non videbatur. Huic omnino similem in naui lapidibus & sabulo compleuerunt, ut ponderosa euaderet, eamque occlusam in littore destituerunt, relata altera illa intactis thesauris plena in nauem, quod erratum in iis dicerent.

Trans frau
de elusa.

At barbari, qui consilia sua ideo egregie latere rebantur, quod Anglos se in futurum diem parare videbant, securiores facti, magno numero ad nauem Anglicanam venerunt, interque eos lex vel septem primi nominis ciues, ut Legatum quam honestissime deducerent. Hos omnes Angli sub specie amicitiae in diuersa nauis loca separatos, ponere arma coegerunt, deinde inermes in vnum locum coactos, de prodicione & perfidia grauissime accusauerunt. Et quamuis summo iure in eos grauitur animaduertere possent, malle tamen se leniter eos tractare, & quosdam ad proregem mittere, qui eum monerent, ut Anglis bona sua restitueret, atque ita captiuos suos lueret. Non fidebat prorex huic Anglorum pollicitationi; nolēbat igitur Anglis restituere bona, nisi prius ipse captiuos recepisset. Angli ergo Persas omnes ferreis inclusere compedibus, positaque clepsydra conceptis iurauerunt verbis: nisi ante decursum horæ illius, restituisset ablata, se eos omnes trucidaturos. Hac seueritate intellecta regulus metuens suorum salutem, reddidit Anglis bona, ipse vicissim suos recepit. At Baluchus, qui prodicionis index Anglis fuerat, mansit cum iis, qui cum artis nauticæ peritus esset, eos non comitatus solum est, sed & ad urbem Sindam & in Sinum Cambaiensem feliciter deduxit. Erat autem patria Dubalensis, nomine Malisim-Sadni, Sacerdotis Persæ filius, nec Medicinæ Chirurgicæ rudis, quibus nominibus Nauarcho Anglo charus admodum fuit, cui & narrauit, Regulum illum à Persarum Sopho proregem illius prouinciae constitutum, rebellem domino suo factum fuisse, nihilque aliud expectasse, quam ut ab eodem ad obedientiam & supplicium armis adduceretur.

Captiuos
restituit.

Cum tam manifestum interitum Angli mira Numinis prouidentia effugissent, à d. XXI. Septembris Mensis sublatis Anchoris Sindam petierunt, cumque in breuia & puluinos incidissent, à quibus se vix magno labore expediuerunt, tandem post quintum à profectioe diem apud Sindam appulerunt. Eiectis anchoris Legatus duos misit ad præfectum, ut ab eo ad regem Persarum proficiscendi licentiam impetraret. Assensus is est liberaliter, misitque aliquot naues peregrinis in occursum, quibus in portum deduceretur. Ipse ergo Schirleius cum à prorege isto comiter exceptus fuisset, exhibitis litteris publicis, calumnias Lusitanorum facile diluit, qui Robertum Schirleium velut Piratam accusauerant, quod in eum finem ab Anglia cum tribus nauibus profectus fuisset, ut vicina Sinui Persico deprædaretur littora. Et barbari quidem vix acquiescebant Anglorum contrariis asseuerationibus, sed persuasi erant, vagari adhuc duas eorum naues militariter instructas per Oceanum Eoum, ut infestarent non continentis duntaxat littora, sed & omnes omnium interciperent naues. Hanc tamen opinionem Arab Manuardus Prorex facile eorum animis exemit, & Anglis saluum comitatum impetrauit.

Calumnia
Lusitanorum
in
Anglos.

Hi igitur à d. XV. Octobris Mensis in terram egressi, & in oppidum Diul admissi sunt. Accedentibus præfecti & ministri Teloniorum occurrerunt, eosque vsque ad arcem proregis deduxerunt. Erant autem Telonæ illi plerique omnes natione Beniani, callebantque linguam Lusitanicam, & tanta importunitate excutiebant Anglorum vestes, ut & calceos pedibus detraherent, si quid secum clam inferrent rerum preciosarum, non persoluto vectigali. Ferentibus ægre rem illam Anglis, responsum est, ita morem regionis postulare: vnde acquiescendum illis fuit. Deduci fuerunt post hæc aduenæ Angli ad diuersorium Roberti Schirleii, qui per id tempus ibi commorabatur, liberaliterque ab eo sunt habitati. At Thomæ Schirleio, Equiti Anglo, qui ad Indorum regem Legatus destinatus fuerat, omnis mora in

Diul.

Diul. Sindam longa visa est, utique cum resciuisset, Lusitanos conuiente Præfecto etiam vitam salutemque ipsius appetiuisse. Vt igitur insidias effugeret, petiit ab eo, ad oppidum Tattam discedendi licentiam. Negante Præfecto, & suis seuero edicto interdiciente, ne quis ei nauigium aut scapham præstaret, Thomas colligatis arboribus vacuisque dolis ratem sibi confecit, cuius beneficio fluuium traiecit. At præfectus discessum eius iniquo ferens animo, triginta equites misit, qui præeuntes Anglos celeriter insecuti, eos ad præfectum reduxerunt, qui eos aliquandiu in vinculis habuit: ad extremum tamen dimissos, Tattam proficisci iussit. Huc cum venissent, à Satrapa illius urbis Persa comiter habitati, ibi tantisper commorati sunt, donec commodior occasio Agram proficiscendi se offerret.

Legatus
Anglicum
clam disce-
dit.

Huc cum Legatus Anglicus postmodum venisset, à Magno Indorum Rege magnifice exceptus, primum omnium super iniuriis quæstus est, quod à præfectis eius male habitus fuisset. Vocati sunt omnes, qui eo nomine accusati fuerant, ad Aulam, ut ibi causam dicerent, sed cum Legatus ad Persarum regem properaret, lis illa interquieuit.

Venit Agra
ad Magnū
Mogol.

At Angli qui apud Diul. Sindam mercandi causa substiterant, sine fine Lusitanorum calumniis appetiti fuerunt, qui illos non dubios Piratas esse affirmabant, & ne muneribus quidem parcerant, ut iis in commodum crearent. Nihil tamen his omnibus apud præfectum impetrauerunt, qui eo plus præstitit Britannis benevolentiae, quo magis iis Lusitanos insidiari animaduertebat. In cuius rei signum quatuor Asturcones Thomæ Povvello & Iosepho Salbanco, qui inter Anglos facile primi erant, donauit, eosque cum sociis ad se in regiam vocauit. Ingredientibus per ciuitatem Anglis ingens concursus hominum fuit, qui Britannicæ nationis viros antea non viderant. Stabant ad vtrumque principalis plateæ latus armati milites, qui transeuntibus securitatem præstabant. Ingressis regiam assurrexit Prorex, eosque humaniter excepit, gratum sibi in prouinciam eorum affirmans aduentum: sperare se tamen, eos in mercatura sua, cuius nomine tot modis à Lusitanis turbarentur, non minora quam Hispani penderent, persoluturos vectigalia: id enim si fieret, regis sui indignationem nec ipsum nec illos effugituros. Accedebat autem vectigal quod Lusitani pendebant annuum ad XL. millia Thalerorum. His variis subiunxit Prorex quæstiones, multa sciscitatus super mercibus, quas Angli attulissent, qui quasdam retinuerunt, quasdam indicio auxerunt, pro ut commodum visum fuit: ita tamen ad extremum responderunt, ut dicerent, minus prima hac expeditione aduectum ab se mercium, quod, quæ sit in illis locis negociandi ratio, ignorauissent; imposterum tamen longe instructiores venturos. Acquieuit his dictis Prorex, & percunctatus est ex iis de tempore reditus eorum: qui de XXII. duobus mensibus responderunt. Sic & imposterum de mercibus & diplomate liberæ negociationis inter eos conuenit.

Cum ad hunc modum omnia ex vtrorumque sententia peracta fuissent, venerunt ad nauem Anglicanam quidam Lusitani, qui inferioris Germanicæ dialecto loquebantur atque querebantur, ereptum mercatoribus suis ab Anglis nauigium, idque repetebant. Pernegantibus id Anglis, cum multa vtrumque verba facta fuissent, constitit ab Hollandis id nauigium raptum fuisse: Sic igitur controuersia illa finita fuit, & Lusitani multa pro more suo liberaliter polliciti, ad urbem sunt reuersi.

Igitur Angli, cum decreuissent, ut quidam ex eorum numero Agram terrestri itinere proficiscerentur, a. d. VI. Nouembris sublatis Anchoris altum petiuere Oceanum, cumque sibi de aqua & victu prospexissent, tertio die post Sumatram Insulam petiuerunt, vbi a. d. XXVIII. ad Tecoum oppidum appulerunt, sed multo maius ibi pipetis inuenere precium quam opinati fuerant. Quæsti igitur apud præfectum oppidi, responsam aliud non acceperunt, quam expectandum esse, donec viliori venderetur. Infelicem igitur deserentes locum, a. d. VIII. Decembris Mensis solutis anchoris recta Bantam petiere.

Angli Su-
matram &
Bantam
petunt.

CAPUT II.

Gualteri Peytoni nauigatio in Orientalem Indiam.

ANNO à nato Christo M. DC. XIV. Ianuario Mense nauigationem in Orientalem Indiam suscepit Gualterus Peytonus, magnæ celebritatis Nauarchus, præfectus quatuor nauium, quibus hæc erant nomina. Primæ, Expeditioni; secundæ, Draconi; tertiæ, Leoni; quartæ, Græno Piperi.

Alia nauigatio
Anglorum
in Indiam
Orientalem.

A. d. XXVI. Martii Mensis ad occidentale littus Forteventuræ appulerunt; quo loco non tantum est, Thomam Roaum, magni nominis Equitē Anglū, & Iacobi Regis nomine ad Magnū Indorum Monarcham Legatū vna nauigasse, cuius in priore libro multis locis mentionē fecimus.

T 3

cius.



cinus A. d. XV. Aprilis in *Portu Soldaniae* anchoras jecerunt, & postero die decem è sociis instructos armis lustrare terram iusserunt, sicubi refectionis aliquid nancisci possent. His barbari radicem quandam obtulerunt, grati saporis, quam ipsi *Ningin* vocabant, Iaponibus etiam probe cognitam.

Mohelina Insula.

A. d. XXII. Iunii quatuor illæ naues ad *Mohelinam Insulam* appulerunt, & varios cibos, ligna & aquam potabilem pro suo arbitratu, nemine repugnante, ibi adeptæ sunt. Colunt autem Insulam illam permixti *Aethiopicis Arabes & Turcæ*, in quibus non pauci *Hispanicæ* linguæ notitiam habent. Ostenfus ibi est *Anglis* fluuius admirandæ naturæ, qui diebus quindecim in Orientem fluit, alteris quindecim diebus mutato cursu in Occidentem fertur, tertiis XV. incertis fluctibus vagatur, compereruntque *Angli* non vanum illum aut mendacem esse rumorem.

Fluuii mirum ingentium.

Vigesimo nono Iulii cum ad *Domam*, quod oppidum in *S. Laurentii Insula* est, in anchoris subsisterent, venit ad *Anglos* naus barbarici generis ab *Gangamora*, inter præcipuas merces vehens pannos, non è filo laneo, aut lino, sed corticibus arborum tenuissimis contextos. Est autem *Domam* oppidum pro captu barbarorum mediocre, vltta centum ædificiis constans, quæ è limo & lapide structa sunt, firma satis & capacia. Ciues eius sunt comes & humani, bonis vtentes legibus, mercaturæ dediti, vt qui in *Melindam*, *Mombazam* & *Arabiam* negociantur, vt & in *S. Laurentii Insulam*. *Mangonium* hic frequens mancipiorum *Aethiopicis* generis, cum hominem seruum hic decem nummis *Regalibus* possis emere, quem in *Lusitania* decuplo tanti queas vendere. Proximum ab hoc mercimonii genus est ebur.

Galentia portus in Socotora.

XX. die Augusti *Portum Galentia* in *Socotora* inuecti sunt, vbi tanta fuit oborta tempesta, vt patum abfuerit, quin, quod dicitur, in ipso portu naufragium facerent. Porrigitur autem ea pars *Socotoræ* in *Aquilonem*, sub XII. gradum & XXX. minutias ab *Aequatore*, & abest ab loco qui dicitur *Abbadelcuria* milliariibus VIII. *Germanicis*, & totidem à promontorio *Gwardafuy*. a. d. X. Septembris ingentem vim alitum hæcti sunt, quos vehemens ventus ab littore raptos ad naues eorum adegerat. Duodecimo die post missi fuere *Suratum* mercatores aliquot, vt *Anglis* diuersoria in ea vrbe pararent, qui ita ab *barbaris* excussi sunt, vt vix quicquam rerum suarum retinuerint.

Roam venit Suratum.

A. d. XXV. Septemb. *Thomas Roæus* Legatus pro Rege *Angliæ*, & cum eo *Nauarchus* cum omnibus mercatoribus & sociis naualibus ex *scensionem* in terram fecerunt. Erant cum iis milites circiter LXXX. quos dux eorum velut in acie militari constituit, & ter explodere sclopetos suos iussit. Hos secutum est tonitru machinarum ænearum ab nauibus, à quarum malis etiam vexilla cum armis regis *Angliæ* explicata fuerunt. At magistratus *Suratenses* in suis se continuerunt tentoriis, vni illi rei intenti, vt res ac sarcinas *Anglorum* quam diligentissime excuterent, cæi tamen eorum conari *Roæus* acriter restitit. Iurgantibus ad eum modum *Anglis* *Persisque*, postremo hi obtinuerunt, vt moris seruandi causa quorundam ex infimo inter *Anglos* ordine sarcinæ peruestigarentur: ipse porro omni ope annexus est, ne sua conuentia dignitas & splendor nominis *Anglicani* aliquis caperet detrimenti, sed sua constaret *Iacobo* Regi etiam in ea *Orientis* parte auctoritas.

Angli diu apud Suratum morantur.

Manserunt *Angli* in Vrbe *Surato* per reliquum illius anni, & vsque in mensem Martium sequentis, cuius mensis die tertio profecti, ad *Calecutum* illustre apud *Indos* Emporium appulerunt. Excepit *Samorines* Prorex aduenientes magnifice, suum regisque sui desiderium cum hospitibus colloquendi testatus, precatuque simul, vt duorum triumue dierum moram grauari non ferrent. Vetterunt hæc in commodum suum *Angli*, & alimoniam aliasque res nauigantibus necessarias, vili sane precio coemptas, nauibus magna copia intulerunt. Obtinebant per id tempus *Lusitani* *Crangoloram* Arcem in primis munitam. Eam rex *Calecutensis* magnis viribus oppugnabat, quam cum aliquandiu obsedisset, petiit ab *Anglis* *Samorines*, vt eo appellerent naues suas. Placuit *Anglis* consilium, profectique eo, milliari vno à continente in anchoris subsistere. Vocauit ad se *Samorines* (à rege ita facere iussus) *Nauarchum*, qui ipse quidem venire superfeldit, quendam autem ex sociis, *Barclayum* nomine eo misit. Reiecit huius colloquium *Samorines*, seque in mandatis habere dixit, nulli mortalium præterquam ipsi *Nauarcho* secreta sua explicare. Venit ergo *Nauarchus*, & de omnibus rebus ad mercaturam pertinentibus, simulque de immunitate à vectigalibus & portoriis cum eo ex animi sententia transiegit. Constituerat autem *Nauarchus*, porissimam mercium partem, quam *Surati* reliquerat, *Bantam* transportare. Hoc vbi rescitit *Samorines*, voluit vt aliquot *Angli* *Calecuti* interim manerent, atque ita obtinuit.

Bellum regis Calecutensis in Lusitanos.

Igitur *Angli* confecta parte cursus sui, *Cochinum* vrbe præternavigantes, ad oppidum *Culam*

Culam venerunt, ibique nauem *Lusitanicam* in portu offenderunt, CCCC. onerum naualium capacem, quæ nuper à *Bengala* venerat, *Oriza*, fructibus *Indicis*, telis varii generis aliisque mercibus plena. Hanc adorti *Angli* facile obtinuerunt; *Lusitani* enim ad primum eorum conspectum in continentem effugerant. Sed & paulo post aliam nauem dedicatione ceperunt, inque ea præter merces ad XX. Viros *Lusitanos*, LXX. seruos præter puerorum mulierumque gregem adepti sunt. Hos omnes nulla præterea affectos iniuria interram exposuerunt, vehementer sibi à barbarorum in iis partibus metuentes perfidia.

Gignit mare iuxta *Suratum* vrbe magna copia vermes, qui instar teredinum nauium tabulas rodunt perfodiuntque, & sæpe naufragii causæ existunt. Ipsi incolæ, & qui totam eam regionem habitant, incultis moribus sunt, & *Idololatræ*. *Lambe* Insula est *Orientalior* quam *Sumatra*, optimum gignens *Piper*; nec minoris bonitatis quam *Priamanente*; sed & aurum probatissimum in ea effoditur: paret autem imperio Regis *Achinensis*. Cæterum ea est aeris in iis partibus malignitas, vt *Angli*, è quibus multi fonticis morbis affecti languiebant, longas moras ibi trahere non potuerint, nec, vt sperauerant, suis consulere emolumentis.

Teredines nauibus nocentes.

Lambe Insula aurifera.

CAPVT III.

Quatuor naues Anglicanæ & quinque Hollandicæ ad *Bantam* appellant. Hollandi à barbaris proditi perfide trucidantur. Mores & ritus *Bantamensium*.

ANNO à n. C. M. DC. XVI. Octobri mense *Bantam* venerunt quatuor naues *Anglicanæ*, omnibus rebus egregiæ instructæ, quibus paulo post se quinque *Batauicæ* coniunxerunt: cumque tot vtriusque nationis mercatores conuenissent, factum est, vt *piper* & cætera aromata multo pluris, quam fieri solebat, à barbaris venderentur. Interim *Hollandi*, nè ociarentur, factis in oceanum excursionibus, tribus nauibus *Hispanicis* vi potiti sunt: nec ea præda contenti, in eam rem vnice incubuerunt, vt etiam *Anglos* omni iure mercaturæ in illis Insulis excluderent. Et in Vrbe quidem *Bantamensi* vagantes per vicos & compita, aliquot *Anglos* interceperunt, compedibusque victos ferreis, ludibrii causa per vrbis plateas traxerunt, etiam in multis locis per Orientem *Emporia* sua constituerant, quorum hæc sunt nomina. *Bantam*, *Iacatra*, *Suratum*, *Amadaua*, *Agra*, *Cazmitum*, *Brampora*, *Calecutum*, *Musilipatana*, *Petapolis*, *Petania*, *Siam*, *Beniarmassa*, *Socodamia*, *Macaßera*, *Achin*, *Iambe*, *Tecoum*, *Ferando* in *Iaponia*, & *Banda*.

Hollandi piraticam faciunt.

Sed hæc insolentia *Batauis* non semper fuit impunita. Habebant in ea Insula *Hollandi* quatuor locis collegia mercatorum, & munimenta tria, quæ *Barbaris* erant velut vnguis in vlcere. Causa odii erat, quod *Hollandi* præcipuum incolarum templum in munimentum ad belli vsus conuerterant, quæ res ingens *Idololatræ* cordolium peperit, profanatum locum sanctum & sepulcra maiorum violata quiritantibus. Sed occulebant dolorem suum, & vindictam in idonea seruabant tempora. Accidit vt *Verhufius* *Thalassiarcho* *Batauis* cum multis nauibus ad Insulam accederet, cui *Bandenses* celeriter insidias struxerunt, rogantes *Hollandos*, vt in forum causarum venirent colloquii gratia: habere enim ciues querelas ob iniurias ab *Hollandis* acceptas quas in communi dicasterio ad *Thalassiarcho* deferre velent. Paruit *Verhufius*, & cum prorege profectus extemplo est, assumtis circiter CCC. è suis militibus cum armis. Hoc viso territus *Præfectus*, negauit recte facere *Verhufium*, qui tot stipatus militibus ad tribunal veniret, *Bandenses* enim pauore occupatos verbum prolocuturos non esse, nedum actionem in aduersarios instituere ausuros. *Simplicior* *Barbaro* *Hollandus*, dimisit à se milites, retentis secum duntaxat XL. viris primi nominis. Eum ad *Areopagum* Prorex blandis verbis deliniuit, omnemque insidiarum metum ademit, donec eum in locum amoenissimum, arboribus viridantibus vndique cinctum deduxit, vbi *Hollandi* ab *Insulanis* multis blanditiis excepti sunt. Confedere omnes ex disciplina nationis humi, ita vt semper inter duos *Bandenses* vnus *Hollandus* sederet medius. Signo dato repente quiuis *Barbarus* assidentem sibi proxime *Hollandum* acuto pugione per latus confodit. *Verhufio* caput à ceruice reuulsum est, & in manipulum militum eius, qui ante *Domum* Senatoriam ludibundi adstabant, coniectum, qui eo viso succidantur. *Trepidantes* inuasere *barbari*, & maie repugnantes in aliud Templum fuga se recipere coegerunt, vbi celeriter ex more vallo se atque fossa muniuerunt. Hac impietate *Batauorum* (vt putabant) irritati etiam magis *Bandenses* seruitia

Emporia Anglorum in Oriente.

Insidia Bandensium in Hollandos.

Hollandi à barbaris circumuenti trucidantur.



seruitia ad pileum vocauerunt, eosque in Hollandos profanatores sacrorum armauerunt: at serui propositis cum libertate maximis praemiis, secuti dominos, altera manu ardentem facem, altera gladium nudum praeferentes, eo furore adorti sunt Hollandos, vt expugnato munimento in censisque domibus, omnes ad internecionem occiderent. Haec pœna fuit stolidæ credulitatis Thalassiarchi.

*Incidium
in auctores
versum.*

Supererat aliud Hollandorum munimentum firmitus multo quam superius. Hoc etiam perdere nitebantur Bandenses, incensis vicinis domibus, & iam prope erat, vt Arx corripere flamma, cum omnis barbarorum spes repente collapsa est. Ventus enim subito conuersus, vulcanum ab Arce Hollandorum peropportune abegit, qui ciuium domibus correptis omnem in auctores eladem conuertit.

Porto nemini, qui Indiae Orientalis res aliquo duntaxat nomine cognitae habet, obscurum esse potest, quam frequens apud Bantam urbem sit ab omnibus orbis partibus metœtura, in primis piperis & aromatum.



*Emporia
Anglorum
in Iaua.*

Et Angli quidem nihil vnquam ab Insulanis hostile perpeffi sunt, sed comiter ab his & hospitaliter tractantur, vnde Hollandis vtique eo maiore odio sunt. Habent & Angli conuentus suos mercatorum peculiare, & horrea sua, apothecas atque repositoria, vt praecedens figura specimen eorum exhibet. Priamanensis tamen & Teoanus aer Britannis valde inimicus est, accedente immodico calore, vnde proniores ad potum non tam restinguunt sitim quam incendunt, genere potionis apud Indos vsitato, quod ex aromatibus decoquitur, & valde calefacit. Aracam barbari vocant, habetque vim inebriandi: eius nimia ingestione homines nautici facile malignas & ardentes febres sibi accerfunt, quibus misere extinguuntur.

Haud

Haud procul ab vrbe Bantamensi adest famosa Insula *Celebis* nuncupata, cuius incolæ *In Insula* humanis vescuntur carnibus: vnde consuetudo inoleuit olim in *Moluccis* Insulis, vt damnatos *Celebi An-* capitis in hanc deportarent Insulam, vbi certum erat eos ab Insulanis deuoratum iri. Ait *Ni-* *thropophag-* *colaus Numestius*, magnam huius Insulae esse amplitudinem, quodque minoribus aliis imperi- & tet. Populum in ea non esse nigri coloris, vt *Aethiopes*, sed albos, nec indecenti forma, quin & pulchra & firma membrorum compage.

Laborare tamen perpetuis bellis ciuilibus, quod plures in ea dominantur reguli, è quibus duos vel tres fidem Christi suscepisse narrat, & horum quidem subditos secutos exempla dominorum, terga sua rubea cruce notare solitos.

Haud longe alia est Insula, multo minor, *Sutcelebe* dicta, *Francisci Draconis* nauigatione clara. Parua hæc licet sit, syluis tamen ac nemoribus frequens est, in quibus de nocte igneo *Vermiculi* splendore coruscantes vermiculi volitant, & arborum ramis inhærescunt: qua re conspecta, *igneo ful-* Angli totam syluam conflagraturam opinati fuerunt. Testudinum hic & piscium *Britannis* ingens est obiecta copia, quibus plerisque ea fuit corporis magnitudo, vt singuli quinque senif- *gore illu-* que famelicis nautis in cenam sufficerent. Est autem id piscibus istis ingenium, vt fodiendo *stris.* litus subter aquam specus & latibula sibi excauent, velut apud nos cuniculi faciunt, in quibus ipsi postea prætenso reti capiuntur.

Narrat *Edmundus Scotus* adulterii crimen apud Bantamenses capitale esse, nec hic duntaxat, sed per vniuersam Insulam solere lauenfes, qui honestioris sint conditionis, *Mores Ia-* vxoribus suis, quas singuli singulas in matrimonio habent, multas coemere seruas, qui- *uanen-* bus tamen ipsi viri postea ceu concubinis vtantur. Eatamen multitudo ancillarum mul- *sum.* tis paupertatis causa existit, cum aliqui tricenas vel quadragenas domi alant. Gladius vtuntur sine potius sicis bipedali longitudine, veneno imbutis, vnde ictus eorum fere lethales sunt. Instrumenta Musica apud eos reperiuntur varia, nec nostris hominibus nota: ipsi Iauanenses Idololatæ sunt, adorantes statuas diabolicas: fraudulentis, subdoli, furaces, ocio vsque ad mendicantem dediti. Multi hic habitant *Chinenses*, quibus eadem quæ Insulanis superstitio est, fore vt piis & virtutis studiosis post hanc vitam bene sit, qui vero scelerate vixerint, eos in serpentes, vespertiones, bufones aliasque impuras bestias permutatum iri.

Novilunij tempus ad sacrificia sua & solennes preces obseruant, subinde nolis at- *Sacra Ban-* que crepitaculis tinnientes: maiores campanas non impellunt, nisi cum quis morti vi- *tamen-* cinus iudicatur. Idolis suis super lapideas aras constitutis varia eduliorum genera proponunt, carnes auium, caprarum, ferarum, aliquando crudas, interdum coctas, quas tamen ipsi exultantes absument. Sunt inter eos nonnulli rei Astronomicæ non imperiti. Sabbathi dieiue festi ne nomen quidem nouerunt; feriæ apud eos arbitrariæ, & ferre antequam magnos labores aggrediantur. Sagæ inter eos sunt & venefici, qui lymphaticis similes per plateas cursitant, vibrantes nudas manibus siccas, & vellicantis comam, seque ipsos humi abiicientes. *Chinenses*, qui hic commorantur, si Insulanos imitari capillos desecent, perpetuo damnantur exilio, negato in patriam reditu. Alunt hi concubinas ex feruarum genere, quas tamen pro lubita vendunt, etiam si ex iis prolem susceperint.

Aethiopes & *Turcæ* qui hic degunt, plerique cum re lauta sunt; domicilia habent intra ipsa oppidi mœnia, inque iis Lararia sua siue sacella more Mahometano. Ceteri peregrini, qui hic sunt magno numero, in suburbiis commorantur. Mahometi legem qui sequuntur, clam vinum ab Europæis emunt, & eo nocte se inebriant, metu pœnæ. Intrauit autem Mahometismus hanc Insulam & Urbem anno demum AN. C. M. D. LX. In vniuersum omnes huius Urbis incolæ videri possunt Epicuri de grege porci, ita tam viri quam mulieres nullæque rei de diti sunt, quam voluptati & turpibus libidinibus.

Navigatio quinquennalis Arnoldi Brunonis Angli, in Iauam, Patanen, Iapontam, Manillas, Macaonem & Sinarum regnum, quam ab Anno 1617 vsque ad annum 1622. confecit.

POSTEA QUAM Arnoldum Brunonem Equitem Anglū cupido cepit, perlustrandi celebriores Orientis Prouincias atque Insulas, soluit is ab litore Anglicano, a. d. XVII. Februarii mensis anno Salutis M. DC. XVII. directo cursu ad Insulas, quae vulgo Banticae appellantur, peractaque aliquot mensium laboriosa navigatione XX. Iunii die apud Soldaniam appulit. Commorante Brunone in eo portu, intrauit naus Bataua, cui Diabolo Delphico nomen erat, opimis onusta spoliis. Hollandos imitati Angli a. d. XX. eiusdem Mensis naue Lusitanica à Mozambica veniente potiti sunt: & a. d. XIV. Augusti, Carricum Lusitanorum municipium armis tentauerunt, à quibus LXXX. millia Regalium nummorum maiorum obtinuerunt, ita tamen, vt sine maleficio discederent. His variis expeditionibus Angli valde attenuati, vix regendae seruandaeque nauis suae satisfecerunt; vnde conspecta paucitate sua apud Palambam circumspicere de caeteris Anglorum nauibus ceperunt. Verum Anglici quidem generis nauigium nullum inuenerunt, decem vero Hollandicas naues aduentantes conspicati, vehementer territi, fuga se seruare conati sunt. Sed Hollandi pauore eorum viso, ne fugerēt, illis acclamauerunt, sed vt ad se in suam venirent praetoriam cohortati sunt. Paruerunt Angli, & ab Thalassiarcho Batauo in naues distributi, interque socios adscripti sunt. Postero die venerunt in portum Palambanum tres naues Anglicanae, quas Bataui jam ante exspoliauerant. His visis, & insuper intellecta Nauarchi Dalii aliorumque Anglorum primi nominis morte a deo laetati sunt Hollandi, vt etiam ignes hilaritatis publicae indices excitarent, & conuiuia agitent.

Anno A. N. C. M. DC. XX. a. d. XV. Martii Robertus Adami Nauarchus Anglus, cum nauis sua, cui Tanyo nomen erat, ad Hollandorum classem venit, laetumque vtrique nationi de pace & compositione inter Anglos & Hollandos attulit nuncium. Vagabantur vtrique inter Lacatram & vicinas Insulas in alto Oceano, cum Hollandi quos penes se habebant captiuos Anglos, sine mora suis restituerunt, quos Robertus in suam recepit nauem, qui ob rem bene gestam ab vniuersis Anglis supremus Praefectus quinque Britannicarum nauium in Iaponico litore creatus, & ab Hollandis securitatis ergo eo deductus est. Ipse vero Hollandi Manillas Insulas petierunt.

A. d. III. Ianuarii anno Salutis M. DC. XXI. tres naues Anglicae & duae Batauae inita societate, praeteruectae Cochim, ad Trium Regum Insulam postero die ad Insulam Longam appulerunt, vnde hinc inde Philippinarum Insularum littora depraedationibus infesta fecerunt. Eiusdem Mensis die XXVI. nauis Bataua, cui nomen erat Bona Spei, nauigium Chinesense incepit, quae à Portu Tundensi veniens Manillam oppidum petebat. Intellexere ab Chinesibus Hollandi, subsistere in eodem portu adhuc duas Chinesium naues variis mercibus onustas. Has vt occuparent, celeriter eo profecti Hollandi, tam propitiam habuerunt fortunam, vt vtramque deprehenderent, laetis potiti spoliis. Vltimo denique Ianuarii die iterum duas Iunquas (nauigii Sinici id genus est) adepti, ablatis mercibus vtramque cremauerunt.

Cauerta Portus est inter Philippinas Insulas celebris & spaciosus. In eo stabant sub anchoris sex Hispanorum naues praegrandes, militariter instructae, mercibus vero vacuae. Videntes Hollandi & Angli, operae precium non fore, si eas oppugnarent, fulminantibus insuper ab vicina arce Hispanis, omissis illis abierunt. Vt autem Sinarum naues mercatorias eo expeditius intercepte possent, diuisit se classis, & diuersas vias institere naues. Nec caruit successu consilium: multas enim minores Sinarum naues hinc inde interceperunt & bonis spoliauerunt. Erat Chinesis nauis grandiuscula, viris armisque satis instructa. Hanc adorta Hollandica Celox, expugnare tamen non potuit. Successit Liburnica Anglorum, & victoriam obtinuit, deditibus se Sinis. Irati Hollandi, etiam contra nitentibus Anglis, dedititios omnes ab puppi in aquas praecipitatos submerferunt. Displicuit ea saeuitia multis Anglorum, non ignaris, lenitate & beneficiis potius deuinciendas illas gentes, quam crudelitate,

litate, vnde ipsi plerisque viuos dimiserunt, eaque bonitate & clementia ingens sibi apud omnes gentes Orientales peperere nomen.

Aliquot diebus post Angli vela sua ad Macaonem Vrbem Lusitanorum direxerunt: quod dum tendunt, repente se conspectui eorum offerunt XL naues Hollandicae: quae nullo dato amicitiae signo, vt inter foederatos moris est, recta oppidum petierunt, scaphisque ac lembis circiter mille viros in litore exposuerunt. At ciues Macaonenses, qui eorum aduentum longe ante prospexerant, atmati, tanta vi in eos irruerunt, vt Bataui amissis circiter CC. è suis referre se in naues cogentur. Angli conspecta ea re, frustra se ibi fore animaduertentes, alio eundi ceperunt consilium, & SUMATRAM Insulam petierunt.

Est haec omnium Insularum in eo Oceano amplissima & veluti Regina, CCC. miliaria habens in longitudine, & C. in latitudine. Aer hic insalubris noxiusque exteris, cum eam circumculus Aequinoctialis prope fecerit mediam: aquis tamen fluuialibus abundat. Sagui frumenti genus est apud hos vltatissimum, post id Oriza & fructus arborei, Rem potissimum faciunt ex diuendito pipere, g. ngibere, cinnamomo, materia serica, laerpitio, & metallis, auro, stanno, ferro. Praecipuo in ea regno nomen est Campa; arboreis id gignit, cuius flores auro ab Indis aequi parantur. Sumatrenses, qui loca maritima colunt, Mahometifere sequuntur delicia, quae maiores eorum jam ante C. annos amplexi sunt: interiores gentiles sunt & Idololatrae, interque eos non pauci ante Lusitanorum aduentum humanis victitauere carnis.

Diuisa fuit olim tota Insula in XXI. regna siue principatus: hodie pauciores sunt. Praecipui sunt Pedirensis, deinde Acemenis, quam prouinciam quidam Abrahamus nomine, homo seruus, cum Septentrionali Insula parte occupauit, ibique sibi regnum constituit, adiutus auxilio Turcarum & Arabum, quorum etiam opera negociationes in Malaccam impediuit. Is Abrahamus potitus regno elocauit filiam suam Regi Iorensi, eique inter alias diuitias dotis nomine dedit tormentum aeneum bellicum, praecipue longitudinis, tam eleganter & artificiose elaboratum, vt simile quidpiam in vniuerso orbe Christiano reperiri negent.

Est in Sumatra Mons satis editus, perpetuo sulfureas eructans flammam: nec procul abest fons salientis aquae, cui praestantissimum innatare Balsamum aiunt: estque in vniuersum ea huius Insulae bonitas, vt veteribus Chersonesus aurea dicta à multis existimetur. Galuanus in descriptione Sumatrae ait, Androphagos Bacas dici, & montana Insulae incolere, dentesque suos inaurare solere: eosdem pro comperito habere, hominum nigrorum siue Aethiopum carnes suauiores esse gustu quam albicantium. Sed & boum atque caeterorum animalium carnes apud eos nigricare. Nicolaus vero Contiis non veretur scribere, Sumatrenses plerisque omnes suo aeuo Anthropophagos fuisse, quin & eorum quorum deuorauerant carnes, inaurare solitos crania, & pro preciosis cyathis habere, eumque inter ipsos ditissimum haberi, qui plura eiusmodi pocula praeter ceteris possideret. Varro-tomannus vt eos moneta aurea ait, in cuius altera parte expressa sit imago Cacodæmonis, in altera Elephanti ad currum instar bigarum iuncti. Non desunt huic Insulae solertes artifices & mercatores ingeniosi, habentque naucleros & remiges pro captu barbarorum satis peritos, qui naues, quas peculiari fabrica construunt, mira celeritate impellere & circumagere possunt.

M. rum quod Cornelius Hutonus scribit de Alaumo Sultano, fuisse eum primo piscatorem, rebus autem nauali bello praclare gestis, amitam regis vxorem meritum fuisse. Hinc Thalassiarcho eum creatum, & mortuo Rege, haereditis filiiisque eius Tutorem constitutum fuisse. Cum autem petosus Tutorium nomen ad regnum ipse adspiraret, & proceres sibi impedimento fore intelligeret, crudeli astu vsu, mille vires ex optimatibus immolauit, scilicet vt defuncto regi in altero illo seculo ministrarent, euectis in eorum locum humilibus plebeiisque hominibus, quorum opera regnum consecutus sit. Ad centum annorum senectutem hunc peruenisse aiunt, & à filio maximo natu administratione regni memorum, & ad priuata vitam redactum fuisse, quod parum videretur ob senium aptus ad regnandum. Fecerat Alaumus jam ante minorem filium Regem in Pedir: qui miseratus vicem decrepiti parentis, fratri bellum intulit, in quo vtrunque multi Sumatrenses perierunt.

Venerunt primum Angli in hanc Insulam regnante Elisabetha, quod nomen adhuc apud barbaros in summa est veneratione, vtrique postquam ex Anglorum relatione acceperunt de victoriis, quas Angli regnante viragine illa de Hispanis reportauere, cumque ab eadem peruenissent litterae, Legatus Britannicus ab Rege Insulae magnifico exceptus fuit conuiuio,

*Elephantis
grandes in
Sumatra.*

uiuio, & aurea veste donatus, qui & mercatoribus Anglis per totum regnum negociandi libertatem & egregias immunitates impetrauit. Munera idem rex Reginae dedit, sex Elephantos ad tympanorum sonum incedere & tripudiare doctos. Magna his belluis in Sumatra Insula vastitas, altitudo eis XIV. pedum, in dorso turrim ferunt eleganter exornatam. Eiusdem generis animal Legato quoque misit Rex, vt eo vectus in regiam veniret, nec tamen ante quam à rege vocaretur.

Aliquot diebus post instituit Rex aliud conuiuium in honorem Reginae magnificum. Patinae ac disci, quibus inferebantur fercula, erant vel è solido auro, vel metalli genere, quod insulani *Tambicam* vocant, estque aurum æti cyprio permixtum: vini loco erat decoctum *Orixæ* addito saccharo & aromatibus, cui eadem est virtus & ad calefaciendum vis, quæ nostro vino distillato siue *Aquæ vitæ*. Finito conuiuio, concubinae regiae introductæ choreas agita- uerunt, quæ res sigillatim Anglorum honori data fuit, cum illæ raro alias conspiciantur. Discessuris ab Insula Britannis Rex litteras ad Reginae Angliæ cum Regiis muneribus dedit, & à jamiâ ingressuris nauem Anglis, petiit, vti Psalmum aliquem (audiuerat enim de Psalmis Dauidicis) canerent. Cecinerunt Angli suo modo Harmonice modulantes: contra Regii & ipsi concinentes hymnum aliquem responderunt, estque sic discessum.

*Excubia
Aulicæ.*

Tres sunt circa Aulam regis excubitorum stationes, totidemque muri, intercedenti- bus arcis viridanti cespere opertis. Ipse rex à nemine foris versante conspici potest, cum tam è videre ipsus queat omnes ingredientes & exeuntes. Parietes domus regiae exornati sunt au- læis & peripetasmatis ex aurea & serica tela. Cum sedet, Turcarum modo crus alterum alteri quincuncis in modum imponit, ad vtrumque latus sicæ binæ humi positæ sunt, capulis au- reis & gemmais. Ministeria pleraque circum eum peragunt mulieres, personatæ & comæ- dias agitantes, & cætera obeuntes seruitia: neque quicquam ex illo Sardanapalo auditur aliud, quam fescennini sermones & venerea colloquia. Aliquando etiam oblectat animum commissis ad pugnam gallis gallinaceis.

*Supplicia
atrocia.*

Supplicii genus maleficis haud fere aliud irrogatur, quam vt iis manus atque pedes am- putentur. Qui superstites euadunt, ita mutilati in *Pulo-Veiam* Insulam deportantur. Quos ce- leri morte in:erimere volunt, elephantis lacerandos obiciunt, vel palo in corpus adactò sco- lopizant, quæ res eos mox è medio tollit.

Ad varios regis vsus semper præsto sunt centum trirèmes, fere coopertæ stragulis um- bonibusque, trahunturque singulæ à CCCC. remigibus. Præfectura earum trirēmum mu- lieribus committitur, cum parum fidat viris homo mulierosus.

*Sacra-
que Sacra-
dotes.*

Sacerdotes & Clerici apud eos non vnus generis aut ordinis: orantes globulos di- gititerunt, & numerant preculas. Sunt & inter eos Prophetæ, veste à cæteris differentes, quibus plusquam cæteris religiosis habent honoris. Defunctorum corpora in campis aper- tis sepeliunt, capite versus Mechem Arabiæ conuerso ad caput defuncti saxum ponitur, cui nomen sepulchri incisum est. Monumenta regum preciosissima sunt, operculis testæ aureis, constatque, regem qui nunc rerum potitur, extruxisse sibi Mausolæum, cuius ornamenta au- rea ducentarum librarum sunt, intercedentibus crebris gemmis atque margaritis.

Instituunt quotannis peregrinationem quandam religiosam ad præcipuum quoddam templum, & ad eam Mahometum Pseudopropheta inuitant, cui & Elephantum preciosis vestibus stratum offerunt, vt si velit, ei insideat. Ad sunt & alii Elephanti XL, quibus viri Illu- stres in regno vehuntur, Rex vero peculiari insidet maiori cæteris. Vbi peractæ sunt ceremo- niæ, & Mahometus nullus venit, rex sessore vacuum inscendit Elephantum, reditque ita ad Regiam, & totus cum eo comitatus, & sic satisfactum est ei religioni.

*Thomas Be-
stus Na-
uarchus
Anglus.*

A. d. XII. Aprilis anno A. N. C. M. DC. XIII, in Portum *Acheni* oppidi Sumatrae Insulae appulit Nauarchus quidam Anglus, cui nomen erat *Besto*, estque ab rege illo exceptus hono- rifice; nam rex vnum ex suis Elephantis ei misit obuiam, ipse paulo post sequutus est alii infi- dens preciose instrato, sequentibus circiter III. puerorum millibus (prodeunt enim regi pue- rorum caterua præsto est, domi seruiunt ei mulieres) qui officia varia obibant. Litteræ regiae exceptæ fuerunt disco aureo & à duobus gestatæ nobilibus. Secutus est Legatus Anglus co- mitatus L. viris partim militibus partim mercatoribus. Intransem Oratorem rex barbarus ad spectacula deduxit, quæ sane puerilia erant, pugnantibus inter se gallinaceis, & incurstantibus se mutuo arietibus. Producti postea in arenam fuerunt Bubali & Elephanti mansueti & dociles. Sedebat rex, & dum spectaret, interim Tabaci herbæ fumum ex argenteo tubo ore attrahebat, mulieribus, quæ pone à tergo subter conopæo stabant, subinde nouam fumo materiam parantibus. Hinc ex nœ factum initium, cibi que à pueris XIV. annorum illati om- nes, in discis ex metalli genere quod auro & ære mixtum erat. Protractum est conuiuium istud

*Productum
ex opere-
sum conui-
uium.*

istud à septima hora vespertina vsque ad duodecimam nocturnam, fueruntque illata mensis ad CCCC. fercula, neque tamen pro tanto ciborum numero perpotatum.

Postero die Rex Nauarcho Anglico Elephantum misit, vt eo veheretur, quod nulli nisi de consensu regis permixtum est, misitque nonnullos è nobilibus aulæ comitiis qui ei sem- per præsto essent, & quocunque iret, securitatem præstarent: qui hos lateris stipatores non habet, parum tutus est, nisi præferatur ei gladius siue sicca regia. Decretum ibi factum est, vti transactio & pacta inter Anglos & Insulanos, quæ cum Iacobo Lancastrio inita fuerant, im- posterum sancte seruarentur.

*Vanitas
iactantia
regis Su-
matra.*

Litteræ, quas Rex Sumatrae, qui se in iis *Pedruccam Sirien* vocat, ad Iacobum Britanno- rum regem misit, tam arroganter, stulte & pueriliter scriptæ fuerunt, vt ineptum putaueri- mus, eas in linguam latinam translatas, huic historiae inserere, cum nihil loquantur præter inanes iactantias diuitiarum & ostentationem potentiae. His ampullis velut in antecessum proiectis, pergit rex narrare, quanto desiderio afficiatur continuandi cum Anglis fœderis & amicitiae, petique eam sancte coli atque conseruari. Postremo textit catalogum munerum, quæ mittebat Iacobo regi, describitque omnia accuratissime, velut institor quispiam, & qui ea vendere Anglis velit, non donare.

Agebat tunc rex ille Achinensis in Sumatra ænum XXXII. eratque corpore satis va- lido & compacto, bellator strenuus, terra marique potens; regnum eius abundat populo & Ele- phantis, vt Angli CLXXX. aliquando vno agmine ingredienti viderint. Naues eius onerariæ atque trirèmes tormentis æneis affatim instructæ sunt. Regia eius ædificiis splendida est, non tamen munita ad sustinendum hostilem impetum. Omnia hic amœna sunt, & semper virent arbores, ducto à vicino fluuio, qui è montanis Insulae profluit, canali ad arcem, & per mediam eius aream deriuato, qui & omnem eius claudit ambitum. Ipsa Insula multis editif- que montibus attollitur, populus comis est & hospitalis, neque tamen vlli peregrino sine permissu regis aut primi Præfecti pedem in ea ponere fas est.

*Aula regis
Achenis.*

Maturanti discessum in patriam Thomæ Besto, mandata dedit rex: vt salutaret regem Britannum: vt sibi ab eo impetraret, duas mulieres Anglicanas, albisimo corpore: se enim, si ex alterutra earum congressu suo imprægnata filium susciperet, cum regem Priamane sem- vel Passamanensem facturum, eique commissurum imperium eorum locorum in quibus An- gli piper & alias merces Indicas coemere solent: vt quam quidem rem ipsis Anglis maxime profuturam aiebat. Cæterum Rex iste animo est truculento & implacabili. Viderat vir qui- dam Illustris ortus genere vxorem eius nudam in balneo, quæ curiositas misero isti peius er- iam cessit quam Ouidio Poetæ, vel Aetæoni: iussit enim rex vtrumque ei effodi oculum. Si quis supra conditionem vitæ & dignitatem splendide vestiatur, capitis sine mora adit suppli- cium. In irroganda morte variis & exquisitis vtitur tormentis: quosdam enim viuos in Oleo coquit, alios in quatuor partes difsecat: nonnullos verubus affixos viuos torret, & quæ præ- terea sunt crudelitatis genera. Regnantibus maioribus eius, cum bellum gereretur apud Ma- laceam, venerunt in Sumatram aliquot Lusitani, in consulto Mag. stratu. Hoc Sumatrenses ex- ceptos per insidias, ad eum qui tunc dominabatur regem adduxerunt, qui omnibus virilia penitus & ab radice excindi iussit.

*Petita eius
dem regis.*

*Error Oui-
dianus.*

A. d. X. Iulii anno Salutis M. DC. XIII. misit rex Achinensis circiter CC. naues, partim trirèmes partim liburnicas & celoces aduersus regem Iohorensem, quibus Laxamanum du- cem copiarum suarum præfecit, qui ea est vsus prosperitate, vt regnum Iohorense & Siaque- num armis subegerit, regemque captum vna cum quibusdam Hollandis, quos ibi deprehen- derat, Achinum perduxerit. Apud Tecoum oppidum diutius hærentes Angli XXV. è suis a- miserunt: quamuis enim aer illius oræ pestilens est & malignus, abstinere tamen ea mercato- res non possunt, quod plurimum ibi nascatur piperis.

Ad sextum à Sumatrae vrbe Achino milliare abest alia Insula, *Sumbra*, cuius incolæ flauo tincti sunt colore, nudi maximam partem corporis, & picti variis pigmentis faciem. Sa- cerdotes tamen eorum cum sacra faciunt, veste vtuntur, sed ita stricta & angusta vt omni- bus membris adhærescat velut agglutinata: à capitis operimento duo eminent cornua, pen- dente supra nates cauda veruecina. Rogati huius deformitatis causam respondent, Diabo- lum sibi non alia quam hac specie apparere & futura pandere. Idem faciem suam colore vi- ridi, crines atro & flauo tingunt, vt horribiliores appareant, & vix quicquam in iis se conspectui offerat, quod humanam figu- ram repræsentet.

*Mirabilia
Sacerdotis
habitus.*



Continuatio aliquot Navigationum Anglicanarum in diuersas partes Orientis. Dolus Indorum aduersus Anglos. Pugna naualis Anglorum & Lusitanorum. Vincunt Angli, qui vicissim ab Hollandis vincuntur.

*Angli in-
terdici-
ta
negotio
per India.*

POST QUAM Lusitani calumniis suis apud Indorum Monarcham, qui vulgo *Magnus Mogol* dicitur, tantum effecerunt, vt Anglis edicto regio omni per eas partes negotiatione interdiceretur; non consultum visum est *Thomae Hauquino* vltiores ibi moras neccere: accedente alia quoque causa, quod Iesuitae eum clandestinis suffutris apud *Macrob Chanum* alioq; regni proceres in odium adduxerant. Nec tamen diu haec Lusitanorum cum Indis durauit amicitia, ortis simultatibus inter Praefectos Magni Mogol & Proregem Goæ. Erat tunc Prorex Indiae Hispani Regis nomine *Andreas Hortadus Mendoza*, qui iratus Mogolianis omni negotiatione versus Cambaiam & in Sinum Gangeticum suis interdixit. Crescentibus ergo odiis vtrique ad comparandas classes se accinxerunt, vt bellum nauale gererent. Cæterum haec tempestas, vt cito exorta fuerat, ita celeriter deferbuit, vtrique postquam Hispani de Anglorum discessu intellexerunt. Dum haec aguntur, Suratum venit *Henricus Middeltonus* Eques Anglus, scilicet vt ibi negociaretur; sed ab incolis partim circumuentus, partim irrisus, cum aliquantum perdidisset temporis coactus est aliam inire rationem, vt acceptum in illis locis sarciret damnum. Velis igitur factis, reclusa fauces Sinus Erythraei petiit: delatus ad celebre Emporium Arabiae, cui nomen est *ADEN*, inuenit ibi in statione aliquot Magni Mogol naues, quæ Turcarum Terras petiturae erant. Has *Henricus* repentino aduentu exterritas, se cum negociare coegit: quanquam illud mercandi genus magis ex Anglorum re fuit quam Indorum. Nam Indi eodem precio merces suas vendere Anglis coacti sunt, vt in ipsa India venduntur, & contra Anglorum merces magno emere, etiam si iis nihil egerent. Et quamuis multi essent in *Middeltoni* nauibus, quibus ea cum Orientalibus populis negociandi ratio iniqua videbatur, eamque parum probabant, quod nomini Anglicano magnam apud Indos eo facto conciliatum iri videbant infamiam: patuit tamen postea, satis fuisse eo pacto mutatione mercium acceptum sarcire damnum, quam si ipsas naues cum bonis vectoribusque rapuissent. Neque enim mercatores Cambayentes hoc *Henrici* facto protinus omnem abiecerunt nauigandi Oceanum rationem, quod profecto fecissent, si naues suas ab Anglis raptas spoliataeque intellexissent.

*Aden Em-
porium A-
rabia.*

*Satis mu-
tare merces
quam rapere.*

Haec ita se habere ostendunt ea quæ sequuntur. Nam paulo post appulit Suratum nauis quaedam Anglicana, cui *Thomas Bestus* praerat, ignarus eorum quæ *Middeltono* acciderant. Polliciti sunt huic Suratenses negociandi libertatem & praestiterunt liberaliter. Nam a. d. III. Octobr. anno A. N. C. M. DC. XIII. venit Suratum Prorex *Amandaua*, quæ vrbs est *Guzaratatum* celebris Emporio, & cum *Thoma* de futuris mercaturæ conditionibus transegit, fuitque simul vtrique consti. uta Amnestia eorum, quæ *Henricus Middeltonus* paulo ante fecerat circumscriptis Indorum mercatoribus.

*Classis Lu-
sitanica
aduersus
Anglos.*

Die XIV. Nouembris viderunt Angli fluctuantem in Oceano classem nauium omnis generis vltra CXL. quam hostilem esse, & omnino pugnandum sibi arbitrati sunt: sed postero die patuit naues esse mercatorias, quæ Cambayensem portum petebant. A. d. XXIII. eiusdem mensis litteræ allatae sunt ad *Thomam Bestum*, quibus perscriptum erat, aduentare quatuor praergrandes naues cum XXVI. celocibus Lusitanorum, eo animo vt Anglos opprimerent, de quo non dubitabant, cum scirent, tantum duas ibi subsistere Anglorum naues, quarum maior vocabatur *Draco*, minor *Osiander*.

Praefectus toti classi Lusitanicæ erat *Nunefius de Acuna*, qui & *Thalassiarchi* nomen gerebat. Misso hic fido homine ad *Quæstorem* Magni Mogol, eius super conferenda pugna exquisiuit consilium. Negauit *Quæstor* necesse esse Lusitano committere praelium: satis esse eum velut indagine cingere Anglos, donec coacti inopia in iniquum locum se demitterent. Turpe sibi putauit *Nunefius*, cum tot instructus esset nauibus, ignauas moras neccere, videbaturque sibi satis validus, ad Anglos vnus horæ spacio proterendos. Igitur vt quam primum confligeret, a. d. XXIX. conscendere militem naues iussit, erectisque ab malo purpureis vexillis, ipse primus praetoria nauem in *Draconem* Anglicum duxit, sequente propraetoria. Tanta autem erat *Nunefii* ad pugnandum cupiditas, vt cum legato suo in hostem iret, non expectatis cæteris nauibus, quæ longius aberant. At *Thomas*, qui praelium minime detre-

ctabat,

ctabat, inuectus medius inter duas Praetorias Lusitanorum naues, ita ab vtroque latere in eas tormentis fulminauit, vt eas grauiter concuteret, nec necesse esset *Osiandro*, *Draconi* socio vitem ferre.

Postridie, cum IV. magnæ Lusitanorum naues conuenissent, prodierunt simul *Draco* & *Osiander*, captumque est tormentis acriter res geri. Tanta autem fuit Anglorum celeritas & vehementia, vt tres maximas Lusitanorum naues adeo vrgerent, vt in breuia & puluinos incurerent, ibique immobiles subsisterent. Sed *Celoces* extemplo adfuerunt, laborantibusq; suis, qui iam instar castellorum oppugnabantur, suppetias tulerunt. Praerat minori naui Anglicanae *Nathanael Salomon*, vir magnæ virtutis: qui affectus hinc inde Lusitanorum *Celoces*, premebat ab omni parte hostem. Interim cum circa tertiam vespertinam tres illæ naues se à sabulo expeditissent, instauratum fuit praelium, multis Hispanorum nauibus contra duas Anglicanas pugnantibus. Feruente Marte imposuit *Nunefius* CLXX. milites promptissimos è suis in ynam celocem, vt ignem in *Osiandrum* iniicerent. At *Nathanael* exploso tormento æneo ita eos excepit, vt rupto carinae latere vnico illo ictu, omnes profundo haurirentur oceano.

*Pugna nau-
alis Lusit-
anorum
cum An-
glicis.*

Alia ex parte cum *Thomas Bestus* nauem suam *Draconem* incredibili tormentorum impetu cocussam, accipere rimis vndas animaduertit, recepit se cum *Nathanaele* socio ad oppidum quoddam ruinis deforme, olim tamen celebre, cui nomen erat *Medasrabad*, estque à praefecto Magni Mogol liberaliter exceptus. At Lusitani, qui Anglorum receptum suam interpretabantur victoriam, insecuti eos, rursus pugnare coegerunt. Suadebant Indi Anglis, ne prodirent portu, neu cum hoste longe potentiore confligerent; sed furdis hæc narrabant. Angli enim resecti à lassitudine, magno impetu inuecti Lusitanis, tantis animis resumerent pugnam, vt eos cogent fugam capessere, & vbi quisque posset salutem quaerere. Porro quantus fuerit huius pugnae feruor, quanta diuturnitas, vel hinc colligi potest, quod è maiore nauis Anglicanae siue *Dracone* D. XXXIX. globi maiores, è tormentis æneis emissi fuerint in hostem, è minore siue *Osiandro* CCC. LXXXVII. Sed profecto, si verum fieri volumus, omnis ea prosperitas Anglorum in tanta imparitate virium soli numini diuino adscribenda est, Deo Lusitanorum superbiam ita calcare volente.

*Victoria
suae penes
Anglos.*

Ipse *Magnus Mogol*, vbi de victoria Anglorum (qui tantum IV. viros amiserant) accepit, diu stetit attonito similis, negauitque sibi verisimile videri, multo autem magis miratus est, vt audiuit CCCL. Lusitanos periisse. Ergo *Thomas Bestus*, vbi Deo grates persoluit, portum *Suallensem*, à quo eum discedere Lusitani coegerant, repetiit, & a. d. XXI. Decembr. vt tota res gesta fuerat, in Angliam perscripsit. Dedit autem duas Epistolas duobus tabellariis, eodem argumento. Prudenter. Prior enim in via periit, alter ad societatem Mercatorum Orientalis Indiae Londinum tempestiue venit. Igitur mercatores, intellecto successu suorum, quatuor naues celeriter expediuerunt, easque rebus necessariis probe instructas versus Orientem miserunt, praefecto iis *Doutono*, viro magnæ experientia.

Profectus hic a. d. XV. Octobris anni M. DC. XIV. cum feliciter ad portum *Suallensem* haud procul *Surato* venisset, totam illam regionem in armis esse aduersus Lusitanos cognouit, qui nauem quandam Magni Mogol interceperant, in qua ad tres auri milliones & gemmarum vis ingens fuerat, & duæ mulieres ad ipsius Regis obsequium emtae. Nec hac præda contenti, rapuerant etiam aliam nauem *Guzaratensem*, cuius nauis mercimonia CD. centenis millibus nummum *Philippeorum* aestimata fuere, & in qua sexcenti homines fuerant, litteris salui com meatu ab ipso prorege Hispanico instructi. Sed raptores isti contempta immunitate omnia hæc captiua facta *Goam* perduxerant.

*Rapacitas
Lusitano-
rum.*

Datum igitur est *Decaninis* ab Indorum Monarcha negocium, vt *Chaul* munimentum Lusitanorum obsiderent, & *Macrob Chan*, qui vindictæ ab Lusitanis exigendæ avidissimus erat, Nauarchum Anglum honorifice exceptum, enixe rogabat, vti sibi in eo bello aduersus communes hostes suppetias ferret. Negauit Anglus id sibi licere per superiores suos, à quibus negociandi non belligerandi causa tantis sumptibus instructam accepisset classem. Cæterum si ipse à Lusitanis offenderetur, ibi tunc se officii sui fore memorem.

Passus repulsum *Macrob Chanus*, prope in eam venit suspicionem, venisse Anglos, vt Lusitanam rem adiuerent, cum non ignoraret, quantis iniuriis ante biennium Angli à *Magno Mogol* affecti fuissent. Auerta fuit hæc hominis suspicio suppositiis litteris, quas Iesuitæ confixerant, Anglorum nomine ad *Macrob Chanum* scriptas. Has Lusitani per certos homines *Macrob Chano* exhibuerunt, valde quidem imperiosas & vim ac arma minantes.

Perplexum his rebus hominem res alia magis perturbauit. Dum enim metuit ne Angli vlturi acceptas iniurias sibi detrimentum darent: superueniunt à Prorege Goæ litteræ, quibus



quibus ad faciendam pacem monebatur, vt Angli communi ope è sinu illo exturbari possent: addebatque, dedendum sibi portum Suallensem, vt castellum in eo edificaret pro Lusitanis. Dubitantem, mirantemque aculeum propositionis Macrobianum, multo magis terruit Prorex, ostensa è propinquo classe LX. nauium militariter instructarum: est autem nauium in illo Oceano frequentium hæc fere forma atque structura.



Ibi Macrobio omnis spes in pedes, vt aiunt, collapsa est. Missis ergo muneribus ad Proregem, pacem veniamque, prior ipse læsus, vltro orauit, quam tamen Hispanus ægre ad animum admisit, qui prius exturbatos profligatosque Anglos cupiebat. Ergo neuter cum altero bona fide egit, vt postea patuit. Et Prorex quidem multa dissimulabat, donec, vt persuasissimum habebat, Anglos prælio nauali deuicisset: tunc enim Macrobiu[m] vltro in Hispanorum fore potestate.

Stabant aliquot Anglorum naues sub anchoris in Portu Suallensi, eratque ea, quæ *Spes* vocabatur, propior Lusitanis. In hanc duæ biremes & circiter XXV. nauigia minora simul impetum fecerunt. Huic vt suppetias ferret, *Doutonus* cum prætoria sua nauis summa ope annexus est. Frustra quidem. Hostes enim magna prudentia iam omnes occupauerant aditus, exclusa prætoria. Verum alia nauis Anglicana, cui *Nouo Anno* nomen erat, tam opportunam *Spei* tulit opem, vt disiectæ quassatæque celoces aliquot profundo demersæ fuerint, cæteris se recipientibus. Periere eo conflictu multi è promptioribus Lusitanorum, quibus Neptunus pugnandi ardorem marina restinxit. Huic *Vulcanus* quasi compacto opem tulit. Naues enim duæ Lusitanorum fortuito igne correptæ arserunt in mediis aquis; & quamuis liburni, cæ duæ ad restinguendam flammam accurrissent, frustra tamen id fuit & seruum nimis. Ergo Angli aucti animis in residuas naues ferociter insipientes, quidquid in eos offenderunt, trucidauerunt.

cidauerunt, constatque ingens classem illam Lusitanicam à quatuor Anglorum nauibus accepisse detrimentum. Nam ex nauibus quidem vtriusque generis XXV. desiderauerunt: occisorum numerus iniri certo non potuit: illud extra dubium est, apud Daman oppidum CCCLIII. cadauera sepulta fuisse: vnde facilis coniectura est de cæteris, qui profundo hausti Neptuni pauerunt pecudes. Ex Anglis ceciderunt sex, vulnerati fuerunt XIV.

Videntes ergo Lusitani, hoc modo se perdere Anglos non posse, aliam ineundam sibi duxerunt rationem: quam quidem quibus auctoribus didicerint, non est obscurum. Miserunt ergo ad Præfectum Suallensem, petieruntque ab eo, vt omnes puteos & fontes, è quibus Angli aquas petere solebant, veneno inficeret. At barbarus iste multo probior & honestior genere Iberico, adeo eis obsecutus non est, vt contra iniiceret puteis antidota, quibus fieret, ne aquæ toxico ab aliis corrumpi possent. Cum autem fraus & venenum non succederet, Prorex, qui ita fugerat, vt vindictæ occasionem imposterum omisurus non esset, ad belli cogitationes reuertens, denuo Anglos adoriri statuit. Duas enim *Iunquas* Chineses cum de nouo accepisset, armatis plenas, octo vel decem nauigia materia combustili impleuit, imposito occulto igne, quo conflagrarent. Sub noctis initium duas eiusmodi naues igniferas fauente vento in Anglos emisit, pauloque post iterum duas, & tertia vice quatuor catenis colligatas, quæ ab aliquot nauigiis actuariis vel quadrigis tractæ fuerunt. In has aduenientes Angli globos ferreos candentes è tormentis miserunt: ibi tædæ & materia sulfurea celeriter correpto igne longe lateque sparserunt flammam, vt aliquot Lusitanorum naues conflagrarent, sine Anglorum noxa aut periculo, qui interim scaphis suis aduolantes, nonnullos ex incendiariis Hispanicis vitos intercepterunt: ex his vnus atque alter quæstionibus subiecti tortique seuerius, facti sunt; stare in procinctu classem nouem triremium & XXX. minorum nauigiorum, eo sine vt coniunctis viribus Anglos inuaderet. Nauarchum Lusitanum esse, vocarique *Hieronymum de Saueco*, qui primus fuerit tributus militum in *Mofambica* Insula, deinde Præfectus munimentorum quæ Hispani in *Zeylan* Insula possident, per XVIII. annos, & iam designatus esset Prorex *Goæ* & *Thalassiar*chus Oceani Indici. Et sane non abiit dies vllus, quin *Saueco* ille aliquot naues produceret ad ostentationem & terrorem, vt putabat, Anglorum: cæterum manus cum illis etsi numero longe minoribus, conferere ausus non est: Britannicæ enim naues in portum subductæ semper coniunctæ manserunt, ne diuelli & seorsim oppugnari possent. Quo viso Lusitani infecta re domum abierunt.

Digressi sine pugna aut vlla re memorabili gesta, ab Indis pro victis habitis sunt, crescenti in singula momenta Anglorum gloria. Et tantum quidem superioribus victoriis Anglicanum nomen est adeptum celebritatis, vt *Macrobianus*, summus Magni Mogol militum dux, Nauarchum Anglorum splendidissime exceperit, secumque in tentorium suum manu deduxit. Ibi conuiuio acceptum insuper muneribus affecit, & ei gladium suum incredibilis precii dono dedit, capulo aureo & vagina gemmis exornata. Est autem moris apud Indos, viros fortes gladio ob virtutem donare. Vicissim Anglus ei suum ensen ab latere demtum, cum cingulo & pugione donauit, sed erat *Glauci* & *Diomedis* permutatio. Macrobius tamen boni consuluit.

Multa sequentibus annis inter Lusitanos & Anglos commissa fuere prælia naualia, in quibus fere Angli superiores abiuerunt, inprimis in Sinu Persico, vbi *Schillingus* Nauarchus Anglorum perit. Huius mortem vltus est alius Præfectus Anglus, nomine *Blitheus*, occiso in pugna nauali *Ruao Irenico de Andrada*, Thalassiarca Lusitano, qui *Superbi* nomen ab ingenio nactus fuerat.

A. d. VI. Augusti mensis anno Salutis M. DC. XVI. conflixit *Beniamin Iosephus* Nauarchus Anglus cum quodam Præfecto Lusitano, qui nullo proposito hostilitatis signo tormento æquo aliquid damni dederat Anglicanæ nauis. Misit ad hunc Anglus qui causam eius rei quærent, simulque de damno sibi satisfieri postularent. Negauit Lusitanus se quicquam Anglo debere. Pugnatum est ergo acriter ab vtrisque horis circiter duabus: sed Anglus, cum inter primos pugnaret, ictus glande plumbea collapsus, paulo post expirauit: & sic diremum est prælium. Postero die habito consilio Angli Nauarchum in Iosephi locum elegerunt quendam *Pepuehuan*, qui vindictam spirans nauem Lusitanicam de nouo adortus, per aliquot horas cum ea acerrime dimicauit, neque tamen expugnare potuit, estque ad eum modum velut pactis induciis iterum dirempta lis. Sequenti nocte cum nauis Lusitanica inter duos scopulos securitatis ergo constitisset, fortuito igne correpta in spectantibus procul Anglis, miserrime conflagrauit, estque exusta penitus. Stabant in littore barbari, & natantes Lusitanos ad se inuitabant: sed id frustra erat, cum scopulis alte assurgentibus impediti, subinde vi fluctuum ad saxa alliderentur. Sic qui *Vulcanum* effugerant, à Neptuno deuorati perierunt.



Inimicitia
inter An-
glos & Hol-
landos.

Angli ab
Hollandis
cladibus
affecti.

Ab anno A.N.C.M.DC.XVI. vsque ad annum M. DC. XX. ortis inimicitias inter Anglos & Hollandos, utriusque nationi exitiale natum est bellum. Cum vero Hollandi illis praevalerent, accidit ut Angli variis afficerentur cladibus, amissis aliquot nauarchis, quos Hollandi occiderunt, spoliati que multis nauibus: vbi mirandum est, quod Hollandi in Anglos, antiquos socios & amicos, ita saevierint, praesertim in captiuos, qui ne a Turcis quidem aut Indis crudelius se tractari potuissent affirmabant. Ademerunt iidem Hollandi Anglorum Regi, confederato & amico Reipublicae Batauae, Insulas quasdam & Emporia in Orientali Oceano, quas tamen Insulas cum incolis Iacobus Rex in suum suscepit patrocinium. Sed de his legi potest liber *Samuelis Purchasij*, viri inter Anglos doctissimi, verique Polyhistoris, quem patria lingua conscripsit, impressum postea Londini apud *Henricum Feterisonum* anno A.N.C. M. DC. XXV. Qui damnum paucorum annorum spacio ab Anglis acceptum ad calculum vocauerunt, has ab Hollandis naues vel interceptas vel perditas narrant. Apud Bantam urbem *Solem & Stellam*. Apud Tecoum *Draconem*. *Vrsum*, *Expeditionem & Rosam*. Apud Patanen *Samsonem & Canem*. In littore Sinico *Vnicornu*. In Insulis Moluccis duas tresue alias; in quibus nauibus omnibus multi viri egregii & nauae peritissimi cum aliquot Equitibus & Nauarchis perierunt. Accidit tamen postea praeter omnem spem, ut Anglis stationes in littore Iaponico habentibus, Hollandi nauem, cui stellae nomen erat, denuo restituerent, qui eius saluari opera in Moluccis Insulis vsi sunt. De auibis, feris, rebus terra nascentibus aliisque obseruatione dignis, quae in his regionibus atque Insulis reperiuntur, alibi, & quidem in superioribus rerum Indicarum commentariis a nobis editis affatum est perscriptum, quo lectorem Philohistora remittimus.

CAPVT VI.

Coniungunt se naues aliquot Anglicanae cum Hollandicis. Pugna naualis inter hos & Lusitanos, difficilis & aliquandiu dubia. Angli Armusium Persiae petunt.

Classis An-
glicana, &
nomina
nauium.

Præfetti
classis Lusitanae.

A.D. XXVI. Februarii mensis, anno a.N.C. M. DC. XX. soluerunt e Portu Telburiensi in Anglia quatuor naues Anglorum instructissimae eo fine, ut primo Sinum Persicum, deinde Orientalis Indos peterent. Nomina nauium illarum haec erant. Prima vocabatur *Londinum*: secunda *Ceruus*. tertia *Capricornus*: quarta *Aquila*. Nono die Maij ad Aequatorem venerunt, quo superato continuatoque cursu, a.d. XXIII. Iulij mensis in *Sinum Soldania* sunt ingressi. Cumque hic nauem Batauicam, cui nomen erat *Leoni* cum aliis quibusdam minoribus offendissent, coniunxerunt se Angli cum iis. Nauibus vna a.d. XVII. se sociam dedit alia nauis Belgica cui nomen erat *Selandia*. Caeterum Hollandicae naues, cum nihil viderent periculi ab hoste, alio profectae, quae petere iussa fuerant, loca petierunt. Digressis his nuncium allatum est Anglis, stare in anchoris iuxta Armusium Emporium Persicum quatuor praegrandes naues Lusitanicas, & expectare aduentum Anglorum, ut eos opprimerent. Nec vanus fuit rumor. a.d. enim XV. Decembris mensis, oriente Sole, naues illas Lusitanicas in conspectu habuerunt, erant autem duae Lusitanicae & duae Flandricae, & illae quidem multo maiores Anglicanis, haec vero pares. Praefecto Lusitanicarum nauium nomen erat *Ruao de Andrada*, subpraefecto *Iohanni Borallio*: Flandricis nauibus praerant *Antonius Musquetus* & *Balthasar Chauerius*. Has quatuor velut principes sequebantur duae Liburnicae & decem Celoces.

Postridie Nauarchus Anglus, ut pugnae initium faceret, nauigium barbaricum, quod interceperat, puluere pyrio lignisque aridis impleuit, ea spe, ut iniecto igne classi inimicae immitteret, sed quiescente vento irritum fuit istud consilium. Altero die Lusitani priores sublatis anchoris Anglis inuecti pugnam exorti sunt, quibus ab Anglis ita responsum est, ut in nonam diei horam confingeretur acriter. Appetente vespera Angli nauem illam incendio destinatam hostibus secundo vsi vento immiserunt: sed vigilantia Lusitanorum clades illa auersa est. Ergo denuo ad statariam pugnam reditum, & Angli quidem Praetoriam Lusitanicam iniecta manu ferrea comprehenderunt, adeoque tormentis concusserunt, ut rimis acciperet Oceanum. Restitere tamen praetoriani, & se ut potuerunt, tutati sunt. At *Capricornus* interim tribus nauibus hostium cinctus, aegre se defendebat, donec a *Ceruo* superueniente subleuatus, communi opera hostem acriter oppugnatum in fugam vertit. Hoc fuit initium

initium victoriae Anglorum: Lusitani enim conspecta Flandricarum nauium ingenti periculo, fuga dilapsi sunt.

In hoc conflictu *Aquila* nauis Anglicana malum amisit, *Londinum* vero in ima carina damnum accepit, occiso in eadem nauis vno praecipui nominis mercatore. Periere omnino ex Anglis quatuor milites & nauae, ex Lusitanis XL. cum Subpraefecto Borallio & Tribuno militum. Sauciorum iniri numerus non potuit.

Effugerant maiores naues Lusitanicae, & versus Orientem iactis anchoris ruminabant clades suas, ita ut ab Anglis conspici possent: qui etsi prospero vterentur vento, secundo tamen hostem adoriri noluerunt, quod metuerent, ne is suppetias ab Armusio vicino accepisset. Accedebat, quod contenti erant profligasse inimicam classem, & potius negotiationem quam bellum circumspeciebant. Capto igitur consilio Portum Iacobaeum petere decreuerunt, ita ut *Londinum*, quae nauium erat maxima eadem vespera portum illum ingredere tur, caeteris nauibus circiter mille passus inde in anchoris consistentibus.

Interim naues Lusitanicae, cum se aliquo modo collegissent, statuerunt & ipsae eundem intrate portum: sed ab Anglis, qui priores aditum occupauerant, repulsae sunt. Ergo aliam insistentem viam Armusium petere institerunt. Commodum autem superuenere iis duae celoces, noua vehementes militum supplementa: quibus acceptis, conuerso itinere, rursus Portum Iacobaeum petierunt. Denuo igitur pugnatum est, sed tantum a duabus Anglorum nauibus: *Aquila* enim & *Capricornus* cum propter defectum aquae & refluxum maris locis operem ferre non possent, a pugna abstinerunt. Euentus huius quoque praelii idem fuit, qui superioris, cum Lusitani cedere cogentur. Praetoria enim Lusitanorum grauius concussa, & maior Flandrica, laceratis instrumentis nauticis faucibus, primae fugerunt. Resistebat adhuc



Propraetoria Lusitanorum, multumque negotii Anglis exhibebat: verum conspecta sociarum fuga, cum promptissimum quemque è propugnatoribus amisisset: & ipsa terga vertit. Iam nox appetebat, & non longius discesserat fugitiua Lusitanorum classis, quam ut ab Anglis conspici posset, qui sine dubio altero mane tertia vice hostem adorti fuissent, nisi defectum tormentarii pulueris sensissent.

Angli lu-
auentias
pradas a-
gunt.

Omisso igitur hoste, sublati a. d. XIV. Ianuarii anchoris, recta Suratam petierunt. Obtulit se eis hoc in itinere nauis Lusitanica, in precedenti schemate exhibita, militariter instructa, cui *Matri Virgini* nomen imposuerant. Praefectus eius erat Franciscus de Sylua. Hanc Angli allecuti celeriter sui iuris fecerunt, Lusitanos vero, qui omnino sexaginta erant scaphae impositos, viuos dimiserunt.

Nec in his stetit fortunæ in Anglos indulgentia. A. d. enim IX. Maij aliam nauem Lusitanicam, cui *Antonio* nomen erat, ab Armusio venientem, nucibus myristicis aliisque aromatibus onustam obuiam habuerunt, eamque celeriter expoliauerunt. Ex captiuis didicerunt, naues illas, quas superioribus praeliis quassatas profligatasque fuisse diximus, Armusium se recepisse, ut accepta farcirent damna, eademque auctas duabus praegrandibus aliis nauibus, quæ ductore *Emanuele de Assereda* ab Goa aduenerant, primo quoque tempore Anglis bellum illaturas: quo quidem nuncio hi nihil territi, in cursu suo versus Armusium alacriter perrexerunt, certi eius vrbis potiundæ: cuius expeditionis qui fuerit euentus, libro superiore commemorauimus.

CAPVT VII.

Quatuor Anglica & quatuor Hollandica naues, in ita societate, communi opera Lusitanis in partibus Orientis bellum inferunt. Prælium nauale inter utrosque, periculosum diuque anceps, postremo Anglis secundum.

NOMINA nauium Anglicarum.

- I. Prætoriana Regia IACOBVS.
 - II. Propætoriana IONAS.
 - III. STELLA. IV. AQUILA.
- Praefectus harum erat Iohannes Weddelius.

NOMINA nauium Hollandicarum.

- I. Prætoriana HOLLANDIA.
- II. Propætoriana VIRGO DORDRACENA.
- III. BANTAM. IV. WESOPA.

Praefectus harum nauium erat Albertus Beccerus.

Octo illæ naues in ita societate, a. d. XXX. Ian. an. A. N. C. M. DC. XXIV. cum ad fauces Sinus Persici venissent, in eum locum qui vulgo *Gombroone* dicitur, haud procul Armusio nauigium obuium habuere, quod ab oppido *Choula*, vbi Lusitanorum hostes rerum potiuntur, venerat. Celeriter ergo Iohannes VVeddelius misit in scapha aliquot suorum, qui percunctarentur, scirentne barbari, qui nauigio illo vehebantur, aliquid de classe Lusitanica. Responsum ei fuit, piper, corium & alia mercimonia eo nauigio vehi, quæ omnia spectarent ad mercatores Choulenfes. De Lusitanis nauclerus illius nauigii ita referebat; fuisse se a. d. XXIV. eiusdem mensis apud Promontorium *Gordelium*, quod est inter Indiam & promontorium Iacobum: ibi vidisse se in patenti Oceano octo praegrandes naues cum nonnullis minoribus: his vero conspectis se extemplo fugisse, & beneficio curui littoris atque sinuum euasisse, ne prehenderetur.

Signum
inductus
hostium.

Postero die, qui erat XXXI. Ianuarii audierunt utriusque tam Hollandi quam Angli ter explodi tormentum æneum. Veniebat autem sonus iste ab arce quadam cui *Kisme* nomen erat, & hostili odio prosequeretur Lusitanos. Huius praefectus pollicitus fuerat Weddelio, si ab Turri arcis suæ hostilem nauem conspiceretur, se tribus tonitruis signum daturum. Ibi Anglus quidam summum mali Carthesium in praetoria concidens, statim exclamauit: *Natus, Naues, easque ordine numerauit, vsque ad octo: Liburnicas & Celoces se numerare posse negauit. Iussit igitur Thalassiatehus Anglus de more exploso tormento signum praesentiae hostium dari, & paulo post à puppi vexillum sanguinei coloris proponi. Idem repente fecit Nauarchus Batauus, ut omnes naues sine mora se celeriter ab littore expedirēt, & leuatis Anchoris altum petere possent. Ergo explicatis velis utriusque pulchro ordine in hostem iuerunt,*

qui eo

qui eo magis properauerat, quod sperabat se Anglos & Germanos in ipso portu imparatos deprehensurum. Sed ea spes vana fuit.

Fuerat mare per aliquot horas satis tempestuosum, sed octaua pomeridiana confedere fluctus, ut Hollandi Anchoris proiectis naues suas firmauerint. Ibi *Beccerus* Tribunum vnum cum aliquot mercatoribus & nautis nauigio actuario ad Nauarchum Anglum misit, sciscitatum, quid nam ipsi de conspectis nauibus videretur? Respondit VVeddelius, arbitrari se esse classem Lusitanicam, quæ jam ante biennium adornari cæperat, eo sine ut tam Germanos quam Anglos opprimeret, vel saltem ex Sinu Persico & littoribus Indicis exturbaret: rogare se igitur *Beccerus*, ut se pugnae accingeret, se enim cum omnibus suis certum esse animi, pro Christo, Rege suo, patria, mercandi libertate, & Anglicani nominis gloria vsq; ad extremum spiritum decertare. Eandem sibi jam dudum mentem esse, responderunt Hollandi, proinde Angli de sociorum fide non dubitarent, qui in nullo periculo eos essent deserturi. Sicea quidem nocte discessum est.

Illuxerat primus Februarii dies, cum *Beccerus* leuari anchoras & vela ventis dari iussit: paulo post idem fecit VVeddelius. Sed Hollandi celerius nauigabant, ut Angli eos vix possent assequi: vbi tamen in conspectum hostis propius ventum est, subsistit aliquantisper *Beccerus*. Primus Hollandorum Nauarchus tormentum in Lusitanum emisit, qui eodem modo respondit. Erant iam utriusque intra tormenti iactum constituti, cum subito malacia contigit, serenitate se quente, quæ res nec Anglis nec Batauis commode accidebat, Lusitanis a. peropportune. Ibi quatuor vel quinque horis tormentis utrimq; res gesta est, Liburnicis & Celocibus Lusitanorum non minus quam cæteris in hostem fulminantibus. A meridie spirauere venti, sed Lusitanis adeo secundi, ut qui Prætoriana & Propætoriana vehebantur, jam se *Iacobo* nauie Anglorum potituros arbitrarentur. Non fugit VVeddelium consilium hostium, vocatum igitur ad se nauclerum tendere vela iussit, & noua pandere carbasa, si qua ratione venti beneficio uti posset. Nec se fellit eum spes; nam cum tot velis ventum excepisset, magno animo relecta in proram Prætoriana Lusitanicæ incurrit, nihil moratus tormentorum frequentes ictus. Coactus igitur est Thalassiarachus Lusitanus idem facere, & se fulminum periculo exponere, eo euentu, ut prætoriana nauis altero latere vehementer concussa, cum immaniter in eam detonarent Angli, deserere pugnam & se recipere coacta sit. Durauit hic principum conflictus ab ortu Solis vsq; ad quintam pomeridianam, in quo octo viri in Regia nauis Anglicana occisi sunt, vulneratis pluribus. Porro quam acriter pugnatum fuerit, vel hinc colligi potest, quod ex Anglicana Prætoriana duntaxat DCC. globi maiores tormentis in hostem emissi fuerint, vnde de reliquis iudicium fieri potest. Appetente nocte vniuersa Lusitanorum classis ad littus se recepit, & iuxta *Kisinen* arcem in anchoris substitit. Et hæc quidem Calendis Februarii facta sunt.

Initium
pugna in-
ter Lusita-
nos & Hol-
landos.

Euentus
primi con-
flictus.

Postero die cum venti leniter ab terra spirarent, videbantur Lusitani, quibus ea res ex animi sententia erat, hostem oppugnaturi, sed non sunt vsi eo fortunæ beneficio. Angli vero & Bataui occupatissimi erant in reparandis nauibus, expediendis armis, postremo curandis corporibus. A meridie conuenere duces sociæ classis in Regia nauis, rogatisque sententiis decretum factum est, ut crastino die hostes inuaderentur, ita tamen, ut omnis vis in Prætoriam Lusitanorum conuerteretur, neglectis minoribus nauigiis.

Sic a. d. III. Febr. sublati anchoris in Lusitanos itum est, qui propitio utebantur *Æolo*. Vbi prope ventum est, ostendebant Lusitani Hollandis nudatos vagina gladios, quod hi itidē fecerunt. Hinc explosis tormentis, cum latus regiæ nauis peterent, noluit VVeddelius ut sui pariter facerent, sed iussit ut expectarent, donec melior se offerret occasio. Nec defuit consilio successus: cohærebant n. firmiter prætoriana & alia quædam nauis Lusitanica, iunctisque in Anglos pugnantibus. Inter has medias inuectus VVeddelius, alteram ab altera separat, conuersosque omni impetu in prætoriam hostilem, dum eam vrget agitur, interim duæ naues Hollandicæ alteram, quæ cum prætoriana cohæserat, utrimq; inuadunt, & fugam dare cogunt: hinc aliam adortæ eam pariter male resistentem in fugâ agunt, & per quatuor horas utramque persequuntur, donec ex oculis insequentium sublata altera pro perdita haberetur: fuitque huius diei certamen atrox, cum *Iacobus*, nauis regia, sæpe ab hostibus cincta in orbem pugnare cogeretur: cæterum in quamecunq; ab ea nauis partem fieret impetus, ibi Lusitanicæ triremes fugiebant velut vento dissipatæ. Tertiæ huius diei conflictus quam acris fuerit, hinc patet, quod Anglorum Prætoriana, *Iacobus* nomine, ultra CC. globos in hostem emisit, ultra CCCC acceperit, interfectis IV. propugnatoribus, vulneratis tribus. Appetente autem vespera utriusque fessis exhaustisque viribus, velut spontaneis induciis conquieuerunt, & Lusitani quidem iuxta Armusium, cæteri apud Gombroonem proiectis anchoris constiterunt.

Quarto Februarii die Hollandi, videntes hostem magna celeritate *Lobracam Insulam*, quæ

X 3

VIII.



VIII. vel IX. millibus passuum ab Armusio aberat, petentem, acriter insecuti sunt. Sed cum destituerentur gubernatore illarum partium perito, veritine in breuia & syrtes inciderent, sistere cursum coactæ sunt, & paulo post receperunt canere: neque enim celocibus nauisque a-ctuariis erant instructæ, quarum opera accedere ad hostem, qui iam puluinos superauerat, propius possent. Non igitur consultum visum est, fugientes ulterius persequi, sed placuit Gombroonem redire, & ibi negociationi operam dare. Huc cum sequente vespera ventum est, nihil prius habuere Angli & Hollandi, quam accepta nauium vulnere & rupturas sanare, instrumenta nautica reficere & curare saucios, cui rei quatrimum impensum est: neque enim mediocriter laceratæ fuerant naues quædam, in primis Prætoria Anglorum & Propætoriorum Batauorum: quanquam nec cæteris tormenta hostilia pepercerant. Interea hærebant Lusitani inter Insulas velut in latibulis, cum non dubia acceptæ cladis amissæque victoriæ confessione.

Decimoquarto Februarii die, cum Angli & Hollandi ab Gombroone vela facerent, alias petitori partes: soluerunt etiam Lusitani, & à portu Armusio prodeuntes, sequebantur illos, vsque ad vesperam illius diei. Igitur sequenti die decretum est, quoniam hostis, qui sine dubio noua accepisset supplementa ab Armusio, vltro sequeretur, vt circa meridiem integraretur pugna. Secunda ergo hora pomeridiana ab Anglis Hollandisque impetus factus est in Lusitanos, sed in primis in prætoriam nauem. Oppugnabatur Iacobus ab utroque latere, nec prospero utebatur vento: eumque vehementer premeretur, Weddelius, proposito signo, aliam nauem Anglicanam, cui *Ionæ* nomen erat, in suppetias vocauit. Ibi restituta pugna, res vtriusque acerrime gesta est, patuitque auctos viribus Lusitanos. Nam plus damni hoc conflictu accepit Prætoria Anglorum, quam superioribus duobus. Nocte ea, qua prælium diremum est, quieuerunt vtrique. Cum sol sequentis diei iterum pugnandi copiam faceret, vtraque classis, velut extremis depugnaturæ viribus, ita concurrerunt, vt tonitruis omnia personarent, & fumo tormentorum nubes diei induceretur: non enim solum de victoria sed salute Anglis Hollandisque certandum erat. Cumque Prætoria Lusitanorum vehementer lacerata diutius subsistere non posse videretur, iogens Lusitanorum nauis, cui *Sebastiano* nomen erat, deserta statione sua, mediam se intulit inter pugnantem, fuitque Prætoria Lusitanorum instar clypei & propugnaculi, quæ excipiebat omnes ictus in Prætoria directas, velut olim Sebastianus Martyr sagittariorum jacula; ergo vt arx quædam & castellum oppugnabatur, donec Prætoria se post principia recepisset. Durauit etiam inter cæteras naues conflictus iste donec occidente sole, & diei & pugne finis impositus est. Beneficio noctis vsu Lusitani, quanta potuerunt celeritate fugientes, obiectum Arabiæ littus perierunt, quo Angli Hollandique ignari locorum sequi tam promte non poterant, ita vt orto sole vix conspici illi possent. Ergo Hollandi Anglique *Suratum* petierunt, Lusitani vero *Suarum* castellum Arabiæ, vbi habebant præsidium militum. Sic postremo post anceps, diuturnum & periculosum prælium, quod ter instauratum fuit, Diuina gratia Hollandis Anglisque victoriam donauit.

Nunc catalogum nauiumque Lusitanicarum subiiciemus descriptionem, quam *Petrus Hillion Gallus*, qui à partibus Lusitanorum stans, præliis illis naualibus interfuit, nobis reliquit, numerumque occisorum annotauit. Sic igitur is refert.

Prætoria nauis Lusitanicæ nomen fuisse *Francisco Maiori*. Thalassiarcho eius *Albanum Botelliam*: instructam eam nauem fuisse XL. tormentis bellicis varii generis. Fuisse in ea viros CC. CL. ex his XXXVIIII. perisse: in his fuisse tres centuriones, *Laurentium Tuisium*, *Hieronymum Botelliam*, & *Brassam Lozum*. Ipsam nauem, eius malos, instrumenta & vexilla, quæ omnia lacerataque fuisse.

I. Propætoriam dictam fuisse *Franciscum Minorem*. Præfectum ei fuisse *Franciscum Burgensem*. Machinis instructam XXXII. viris CCL. è quibus XXXI. perierint, inque iis ipse *Burgenfis*. Hanc carina, malo, antennis, rudentibus ita scædatam, vt nulli amplius esset vsui.

III. Tertiæ nauis nomen fuisse *S. Sebastiano*, fuisseque eam totius classis longe maximam. Præfuisse ei *Antonium Tetam*, virum fortem, sed qui eo prælio alterum brachium amiserit. Fuisse in ea XL. tormenta ænea, viros CCC. è quibus XX. occisi fuerint, ipsa nauis vehementer concussa & prope inutili reddita.

IV. Quartam *S. Saluatoris* nomen habuisse, sub præfectura *Francisci de Tuara*. Instructam eam fuisse machinis bellicis XXIV. viris CCL. ex his XLI. cecidisse, interque eos ipsum *Tuarensem*. Huic nauis vtrumque malum cum antennis defuisse.

V. Quintam *S. Iacobum* appellatam fuisse: Præfectum eius *Simonem de Quintalla*: instructam eam fuisse tormentis XXII. viris CC. è quibus LXXXIII. occubuerint. Malum huic fuisse integrum,

Tertium prælium eius euenit.

Catalogus nauium classis Lusitanicæ.

I.

II.

III.

IV.

V.

tegrum, ipsam vero nauem adeo concussam ruptamque, vt vbique actis rimis aquas recipiens, pro inutili deserta fuerit.

Sextæ nomen fuisse *S. Trinitati*, sub præfectura *Petri Botellia*, instructæ tormentis metallo fuis XXII. vectos in ea viros CC. ex his cecidisse XXII. Hanc dehiscentem ab omni parte refici non potuisse, desertam igitur in littore septimo post pugnam die.

Septimam nomen habuisse *Miserere Cordium*, sub præfecto *Emanuele Codrega*, armatam tormentis æneis XXII. viris CC. è quibus III. occubuerint: & hanc minus læsam fuisse cæteris omnibus. Subducto numero, inuenies in octo illis nauibus classis Lusitanicæ fuisse tormenta ænea CCXXXIII. Milites MMC. & ex his interfectos triplici illo prælio fuisse CCCCLXXXI.

Liburnicarum & Celocium, cæterorumque nauigiorum, quæ Lusitanis in prælio bonam nauauerunt operam, nec initus in hoc Catalogo est numerus, nec militum aut interfectorum in iis.

Ex Anglis Hollandisque omnino cecidere viri LVIII.

CAPVT VIII.

Tres naues Anglicanæ Orientem petentes, cum Lusitanica classe configunt. Leo, præcipua ex iis deserta à sociis, ab hoste ita premitur, vt iniecto in puluerem pyrium igne se ipsam perdat. Angli partim flamma partim gladio hostium pereunt.

AD VII. Octobris anno à N. C. M. DC. XXV. appulerunt haud procul *Surato* tres naues Anglicanæ, quibus hæc fuere nomina: *Palatina*, *Delphin*, & *Leo*. Sequenti die, cum sol clare luceret, vidimus, (inquit *Anglus* qui hæc refert) recta ex aduerso vrbs *Surati* naues aliquot in anchoris stantes: existimabamus autem eas esse vel Anglicas vel Hollandicas Mercatorias: quidam ex nostris arbitrabantur, agmen esse nauigiorum piscatoriorum. Vix horæ spacium effluerat, cum patuit noster error: erant enim quatuor triremes Lusitanicæ cum XV. Celocibus, quæ omnes explicatis velis cursum ad nos dirigebant. Vbi ad IV. millia passuum ad nos venerunt, substerunt. Celeriter *Nauarchus*, conuocatis Præfectis & *Naucleris*, quid factu opus esset, sententias rogat. Visum est non expectare pugnam aleam, sed vela dare ventis, & interim aliquando subsistere, an *Liburnicas* Celocesque eorum à reliqua classe auellere & perdere celerius insequentibus possemus. Sed hoc consilium effectu caruit. Tota enim classis Lusitanica repente nobis à tergo imminens, in initium fulminandi in nos fecit, emissis globo à Prætoria sua in *Leonem* nostrum, cui ex *Leone* tribus ictibus responsum est. Facile animaduertentur Lusitani, præstare sua tormenta nostris, audaciores igitur facti, *Thalassiarcho* aduocata subprætoria in solum *Leonem* omnem vim conuerterunt. Videns *Nauarchus* noster patrem se hosti hac quidem vice non posse, iussit accelerari profectionem, vt ad iactam globi tormentarii abessemus ab iis. Sic procul gesta res est vsque ad vesperam.

Interim *Palatina* nostra & *Delphin* tota nocte in expediendis armis & velis ad celeritatem cursus duplicandis occupabantur. Nos, qui *Leone* vehemur, propiores eramus hosti, qui in ea vicinia vltra centum pyrobolos in nauim nostram coniecit, quos tamen omnes extinximus, ne spargeretur incendium. Et versabatur quidem res in acie nouacula: quod conspicati qui *Palatina* & *Leone* vectabantur, desertis nobis, celeriter se è conspectu hostium subduxere, cuius quidem fugæ ipsi apud viros bonos rationem reddant, si possunt.

Soli igitur pugnauimus ab octava nocturna vsque ad XI. quo tempore Præfectus noster *Richardus Suanleius* cum XL. aliis sociis occubuit, tres vero & viginti miseris modis ambulati ad arma inutiles erant: ceteri omnes pugnando fessii, insuper etiam ob discessum sociarum nauium animo destituebantur. Ibi ad extremum descendimus in desperata defensione auxilium, vt iniecto in puluerem tormentarium igne nos ipsos vna cum nauis perderemus. Negabant duo vel tres, ita factu opus esse; sic dum altercamur, vehemens Oceani refluxus nauem nostram à classe hostili aulam paulo longius abegit. Lusitani dum nos insequi ardentius cupiunt, non satis curiose versantes in puppi, partem pulueris pyrii incenderunt, quo casu circiter L. vel LX. homines partim creperunt, partim vi flammæ sursum eleuati elisique sunt. Sic dum hostes in restinguendo incendio & reparandis instrumentis prætoricæ nauis occupantur, nos proeucti paulo longius, hac quidem vice perniciem effugimus.

Reliqueramus autem quatuor celoces nostrates, quæ in medio pugne ardore in diuersum

VI.

VII.

Infelix ex-peditio triu nauium Angli-carum.

Angli ab sociis deserti.

Lusitani pereunt incendio.



sum à nobis abierant. Has quanquam videre non potuerimus, ex sono tamen sclopetorum; intermicantibus nonnunquam ignibus, facile nobis fuit colligere, eas alicubi in hostem incidisse, & pugnare, quanquam quis eas manserit exitus, nemo ex nobis scire potuerit, cum in conspectum nostrum nulla post eum diem venerit: & sane, si vel maxime eas prope vidissemus, nihil tamen illis opis ferre potuissemus, qui jam non Leonem sed Charontis Cymbam insidere videbamur.

Nacti ergo aliquam ab importunissimo hoste respirationem, constituimus recto cursu Armusium petere, ad quam rem nobis & ventus & serenum caelum auxilio erat. Ergo a. d. IV. Nouembris Gombroonem appulimus, ita ut eramus male affecti habitique. Hic narrauerunt nobis mercatores, *Rufro* Nauarchum Lusitanum cum XX. Celocibus vagari circa vicina littora, infesto in nos animo. Ibi aliud ex tempore consilium capere non potuimus, quam ut preciosos res merces cum quatuor cistis argento plenis in siccum è nauì transferremus. Octauo eiusdem mensis die *Rufro* adfuit circa septimam matutinam, iussitque tanto impetu celoces suas in nostram nauem incurrere, ut quatuor ex iis in scopulos impingentes, elisae, spectantibus nobis submergerentur.

Angli di-
mersis mo-
du pere-
unt.

Procul igitur subsistens Lusitanus, tantam vim ignium in nostram nauem coniecit, ut momento oculi vela, malus funesque omnes flamma corripere. Ruebant jam titiones & ardens bitumen in capita nostrorum, cum quidam ex iis suffocationem in aquis incendio praefidentes, praecipiti saltu in mare se coniecerunt. Caeteri immisso in puluerem nitratum igne se vltioribus tormentis exemerunt, nauemque simul in frusta disiecerunt: ad hunc modum igne periere viri XLII. Ex iis qui in mare insilierant, XXVII. à Lusitanorum celocibus excepti & ad Lanienam conseruati sunt. Hoc enim omnes, postquam per totam noctem ludibria & iniurias hostium perpessi fuissent, *Rufro* mane facto capitibus truncari iussit, vno excepto, cui nomen erat *Thoma V Interborno*, quem cum littoris ad mercatores Anglos mittere constituerat, qui in munimento versabantur. Fuerant jam ante nouem è nostris egressi in littus, ut negocia mercatorum curarent: hi quoque crudeles Lusitani carnificis manus effugerunt, ut ita ex omnibus, qui in Leone Anglicana nauì veñti fuerant, omnino decem viui fuerint conseruati.

CAPVT IX.

PERIPLVS ORBIS.

Iacobus Eremita Thalassiarachus Batauus, spacio quatuor annorum, totum orbem terrarum circumnauigat. Est que hoc caput velut Diarium illius expeditionis.

Nomina
nauium
huius clas-
si.

ANNVS agebatur à N. C. M. DC. XXIII. cum a. d. XXIX. Aprilis mensis *Iacobus Eremita* cum nouem nauibus Batauicis & vna celoce ab littore Selandico soluit, apertumque petiit Oceanum. Nauibus hæc erant nomina. I. *Amsterdamum*. II. *Delphi*. III. *Hollandia*. IV. *Concordia*. V. *Mauritius*. VI. *Aquila*. VII. *Dauid*. VIII. *Spei*. IX. *Gryphus*. Celoci nomen erat *Vertago*. A. d. I. Maij duæ aliæ naues se cum superioribus coniunxerunt, quibus erant nomina, *Citrus* & *Copa*. Sic igitur ad *Vetim* Insulam è regione Britanniae appellentes, anchoras ibi jecerunt. Ibi *Copa* parum absuit quin detrimenti, aliquid caperet, in nuda refluxu aquarum destituta arena. Sed vigilantia Hypothalassiarchi, cui nomen erat *Hugoni Schapenhamio*, qui laborantibus celeriter opem tulit, expedita & aquis restituta est.

A. d. X. Maij, spirante fauonia vela ventis dedimus, & orientale latus illius Insulae petiimus. Die vero XIII. cum per totam noctem Thracias ventus spirauisset, visum est Nauarcho proficisci. Iussit ergo de more profectiois signum dari, exploso tormento. Cum autem globus pulueri Pyrio non continue incumberet, sed aliquid intercederet vacui, ruptum est, ut fieri solet, tormentum, magno cum fragore, ut aliquot trabes tabulasque nauis confringeret, & nautam aliquem ita vulneraret, ut paulo post moreretur. Qui id incenderat, nihil mali perpeffus est.

Naves Pi-
raticas Tur-
carum.

Aliquo vsque progressis nobis, iussit Thalassiarachus naues non iunctim ingredi, sed se in varias spargere partes, si quæ intercepto nauigio aliquo, discere de classe Hispanica certi aliquid posset. Vltimo die Maij tunc conspicati fuimus naues, à quibus cum salutaremur, intelleximus, Piratas Turcicos esse, quos Hispanica classis apud S. Vincentij promontorium in fugam compulerat. Circa vesperam adhuc alias naues Piraticas numero octo adepti fuimus, quæ

quæ iuxta nauem Concordiam transire per classem nostram conabantur, sed demittere vela iussæ sunt, atque consistere. Calendis Iunii praefectus nauis cuiusdam Piraticæ, quæ ab Hollandis visitata & excussa fuerat, ad Thalassiararchum venit, petens, ut sibi quinque captiui restituerentur, quos è sua triemi transfugisse affirmabat in Proprætoriam Hollandicam: se enim eos apud Argeriam praesenti pecunia emisse. Conuenit Senatus nauticus, vocatique captiui dixerunt se omnes esse Germanos inferiores; sed & multos alios esse in eadem nauì, qui nuper ex Hollandicis nauibus captiui in eam translati fuissent, & omnes vno ore libertatem rogarent. Conclusum est in Senatu, cum ii, qui in confederatis Germaniae prouinciis nati sint, vtriusque nationis, Belgarum & Maurorum decreto ac pactis liberi esse debeant; ut non tantum ii qui transilierant, non dederentur perentibus Turcis, sed & reliqui, qui in eadem nauì attinebantur, missis caduceatoribus repeterentur: quod & eo ipso momento factum est. Pirata autem destitutus tot mancipiis tristis à nobis discessit. Qui in libertatem asserti sunt, in numerum militum iisdem stipendiis conscripti, & in signa distributi fuerunt.

Bataui ca-
ptiui libe-
rantur.

A. d. IV. Maij mensis decem naues, sed dispersas, procul conspicati fuimus. In has igitur confestim proras obuertimus; cum autem quiescente vento tardius velificaremur, nauigia a Quaria & scaphas nostras militibus impleuimus & ad persequendas eas misimus. Nostrum quatuor ex iis assecuti, captiuas fecerunt, erantque Hispanicae, laccaro onustæ, venientes ab *Fernambuco* oppido & portu Brasiliae. In vna earum nauium deprehensus fuit Sacerdos Hispanus, itemque alius vir illustis, nomine *Augustinus Osorius*, qui aliquot annis in Peruuia vixerat, & terrestri itinere, confecta via longissima, inde ad oppidum *Boni Aeri* venerat, & porro *Fernambucum*, ut rediret in Hispaniam.

Augusti-
nus Oso-
rius.

Septimo eius mensis die obtulit se conspectui nostro nauis, quæ acriter fugiebat. Nos eam diu persecuti, cum postremo adepti fuisset, vidimus Piratam esse Turcicum: eum igitur missum fecimus. Dum hunc persequimur, & captiuæ naues Hispanicae nostram sequi celeritatem non possunt, alius adest Pirata cum triemi Numidica, qui sine dubio prædam illam nobis è manibus eripuisset, nisi Hypothalassiarachus noster repente accurrisset, & raptorem praesentia sua cohibuisset. Sedebat ad gubernaculum illius nauis Piraticæ homo Germanus; qui visa nauì Hollandica recta in eam proram nauis suæ direxit, & tam prope aedit, ut cum ipse tum omnes qui in ea vehebantur Christiani, in Hollandicam nauem transilirent. Ibi Praefectus nauis, ut recuperaret seruitia sua, ipse ad Hypothalassiararchum venit repetens fugituos. Erat autem homo Batauus, *Enchusij* natus, *Henricus* nomine. Huic prius grauius reprehendo, postremo persuaserunt nostri, ut non ipse solum cum caeteris Christianis, qui effugerant, apud Hollandos maneret, sed etiam bona thesaurosque suos è Piratica in nostram nauem transferret. Narrauit nostris *Henricus* iste, vagari in illo Oceano ad XXX. naues Hispanorum, militatiter instructas. Erant naues nostræ non tantum iis mercibus, quas nobiscum domo aduexeramus, sed & quas rapueramus supra modum oneratae, ut inferiore tormentorum ordine uti non potuerimus, sicubi cum hoste conflegendum fuisset. Ne igitur plus damni acciperemus quam in ferremus, placuit ductoribus nostris alicubi appellere, & mercibus in tuto expositis (praesertim quæ domum mittendæ erant) naues leuiiores facere. Decreuerunt omnes Portum *Saphiensem* petere, nihil dubitantes, quin ibi offensuri essent aliquot naues Batauicas. Huc vbi venimus, non nisi vnam inuenimus nauem Hollandicam, cui nomen erat *Transisulana*, & praeterea duas alias minores, vna spectabat ad mercatorem Gallum, altera ad Anglum. Primum omnium praefectus *Transisulana* ad Thalassiararchum nostrum cum in Prætoriam venisset, questus est, nonnullos è sociis concitata rebellione ab omni se exclusisse obedientia. Comprehensi ergo seditiosi, & in duas naues *Amsterdamum* & *Delphos* deducti, vinculis coerciti sunt. A meridie illius diei habito Senatu, decretum est, ut *Transisulana* & *Vertago*, quicquid nobis erat saccati, cum aliis quibusdam mercibus imponeretur, & vtraque in patriam Batauiam mitteretur. In locum *Vertagi* captiuæ nauis Hispanicae successit, in quam gubernator ac nauæ è *Vertago* translati fuerunt.

Expirata
su socium.

Transisu-
lana nauis
Hollandi-
ca.

Die Maij XXI. constituto tribunali vocatoque iudicio, comparuit Praefectus nauis *Transisulanae*, accusauitque eos, quos in vincula datos superius diximus perfidiae & seditio- nis: quod excussa obædientia, pertractisque in sceleris societatem caeteris, diripere nauem sta- tuissent, postea eadem sui juris facta Piraticam facere voluissent.

Erant rei omnino septem. Ex his quatuor, qui auctores rebellionis fuerant, laqueo suspen- si perierunt: tres ita condemnati sunt, ut toto illius nauigationis tempore sine stipendio militarent. Erant a. eo tempore coniunctæ naues omnino XVI. cum ab *Saphia* proficiscerentur.

Y tur:



tur: sed à. d. XXIV. eius mensis *Transfulana & Vertagu* à nobis discesserunt, petiture patriam Hollandiam.

*S. Augusti-
ni & S. Vin-
centij In-
sula.*

A. d. XXVII. Maij decretum est in Senatu, vt in transitu littoris Africani ad *S. Vincentij* Insulam & *S. Augustini* appellerentur naues, quibus in locis Hispani, qui simul cum quatuor illis nauibus capti fuerant, exponerentur, & alimoniae aliquid classi inferretur, cum hircorum & testudinum copia in illis locis haberi possit. Igitur quinto die Iulij ad *S. Vincentium* anchoras jecimus: cum autem ibi statio esset commodissima, & rarissime ibi circa hoc tempus anni pluat, contra apud *Sierram Lionam* eo mente continui imbres cadere soleant, placuit Nauarchis praefectisque, vt hoc loco omnes exonerarentur naues, expurgarentur & reficerentur, vtque caetera ad vltiorem nauigationem necessaria, classi inferrentur, praeter aquam fontanam, quae ab *Sierra Liona* (promontorio Africæ) petenda omnino erat. Iussit insuper Nauarchus noster, vt erectis in sicco tentoriis, expositisque in iis agrorum, duo signa militum ad custodiam eorum destinarentur: his, exactis quinque diebus, subrogarentur duo alia vsque ad diem profectiois. Eadem vespere quidam ex nostris haud longe à littore puteos forunt, & aquam potabilem inuenerunt. Sexto die Iulij nauigium nostrum actuarij viris armisque satis instructum ad *S. Antonij Insulam* misimus, vt quid animi esset barbaris in nostros experirentur. Retulerunt nostri, humaniter se exceptos fuisse, reperisse insuper hortos, in quibus mala Punica, Citria, ficus aliosque fructus affatim reperissent, in cuius rei signum ostendebant poma varii generis, matura quae inde attulerant in vsum agrorum. Reddiderunt iisdem Barbari Epistolam quandam, quam Praefectus nauis Batauae, cui nomen erat *Lugduno*, & quae ibi aliquandiu in statione fuerat, exarauerat, qua testabatur, omni benivolentiae genere à barbaris istis se suosque affectos fuisse, rogabatque, vt qui eo venturi essent Hollandi, hanc beneficentiam remunerarentur. Nono die in *S. Vincentii* Insula sacra Concio habitata est.

*Insula S.
Antonij
frugifera.*

A. d. XVI. panis distribuendi inter vectores certa ratio inita fuit, vt tantum singulis quotidie daretur, quantum ad sedandam famem sufficere credebatur.

Die sequenti decretum factum est, vt se quisque pararet ad abitum, ad XXV. enim diem discedendum esse versus *Sierram Lionam*, si qua forte ibi nauis Hollandica inueniretur, cui quod supererat saccarum imponi & domum mitti posset.

*Hispani ca-
ptiui in lit-
tore expo-
siti.*

XXII. die Iulij Hypothalassiarachus cum nouo *Vertago S. Antonij* Insulam petiit, secum vehens captiuos Hispanos, quos in quatuor illis nauibus interceperat, hos viatico luculento instructos ibi in littore exposuit: *Augustinum vero Oforium* secum retinuit. Reuersus hic die postero XX. millia pomorum citriorum secum attulit, quae ab Incolis munere aliquo delinitis, acceperat. Hic quoque litteras barbaris reliquit, quibus Hollandos, qui post id tempus eo appulsuri essent, ad benignitatem & munificentiam erga eos hortabatur.

*Situs In-
sularum Vin-
centij &
Antonij.*

Cum illuxisset vigesimus quintus Iulij dies, dato signo, nostri naues repetierunt. Sunt autem duae illae Insulae, *S. Vincentii & Antonij* commodissimae omnium in illa parte Africæ, abestque haec ab illa spacio duorum milliarij. Portus *S. Vincentii*, sub gradu ab Aequatore XVI. & minut. LVI. situs, commodissimus amplissimusque est, statioque nautis Orientem petentibus gratissima. Pago praecipuo nomen est *S. Vincentio*, vbi fons est aquae dulcis, qui tamen nequaquam sufficiebat pro nostris nauibus aquandis. Coacti igitur sumus puteos efodere, in quibus quidem nacti sumus aquam, caeterum turbidam & insuauem gustu, insuper adeo laxantem aluum, vt nobis à dysenteria metueremus. Abundat Insula capris hircisque, quorum carne sapida sane & prepingui nostri recreati fuerunt. Mansueti non sunt, sed vagantur per sylvas, quas nisi manipulo XXV. vel XXX. hominum velut indagine cingas, non facile exceperis. Testudinum insuper hic tanta magnitudo, vt ad duos tresue pedes longae reptantur. Faetae haec à mati prodeunt in littus, ibique oua sua magno numero arena defodiunt, vt à Sole percalfacta excludantur: quod faciunt à mense Augusto vsque in Februarium: caeteris anni partibus in mati visitant. Caro earum ad piscium quam quadrupedum saporem potius accedit. Oua gallinaceis bonitate certant. Piscium insuper varii generis in illo littore magna est copia, vt eorum tantum capere potuerimus, quantum in omnes naues nostras sufficiebat.

*Natura Te-
studinum.*

*Insula S.
Antonij.*

S. Antonij Insula incolitur à barbaris Aethiopici generis, qui in vniuersum cum mulieribus liberisque ad D. capita constituunt. Hircorum itidem hic copia, vnde potissimus eis victus: reperitur etiam hic gossypii aliquantum. Horti hic sunt in ipso littore australi, pomiferis arboribus confiti, in quibus tempore maturitatis ad L. millia malorum citriorum, aureorum & Puniceorum quis adipisci vno die possit. Mira est autem barbarorum istorum in peregrinos comitas & munificentia, vt accepto munusculo aliquo, nihil suarum rerum petentibus negent. Et nos qui-

nos quidem ibi non tantum fructibus arboreis, sed & hircina, porcina, & ouilla carne nobis prospeximus.

Vigesimo octauo die Iulij, cum illucesceret, aberant à nobis tres naues nostrates, *Citrus, Delphi, & Aquila*. Decretum est vt apud *Sierram Lionam* earum aduentum praestolatemur. Fecerant autem haec vela ad *Insulam Maij*, vbi magnam Salmonum piscium copiam ceperant, vt LXX. dolia carnibus eorum impleuerint. Caeterum nauem in eo portu offenderant nullam, velut Kalendis Augusti ad nos reuersi narrabant.

A. IV. die Augusti vsque ad VIII. perpetuis imbris maduimus, multique ex nostris dysenteria, vsu impurae aquae contracta, grauius aegrotabant, moriebanturque passim sub feruenti illo climate, delecto eadem vi morbi *Cornelio Boote*, Consiliario in *Concordia* nauem. Sed haec postea apud *Sierram Lionam* contigerunt, vbi lues saeuit acris.

*Dysenteria
affliguntur
Bataui.*

Die vndecimo vitatis periculosis quibusdam breuibis in littore *Sierrae Lionae* anchoras jecimus. Ibi quidam praefectus est nostris in terram egressus, cum rediret ad nos, barbaros quosdam Aethiopes secum adduxit, qui naues nostras videre cupiebant. Sequenti die emissi fabri nostri lignarii & doliarii vndique conquisuere materiam, explendis rimis tabularum idoneam, naues enim nostrae ob solis calorem valde hibeant.

Cum a. d. XIII. Augusti naues nostrae subire littus vellent, à barbaris accessu prohibiti sunt, exigentibus prius de more à peregrinis munera. Dux igitur noster Aethiopes eos qui ad nauem eius venerant, conuiuio exceptos, insuper donis delinuit, oblato baculo ferreo, & quibusdam linteaminibus, aliisque rebus non magni precii, vt ea omnia fratri regis & praefecto pagi illius offerrent. Acquieuerunt his Afri, permiseruntque, vt quantum vellemus Limoniorum malorum & aquae fontanae in naues nostras inferremus.

Die XIV. ipse frater regis cum praetore pagi, cum prius de aduentu suo nuncium mississent, in praetoriam nostram venerunt. Obtulerunt hi nobis magnam vim eboris, ultra centum dentes (vel si mauis cornua) licet rudes & impolitos. Nostri ipsi vicissim ea donauerunt, quibus eos delectari nouerant. Erant autem ludicra pleraque & vilia. Sequenti die nostri ex hortis non adeo magnis ultra CXX. millia pomorum Limoniorum in naues intulerunt. Progressi quidam è nostris paulo longius, in primis qui è *Concordia* nauem erant, inueniunt humi jacentes nuces, quibus eadem quae myristicis species, longe tamen maioribus. Has collectas aperuerunt nucleosque auidius ingererunt. Vix redierant ad nauem, cum vnus eorum repente mortuus concidit, toto corpore veneno se liuidis maculis prodente. Caeteris igitur antidota exhibita viuos eos conseruauere: vnde edictum propositum est, ne quis eas nuces colligeret. Ab hoc vsque ad primum Septembris mensis diem nihil memorabile contigit, nisi quod *Adrianus Duynus*, Praefectus *Mauritio* nauis, pauloque post, *Johannes Alemannus* Secretarius in *Amblerodamo* nauis, & tandem *Petrus Velius* Commillarius in eadem vita excesserunt, & in vicino littore satis honorifice pro praesenti copia tumulati sunt.

*Magna vis
Eboris.*

*Nuces la-
shifera.*

*Mortui a-
liquot Hol-
landi.*

Kalendis Septembris in locum *Adriani Duyni* defuncti, *Mauritio* nauis praefectus est *Petrus Armenius* Nauclerus spei nauis. Eodem die Dux noster voluit, vt quatuor illi *Transfulani*, qui haecenus ob delictum sine stipendio meruerant, quod virtute errorem correxissent, imposterum par caeteris stipendium militare perciperent.

A. d. IV. Septembris, ventum nacti opportunum, leuatis anchoris Oceano nos commisimus. *Sierra Liona* nomen est celebre in his locis, & nautis apprimè notum, quo intelliguntur montes continentis Africæ siue Aethiopiae, in austrum proiecti, vbi non longe fluuius abestque circiter VIII. gradibus ab Aequatore. Terra ipsa edita valde est, proiecto mucrone in Oceanum, densis praetisque confita arboribus, vnde longissime à nauigantibus conspici potest. Difficile est ad fidem dicere, quantum ibi sit arborum in quibus poma citria crescunt, Limoniis Hispanicis similia, sed minora aliquantum: vnde licet cuius tantum quantum velit pomorum carpere, cum iuris publici sint. Nos tamen nimium eorum esum parum salubrem postea deprehendimus: hoc enim loco è nostris XLII. homines, desertis nostris nauibus, Charontis Cimbam ingressi sunt. Lignorum hic ad focum nacti sumus abundantiam, & materiae obturandis tabularum rimis idoneae, in primis autem aquae potabilis, cuius hic haurienda magna facilitas. Vidimus hic nomina *Francisci Draconis* aliorumque Anglorum, qui ante id tempus his in locis fuerant, erantque ea in sculpta saxis.

*Sierra Lio-
na & eius
descriptio.*

Vigesimonono illius mensis die ostendit se nobis *S. Thoma Insula*, quam tenere non potuimus, sed ne voluimus quidem, non consentiente vento. Cum orientale littus huius Insulae citius cuiuissemus, conspicati fuimus naues quasdam, quae longius nobis abesse ab Arce videbatur, quae vt à tormentis contingi possent. Duas igitur è captiuis Hispanicis nauibus in eas direximus, sed quiescente vento à proposito desistere coacti fuimus.

*Insula S.
Thoma.*

Promontorium Lupi
Capo Lopez
Consalvi.

Kalendis Octobris mensis diluculo ostendit se nobis Promontorium Lupi, quod vulgo Capo Lopez vocant, ad quod nos dirigere vela ventus prohibuit. Quod praetoriae nauis cohærebatur nauigium aëtuarium, ad explorandam terram missum est. Causa erat, ut aëtuarium allucubi circumspiceremus, quam profecto in eo loco reperire ex sententia non potuimus. Sed ea quidē spe lapsi fuimus. Aqua n. quam hic hauriebamus, turbida erat, infalubris & mali odoris. Funestum igitur deserentes locum, omni studio annixi fuere nostri, ut Annum Bonum (Insula hoc nomen est) obtinerent. Huc appellere nostri non potuerunt, quia Praetoria nauis & Concordia, cum cæteras prærent, in breuia delata, ingenti cum periculo in puluinais illis hæserunt, nec nisi maximo cum periculo expediri potuerunt. Ad promontorium igitur Lupi redeundum fuit. Tempestiuum nostris erat, cum ij qui ad hauriendam aquam missi fuerant, nunciare, aquas, quæ paulo ante limo turbidae fuissent, nunc causta scaturigine fluere limpidas, & tanta quidem copia, ut vniuersæ classi ad aquationem sufficerent.

Aquationis
commoditas.

A. d. XI. mandatum est præfectis Spei & Vertagi, ut periculum facerent, possent ne promontorium siue Caput Geysense circumnavigare. Cum enim Scorbuto nostri homines affligerentur, quod malum aureorum ac citreorum pomorum vsu sedari solet, necessarium visum est, ut Anni Boni Insula à nostris adiretur, antequam proficisceretur longius. Multi autem dies elapsi sunt, quibus Hollandi nostri magnos sustinere labores, antequam ad Anni-Boni Insulam appellere potuerunt, quod demum ad XXVII. Octobris factum est, cum jam omni spe illius potiundæ lapsi fuisset. Biduo post Cornelius Iacobi & Præfectus Erarij ex Praetoria nauis in terram egressi, ab incolis vexillum in signum pacis præferentibus excepti fuerunt.

Præerat illi Insulae Antonius Nunezius: cum hoc egimus, ut bona ipsius venia nobis cum Insulanis negociari liceret, & tantum aquæ, quantum nobis necesse erat, ut & fructuum arborum in naues inferre. Interea omnes nostræ naues appulerant, quare Dux noster centum viros in littus emisit, ut aquatoribus nostris præsidio essent, ne in quas inciderent insidias.

Insolentia
militum
nomia.

Dum nostri in petenda aqua & pomis occupantur, accidit, ut quidam è militibus & vulgo nautico solita insolentia barbaris gallinas aliquot & anates interciperent, qua iniuria affecti insulani, ad Præfectum loci querimoniam detulerunt. Venerat autem ad eum Hypothalassiarachus cum ductoribus quibusdam ordinum, ut de futura aquatione & comparanda alimonia agerent: obrulerantque homini donum, cuius precium ad CCC. florenos accedebat: quod cum ille parui aestimaret, parum aberat, quin eos omnes, sub specie raptorum alitum, detineret. Quia autem fidem & promissam eius secuti, ad ipsum venerant, dimisit eos, monitos, ne posthac inimicis suis se tam incogitantet crederent. Et sane, si vel maxime arma expedire & vim tentare voluisset, erat Hollandis tantum virium, ut omnem ab se iniuriam depellere facile possent. In hac Insula duo è nostris nauibus ad Præfectum transfugerunt, Hispanus vnus & alter Græcus. Erant autem ex eorum numero, quos in IV. illis Hispanicis nauibus interceptos fuisse diximus.

Anni boni
Insulae
eius descriptio.

Cæterum ipsa Insula, cui ANNO-BONO diximus esse nomen, gradu duntaxat vno & quarta eius parte ab Aequatore abest versus Austrum, complectiturque peripheria sua sex miliaria. Eminent hæc calce super aquas, incoliturque ab Æthiopicis circiter CL. exceptis mulieribus & pueris, quorum numerus longe maior est. Parent hi omnes Lusitanis, qui etsi pauci in insula sint, ita tamen barbaros dicto audientes habent, ut satis mirari non potuerimus. Qui delinquant, iis alia pœna non irrogatur, quam ut in D. Thomæ Insulam mittantur in exilium: quod quidem Æthiopicis non leue videtur supplicium. Abundat solum eius multis variisque fructibus, nobis incognitis, quos ipsi Bananas, Amanassas, Cocos & Famacindas vocant: neque cannis mellitis, ex quibus saccharum fit, destituitur. Pomorum aureorum citriorumque tanta hic abundantia, ut quatuor dierum spacio CC. millia collegerimus, præter ea quæ à nostris hominibus consumpta fuerunt, & in computum non venerunt. Maior his quam alibi succi copia & mira saporis gratia: & horum quidem aliorumque pomorum per totum annum affatim reperitur, cum Insula hæc frigoris aut hyemis ne nomina quidem audiat. Boum, vaccarum, caprarum plurimum hic est, magnique porcorum greges, quos barbari nobis vili vendebant precio. Aquationis ad Euroauctum mira commoditas, destuente riuo à montibus in subiectam vallem, malis aliisque arboribus confitam, ideoque amœnissimam: & hinc petenda est aqua dulcis in vsu nauigantium. Statio nauium Aparctiam ventum respicit, fundo fabuloso & anchoris recipiendis commoda, tantæ profunditatis, ut à VII. vsque ad XVI. Orgyas descendat. Iuxta conspicitur pagus ab Æthiopicis cultus, murum habens obiectum mari, vnde eos, qui præter arbitrium eorum appellere volunt, arcere solent. Si quæ tamen vis maior ingruat, deserunt casas suas, ligno & culmine structas, montesque petunt, in quibus

Aquatio
in Anni
boni Insula.

agge-

aggeres & munimenta quædam struxerunt. Sclopetis aliisque tormentis manutis scite uti nouerunt, vnde temere lacerandi non sunt. Pauperiem gentis vestium vilitas arguit, viri prope nudi incedunt, inprimis qui sunt cum re tenuiori: mulieres toto corpore supra umbilicum nudæ sunt, femur à coxa vsque ad genua supparò lineo tegunt. Quæ huc aquationis causa appellunt naues exterae, caute cum atratis illis versentur oportet, ne ab iis circumuenti in pericula incidant, neue quicquam eorum promissis fidant. Semper igitur in excubiis sine necesse est, ut perfidiam plusquam Punicam euitare atque cauere malo possint.

Annabonensis
fratris
Aulensis
&
perfidii.

Die eius mensis vigesimo accidit, ut in nauis prætoriae, cui Amsterodamo nomen erat, tres pueri luderent, & ita in summam puppim sensim euaderent. Cumque se mutuo amplexi voluerentur, repente ab nauis in Oceanum, ita ut cohærebant, præcipites lapsi sunt. Confestim demissa scapha, vnus viuus exceptus est, duo in aquis perierunt.

Ab hoc die, etsi perpetuo, multum variante vento & tempestate, nauigauerimus, nihil tamen memoratu dignum accidit, vsque ad secundum diem Februarii anno à N. C. MDC. XXIV. quo die gubernator Concordiæ nauis, nomine Valentinus Iohannis, qui anno Salutis M. DC. XIX. in his ipsis partibus nauigauerat, Fretum Le Maire proclamauit ostensis montibus, qui ad latus occidentale faucium illarum attolluntur. Parum aberat, quin hic magno nostro malo in breuia incidissemus, nisi Spes nauis, quæ cum alia nostrate aliquot diebus præcurrerat, missa scapha nos monuisset. Medium igitur Fretum tenuimus, & perniciem vitauimus, vbi duæ illæ naues se nobis coniunxerunt, ita ut nulla desideraretur præter Gryphum & Vertagum. Qui his vehabantur, ostium fluiui cuiusdam subintrauerant, portumque inuenerant minoribus nauibus commodissimam præbentem stationem. Egerant cum barbatis, sed refectionis parum aut nihil fuerant adepti, præter piscium, inprimis passerum marinorum magnam copiam: & hæc quidam narrabant Duci nostro, cum a. d. VIII. Februarii se nobiscum coniunxissent.

Decimoquarto eius mensis die venit ad ducem Hypothalassiarachus noster, proposuitque in medium: cum proximis XII. diebus nauigando nihil profecerimus, an non consultum esset, circa Promontorium Hornense in sinum aliquem incurrere, vbi dulcis aquæ nobis copia fieret? Negauerunt plerique ita faciendum, cum in ignota loca tot naues deducere res esset plena periculi: si tamen eadem ventorum pertinacia porro nobis molesta esset, tunc aliud capiendum consilium. Cum autem Circius ventus perseverantur flaret, valuit Hypothalassiarachi consilium, qui & ipse, cum primus in ordine nauigaret, in Sinum quendam satis capacem (cui postmodum Sintui Nassouico nomen inditum est) ingressus, signum cæteris dedit, commode ibi anchoras proici posse, quem & cæteræ naues eo secuta sunt. Bono quidem euentu. Nam tantum ibi è vicinis montibus defluentis erat aquæ, ut plenis amphoris hauriri & in naues inferri posset: sed & copiam lignorum ad focum ibi inuenimus, quo jam egeret inceptamus.

Decimonono Februarii, circa meridiem repentina tempestas & procellosa oborta est, qua aliquot naues nostrates rudentibus ruptis anchoras perdidit, & parum abfuit, quin inuicem colliderentur: vespere tamen elapso conuenit procella. Compar tempestas turbauit mare die tertio post, ita, ut Aquila celeriter ab littore soluere coacta, nouendecim homines, qui in terram egressi fuerant, recipere in ea festinatione non potuerit, nec in tanto fluctuum impetu missa scapha ad nauem deportare. Cum vero postridie nauis ea denuo appelleret, vix impetu missa scapha ad nauem deportare. Cum vero postridie nauis ea denuo appelleret, vix uebant adhuc è XIX. illis tantum duo, qui narrabant, socios suos numero XVII. sudibus & perticis à barbaris fustim interemptos fuisse, cum tamen ipsi barbaros nulla re læsissent. In littore plura quam quinque cadauera reperta non fuerunt, naucleri & duorum puerorum, qui miserabiliter in frustra lacerati erant: cæteros omnes efferi isti secum rapuerant, ut eorum vescerentur carnibus. Cautiores igitur horum exemplo facti, iussi sumus deinceps manipulatum & cum armis nostris in terram egredi. Sed ab eo tempore postea barbari nulli comparuerunt.

Tristis
causa
aliquos
Hollandorum.

TERRA del Fuego siue Terra ignium, quam veteres crediderunt esse partem continentis terræ australis & incognitæ, nomen est aliquot insularum, quæ diuersis æstuariis & intercursum maris diuiduntur.

Descriptio
Terra del
Fuego.

Præcipua earum montibus asperatur, amœnis tamen & arboribus viridantibus confitis. Valles pleræque riualis è radice montium scaturientibus humectantur, vnde herbis ac gramine cooperiuntur. Stationes nauium hinc inde securæ & spaciosæ, ad recipiendas quasi naues, immo classes. Montes, si procul aspicias, videntur alibi quam in ipsa Insula enasci, sed propius accedens deprehendes errorem. Solum cauet nosum est, intus latentibus saxis ple-

Y 3

Incola terra del Fuego.

Arma eorum & bella.

Barbaries extrema cum fraudulencia coniuncta.

Vehemens tempestas.

Chile Provincia.

num. Venti hic frequentes, propter crebras exhalationes, & varii, vt in momento oculi mutantur, acciditque nobis aliquando, vt nec tendere recte nec demittere vela possemus.

Incolae huius terrae colore corporum albo sunt, vt Europaei; pingunt tamen cutem variis coloribus, in primis rubro, vt alicubi rubri, alibi albi, vel etiam variegati appareant. Corpora iis quadrata, statura quae Germanis Gallisque. Comam nigerrimam alunt promittuntque, vt terribiliores appareant. Viri omnino nudi incedunt, ne pudenda quidem velati, quae tamen mulieres cooperiunt, praeterea aluta. Et haec quoque corpus variis illinunt pigmentis, collo circumiicientes funiculum, de quo cochleae & conchylia pendent. Praestantiores inter eos animalis alicuius vel ferae pellem humeris crudam circumiiciunt, ad modum pallioli. Domicilia eorum e truncis arborum structa sunt, rotunda, inferius lata, in summo coeuntibus arborum cacuminibus in mucronem desinentia. Quod in iis terrae includitur, depressum est ad tres pedes, egesta humus foris fundamento circumiicitur. Omnis eorum suppellex consistit in fiscellis quibusdam iuncea aut viminea, in quibus afferunt hamos suos piscatorios, qui etsi nostris dissimiles sunt, plurimum tamen iis extrahunt e mari piscium. Arma eorum diuersa sunt. Quidam vtuntur arcu & sagittis, quarum mucrones non e ferro sunt, sed acutissimo lapide. Hastas etiam longas vibrant, pariter in aciem lapideam exeuntes, nec non cultros lapideos, acutissimos; postremo fundas balearicas, quibus lapides vi maxima & ictu prope destinato emittunt. Semper hi arma sua secum habent, potueruntque nostri certis indicibus colligere, bella hos populos inter sese gerere. Spectatu autem dignae sunt scaphae eorum siue lembi piscatorii. Corticem continuum crassissimae arbori scite detractum ita flectunt incuruantque, vt carinae speciem referat. Hinc semper ei aliquid demunt, vt in aciem vtraque extremitas exeat: fissuras apposite confuere nouerunt, vt ad extremum nauigium emergat Venetice Gondulae non multum absimile. Vtque firmior euadat, duplicant corticem aliquibus in locis, vbi plus est periculi. Longitudo harum scapharum aliquando ad X. vel XIV. pedes accedit, latitudo non vltra duas. Has tam celeriter remis impellere nouerunt, vt scaphis nostris actuariis nihil debere videantur.

De ingenii eorum si quaeras, bestiis eos brutisque similiores quam hominibus deprehendes. Mera hic & effera barbaries, cum in cibis deliciosis carnes humanas habeant. Religionis alicuius aut vitae ciuilis nulla scintilla; pudor nullus, vt alter alterum permingat. Intellectus armorum, quibus nos vtimur, iis plane nullus, cum sclopetis nostratibus gladiisque homines interimi posse non credant. Callidi tamen sunt (quod in illa feritate iure mireris) & fallaces, cum se primo peregrinorum amicos simulant, deinde incautos & nihil mali metuentes repente opprimunt, vt nostris e Concordia nauis accidit. Cauebunt itaque qui ad hoc genus appellunt, ne ipsis fidant, neu simplicitatem illorum & barbariem contemnant, cum nihil apud eos fidum sit atque tutum: vnde sine armis adeundi non sunt. Non destitit autem oras illas animalibus, vel hinc collegimus, quod stercora bubula, & interanea ac neruus animalium vidimus: accedente cuiusdam militis e nostris narratione, qui vltius penetrauerat, & se multas in syluis bestias vidisse referebat.

Die XXVI. Februarii mensis tam validis ventis commotum est mare, vt multi rudentes, quibus ad anchoras deligatae erant naues, abrupterentur, non paruo nauigantium periculo. Auulsa est hac vi tempestatis scapha ab nauis quadam nostrate, parumque abfuit, quin octo viri, qui ea vehebantur, submersi perirent. Sex tamen ab iis qui in Delphica nauis erant seruati sunt, duos autem Charon in suam recepit Cimbam: & illi quidem, qui a Delphensibus extracti fuerunt, vltra horam cum dimidia in aquis natando vitam conseruauerunt.

A. d. VI. Martii, cum Caurus ventus iuratus nauigationis nostrae hostis sine intermissione flaret, nec eo perseverante fieri poterat, quin classis nostra dissiparetur; eo prospere periculo conuocauit Thalassiararchus senatum, iussitque vnumquemque libere dicere sententiam suam, vbi nam diuisis nauibus quibusdam a caeteris, conueniendum denuo esset, Insulas enim Iohannis Fernandi eo vento tenere videbatur impossibile. Variatum hic est sententiis, cum aliis Terra del Fuego, aliis Fretum Magellanicum, aliis alius locus placeret. Cum inter eos parum conueniret, decretum est, vt adhuc per duos menses nauigationem nostram continuarem, daremusque omnem operam, vt in Mare Australe siue Pacificum eniteremur. Erid quidem paulo post factum est.

Nam ad XXVIII. diem huius mensis ostendit se nobis Chile prouincia Americae Meridionalis siue magnae illius Continentis Australis, quam vidimus conuerso vultu in ventum Vulturum: aberamus autem ab Aequatore gradibus XLII. cum que circa vesperam Fauonius spiraret vehementior, acta est classis nostra tam prope ad illud litus, vt vix vno milliari ab eo videremur abesse. Biduo post, nepe Kalendis Aprilibus sub gradu XXXVIII. & dimidio constituti;

stituti, triste accepimus nuncium, Hugonem Hypothalassiararchum nostrum grauius aegrotare, vt exigua vitae eius spes superesset. Geminata ergo est tristitia nostra, cum Thalassiararchus noster jam ante langueret.

A. d. IV. eius mensis aperuit se nobis Insula Iohannis Fernandi, in Circium ventum directo vultu, ad quam sequenti die, praemisso nauigio actuario appulimus. Adeo autem multae nobis in ea re obiectiones fuerunt difficultates, vt aliquot dies insumendi fuerint, antequam verum portum inter tot adulteria stationes tenere potuerimus. Hoc interim lucrati sumus, quod tres naues quae a nobis abertauerant, hic ad nos redierunt.

Insulae quae a Iohanne Fernando denominantur, duae sunt, quarum ea quae orientalis est, maior est. Sita est vtraque XXXIII. gradibus, minutiis XL. ab Aequatore versus Austrum. Maior LXX. milliariibus abest a continente Chile, minor aliquanto pluribus. Insula Orientalis dicitur ab Hispanis Isla de Siera, minor siue Occidentalis Isla de Fuera. Errauerunt in non parum, qui has prope cohaerere existimauerunt, cum Oceanus XX. milliarium inter vtramque intercedat. Insulae maioris siue orientalis, ad quam naues nostras appulimus, peridromus complectitur milliaria VI. longitudo ab ortu in occasum est milliarium duorum cum dimidio. Iuxta stationem ad quam appulimus, valles aliquot sunt, trifolio aliisque herbis viridantibus constatae.

Abundat haec Insula aqua potabili & piscibus gratissimi saporis, qui prope sine labore capiuntur: vix enim hamum in aquas proieceris, certatim adsunt pisces, & escam dolosam ore deglutiunt, vt per lusum jocumque extrahantur. Leones Marini & aliud genus, quod Belgae vulgo Zeerobben vocant, hic cateruatim apparent, interdiu quidem in mari viuentes, noctu vero in terram egredientes: aliquando etiam interdiu, vt a sole recreentur. Horum multos nostri sustibus interemerunt, eorumque in cibo sunt vsi carnibus: cum autem plures interfecissent, quam vellent edere, relicta eorum in litore cadauera, fetore suo malo in fecerunt aeternum odore. Carnes eorum primo bulliunt in feruente olla, deinde ablato abdomine in craticula torrentur, & hoc pacto ouillae saporem referunt: multis tamen ea comestae nauis vomitumque attulerunt. Caprorum hic affatim, neque tamen ea carnibus eorum inest bonitas, vt in S. Vincentii Insula: sed & difficiliter capiuntur. Alia animalia hic videre non potuimus. Fructus arboreos hic vidimus nullos praeter Palmites (vt vocant) & aliquot malos Cydonios, e quibus circiter centum poma Cydonia collegimus. Santali ligni hic reperitur copia, cuius tamen minor est praestantia, quam illius quod in Motiva Insula reperitur. Ligni hic ad quaeuis opera glaberrimi durissimi que varia sunt genera, nobisque incognita, vt & ad focum: ad malos tamen nauium arbores reperite idoneas non potuimus. Solebant olim pauci barbari, numero X. vel XII. hanc Insulam incolere, qui capiendis piscibus & aliquando Robbarum piscium abdomine vitam tolerabant: sed nostro tempore penitus inculta est & inhabitata. Hoc loco e nauis praetoria tres milites & tres nauae substiterunt, quos tantum tam longae nauigationis taedium ceperat, vt classem vltius sequi nollent.

A. d. XXIII. huius mensis, quia non dubitabamus, Hispanorum naves nobis fore obuias, cum quibus omnino depugnandum nobis esset, Thalassiararchus quasdam leges militares tulit, quibus tota classis in certos distribuebatur ordines, & rei tormentariae praefecti, tribuni militum atque nauae iubebantur vigilare, & officij quisque sui memor esse.

Iam Maius mensis aduenerat, cuius die quinto aduersa valetudine detentus id exequi non potest, ipse milites nauaeque suos, in sua quisque nauae ad virtutem cohortarentur, & ad obseruantiam legum militarium: addita simul incitatione & stimulo fortitudinis, fore vt ei, qui vixillium a Praetoria nauae Hispanica rapuisset, in praemium virtutis CC. Thaleri numerarentur, qui a subpraetoria, centum, qui vero signum militare hosti vbiunque ereptum secum attulisset, quinquaginta donarentur.

Octauo die eius mensis terra quaedam edita procul nobis apparuit. Dux ergo noster tria nauigia actuaria milite instructa eo misit, vt explorarent, essetne eo loco Portus Lima Vrbs, quem Collao de Lima vocant. Circa meridiem vidimus nauem recta ad nos vela facientem. Hanc vt exciperent, nauem vnam cum scapha direxit noster Nauarchus. Caeterum tria illa nauigia actuaria jam ante eam animaduertent: & celeriter intercepta spe reditus sui iuris fecerant & jam captiuam ad Thalassiararchum adducebant: erat autem Liburnica, quam Prorex Lima miserat ab Collao Portu, vt certum de nostra classe ad se referret nuncium. Vehabatur in ea tribunus militum Hispanus, nomine Martinus de la Rhea, cum IV. militibus Hispanis & septem Indis & Aethiopicis mancipiis.

Narrabant hi, superiore die veneris, qui tertius dies Maij mensis erat, classem Regiam argen-

Insula Iohannis Fernandi descriptur.

Animalia in Insula Iuan Fernandi.

Praemia virtuti constituta.

Nauis Hispanica intercepta.



Nuncius
de classe ar-
gentifera.

argentiferam ab Collao soluisse, & Panamam oppidum petiisse, constantem VII. nauibus, quatuor mercatoris & tribus militariter instructis. Esse adhuc in portu Collaensi Prætoriam Hispanicam, magnam sane nauem, XL. tormentis æneis armatam nec non duas minores, quarum vna quæ XIV. haberet machinas bellicas. Præter has subsistere ibi in anchoris circiter XL. vel L. naues mercatorias, inermes plerasque, quæ triplici ordine à tribus munimentis saxo quadrato structis defenderentur. In ipsis munimentis solere stare VII. tormenta, metallo fusa: cæterum Proregem conspecta nostra classe, de qua non dubitaret, quin recta Limensem portum esset petitura, illis adhuc XL. varii generis addidisse, vt iis aduentantes Hollandos salutaret. Esse in oppido Collao Hispanorum militum Signa IV. Septuagenos vel octogenos habentia milites: duo vero classi argentiferæ præsidio addita fuisse, cum ea Panamam peteret. Intellecto vero Hollandorum aduentu, Proregem celeriter ex omni vicinia militem Collaum, euocasse, neque se dubitare, quin breui tempore aliquot millia ibi essent conuentura.

Primum im-
petus fru-
straneus.

A. d. IX. Maij, orto sole recta ex aduerso Portus Limensis constitimus, & iactis anchoris conqueuimus. Vocatique ergo Præfecti nauium, decretumque factum est, vt postero die summo mane omnibus viribus in Collaum opidum fieret impetus. Ager ipse Dux noster, suo loco summum militibus adeoque toti illi expeditioni caput constituit Hypothalassiar-
chum, Hugonem Schappenhamum, Præfecturam vero vigilum dedit Cornelio Iacobi. Bonum factum visum est, ad quinque signa militum, quæ in Batavia conscripta fuerant, alia quinque addere ex nautico genere lecta, quibus singulis sui constituti sunt centuriones & tribuni. Deinde placuit, quinque illa signa militum primum in terram exponere, qui iacto aggere tantisper ex temporaneo se tutarentur munimento, donec quinque signa nauarum pariter sicum tenerent.

Tres naues
Hispanica
intercepta.

Decimo eius mensis die, circa diluculum Hypothalassiarachus noster omnes milites in terram exponere volens, propterea quæ defectum accedere non pouit. Stabant in littore aliquot signa peditum Hispanorum, vt nostros exciperent: cum autem ad eos accedere non possemus, Dux noster tormentis æneis in eos explosis, cum nauibus suis recessit. Ferebantur interim tres naues Hispanicæ circa Collaum, quæ destitutæ vento ulterius pergere non poterant; has nostri interceptas ad classem adduxerunt, cum homines jam ante desertis iis in terram effugissent. Prima istarum nauium plurimum vehebatur panis biscocti, & aliquot cadi vini Hispaniensis, nec non magna vis pomorum, vuarum & aliorum fructuum: quæ quidem res nostris refectione valde indigentibus, peropportune accidebant. Cæteris duabus imposuerant Hispani ligna ad focum, & aridos salitoque pisces, cum aliis rebus minoris precii. Postridie præda illarum nauium diuisa est.

Hispanorū
naues ab
Hollandis
incensa.

Die vndecimo circa mediam noctem, tres centuriones Adrianus Tollius, Hermannus Slob-
bius & Meinardus Eggebertus assumptis aliquot nauibus tormentis æneis probe instructis, & magna vi ignium artificialium, recta naues Hispanorum petierunt. Stabant circiter quinquaginta post munimenta lapidea, de quibus superius diximus, quod in iis multæ machinæ constitutæ fuerint, velut in loco securo. Nec defuit successus Hollandorum conatui: aliam enim nauem post aliam inflammantes, plerasque illas incenderunt, quanquam tormentis à vallo & nauibus militaribus explosis, & imbre glandium è sclopetis manuariis emisso in nostros grauitate detonarent, respondentibus nostris vicissim tormentorum densis ictibus. Ita tamen constiterant nostri, vt Collaensium tormenta prius in ipsas Hispanorum naues, quæ propius munimentis stabant, quam in nostras fulminarent: à sclopetorum glandibus parum erat periculi. Correptæ autem fuerunt igneo illo turbine circiter XL. naues Hispanicæ, inter quas quædam erant magni precii, & machinis bellicis sufficienter instructæ, vt damnum, quod ea nocte acceperunt, leuiter non sit æstimandum. Ex nostris ceciderunt eo conflictu VII. vulneratique fuerunt XV. plerique omnes è naue prætoria, quæ conata rapere nauem Hispanicam, quanquam frustra, magis se tormentorum ictibus exposuerat. Vbi diluxit, agebat ventus refluxente mari recta ad nos nouem Hispanicas naues, ardentis & flammam longe lateq; ex nocturno incendio conceptam spargentes. His nostræ naues celeriter sublatis anchoris cesserunt.

Die duodecimo Vertagus noster nauigium Hispanicum optimo vino onustum interceptit & ad classem nostram adduxit. Biduo post Cornelius Iacobi, assumptis quatuor nauibus, Concordia, Dauide, Grypho & Vertago. Vela à littore dedit, directis in austrum proris, vt loca atque Insulas Limæ vicinas in suam potestatem redigeret. Sequente nocte duo Græci è Proprætoria, arrepta scapha in littus euaserunt, & ad Hispanos transfugerunt. XXII. die potiti sumus alia nauem Hispanicam, lignis potissimum ad focum onusta, inque ea cepimus viros XXX. partim Hispanos

spanos partim Æthiopus. Biduo post nauta quidam è nauis Hollandia ad Hispanos transfugente conatus, interceptus & suspensus est.

A. d. XXVII. sub initium noctis nauigium Hispaniense captiuum, in qua CC. libræ pulueris tormentarii dispositæ erant, cum magna vi pyrobolorum & alius materiæ ad excitandum incendium & dissipandum quoduis obiectum apræ, ad prægrandem nauem Hispanicam adactum est. Vehebantur eo quinque Hollandi, qui ad hoc tam periculosum officium sua sponte se obtulerant, inter quos principem locum obtinebat Wilhelmus Gommerus, commissarius Aquilæ nauis. Vbi tam prope ad nauem illam accesserunt, vt glande è sclopero missa tangi possent, nondum præsentiam eorum sentientibus Hispanis, anima duerterunt, obiectis trabibus & protensis remis longioribus ad nauem illam se propius accedere non posse: infecta erga re ad classem redierunt.

Irritus co-
natus in-
cendiij.

Secundo die Iunii mensis Iacobus Eremita Dux & Thalassiarachus noster diuturno fractus morbo vita functus est. Egrotauerat continua febris inde à nostro discessu ab Sierra Liona, accedentibus variis symptomatibus, quibus ita exhaustus fuit omnibus viribus, vt vix loquendi potestatem haberet. Neque tamen propterea vexilla ab nauis prætoria ablata sunt, ne Hispani mors eius innotesceret. Postridie corpus eius in Insula de Lima terræ mandauimus, exequiis ei factis satis pro præfenti copia honorificis. Primo ibant quinque signa è genere nautico lecta. lequebatur funus à centurionibus humeris gestatum. Campanarum vicem præstabant tormenta ænea de nauibus horrendis tonitruis aliquoties explosa. Interea milites in stationibus atque munimentis dispositi, non auocabantur, & præter solita signa, multa vexilla captiuarum nauium in summis nostrarum nauium carchesis explicata agitabantur, vt putarent Hispani, boatus illos tormentorum hilaritatis & lætitiæ signa esse, ob interceptas incensaque suas naues.

Iacobus
Eremita
moritur.

Funus Tha-
lassiarchi.

Sexto die eius mensis nauis prægnans incendiis iterum ad inflammandas triremes Hispanicas missa, non plus effecit, quam priore expeditione, cum in puluimum impigisset, atque ibi substitisset. In eam igitur hostes magnam vim globorum è tormentis, & glandium è sclopetis manuariis grandinem effuderunt, vt de spectabundi magistri iniecto igne scapham conscenderint fuga salutem petentes. Fuerat autem nauigium illud igniferum adeo grauitate concussum, vt aliquot locis mare acciperet, vnde puluis tormentarius madefactus, prope sine effectu in ventos abiit.

Hispani, quos habebamus captiuos, incredibili tenebantur desiderio redeundi ad suos: vnde exorauerunt Hypothalassiarachum nostrum, vt scriptis ad proregem litteris Iytron pro iis expeteret, minime dubitantes, quin is nihil antiquius esset habiturus eorum salute. Paruit noster, misitque nonnullos, qui conscensa scapha vexillum album, pacis indicium præferentes, epistolam exhiberent. Prorex adeo desepit miserorum postulata, & oblatas à Duce nostro conditiones, vt vix ab iniuriis temperauerit; certe non oculos tantum sed & manus ligari nostris, qui in scapha erant, iussit, eosque arcte custodiri. Postero die solutis manibus & sublata tænia multis blanditiis eos aggressus, persuadere voluit, vt secum in Collao manerent, sigillatim vniciuique locutus. Cum autem surdis narrasset fabulam, nunciari iussit Duci nostro, non aurum argentumue, sed ferrum & ignem se ei debere, monere igitur, ne quem posthac transactionis nomine ad se mitteret, alioquin se ipsum in cruce macturum.

Hispanos
suos redi-
mere na-
gat.

Hoc accepto responso, coactus senatus decreuit: cum captiui Hispani alimoniam frustra consumerent, & graue esset, tot homines exacte custodire, qui dies noctesque effugiendi quærerent occasiones: consultum videri, classem tam inutili pondere leuare. Igitur a. d. XV. Iunii mensis, tribus horis ante meridiem producti XXII. captiui Hispani, inspectantibus suis ab littore & munimentis, in nauis prætoria à malo & antennis suspensi fuerunt. Erant præter hos tres grandes natu admodum, hos dimiserunt Hollandi ad proregem, iusseruntque nunciari, coactos se ita facere inhumanitate & barbarie proregis, qui tam inciuiliter & contra morem belli respondisset.

XXII. His-
pani sus-
pendun-
tur.

Diximus superius, Cornelium Iacobi cum quatuor nauibus vicina Limæ oppida iustum obire, vt ea si posset aliquo afficeret detrimento. Is XVI. die Iunii reuersus, frustra se in ea expeditione fuisse tristis narrauit: longe enim munitiora loca illa se deprehendisse quam rumor vulgatterat. Cumque milites suos apud Piscum oppidum exposuisset, Hispanos ex insidiis pro-
uolantes acriter cum iis conseruisse manum, vt Hollandi ad naues se recipere coacti fuerint. Desperata igitur expugnatione loci, cum insuper ventus australiora tentare non sineret, ad classem rediere, vt diximus, desideratis quinque qui ceciderant, vulneratis XVI. præter XIII qui è nostris ad hostem transfugerunt.

Cornelij
expeditio
frustranea.

Z

Accedebat



Accedebat, quod (nostrorum iudicio) ad duo Hispanorum millia in armis erant, & ducenti equites, qui parvis lanceisque armati nostros à tergo fuerant inuasuri, si res ad apertum praelium deuenisset.

Proditor
laqueo sus-
sensus.

Incipiebant jam nostri laborare aquae penuria, unde die XVII. lex aquaria lata est, quantum quisque in singulos dies acciperet. Tertio die post nauta quidam, qui ad hostem transfugere conatus fuerat, comprehensus, in super de conspiratione cum duobus Graecis in vitam & salutem Ducis nostri confessus, in insula de patibulo suspensus est.

Scorbuti
morbum
quomodo
curatus
fuerit.

Laborabatur circa hoc tempus vulgo in classe nostra Scorbuto, plurimis grauissime agrotantibus, ut quaedam naues vix regi possent, serpebatque malum in dies longius. Non apparebat vllum huic morbo remedium in Insula Collao: neque nobis licebat inde soluere, quod Mauritius & Spes naues se nondum nobiscum coniunxerant, quas si deseruissimus, poteramus videri illas hostibus prodidisse. Iam omnia plena erant desperatione, cum Deus nobis casu remedium ostendit. Miles quidam Heluetius, qui vehementer eo morbo affligebatur, conscensus summis Insulae montibus, in quibus nihil viride inueniri posse putabatur, herbam ignotam repererat, qua masticata mirum leuamen senferat. Digressus à montibus narrauit hæc Hypothalassiarcho, qui è vestigio missis eo sub signo militibus, tantum huius herbae colligi iussit, quantum in omnes naues sufficeret. Dabatur etiam oleum & acetum, ut lactucae instar cruda comedi posset: aliqui etiam ad modum olerum coquebant aut in sartagine frigeabant, qua re factum est, ut paucis diebus plerique omnes conualescerent.

Duo Hispani
transfuga-
ti.

Kalendis Iulii mensis venerunt ad Concordiam nauem duo Hispani rati junceae insiden-
tes, qui à suis ad nostros transfugiebant. Deducti ad Ducem nostrum narrabant, duas naues nostrates, Mauritium & Spem sub Insula Puna quatuor Hispanorum naues in suam redegit se potestatem, in super & oppidum Guaiaquillam cum trirème Regia penitus exulisse. Collaum oppidum vndique firmissimis cinctum munimentis, inque iis constituta tormenta ænea LXXX. præter quadraginta illa, quæ in nauibus murisque ad Portum essent disposita. Esse in eo oppido signa peditum XL. equitum X. Proregem misisse aliquot militum cohortes ad fontes, unde petituri essent Hollandi aquam, ut hos armati exciperent. Causam transfugij sui affirmabant, quod in digladiatione, quæ super scorto publico orta fuerat, Præfectus rei maritimæ apud Hispanos confossus perisset, cui quidem iurgio ipsi interfuisent. Sollicitos igitur de salute & vita sua, maluisse ad Hollandos transire, quam domi certum expectare supplicium.

Augebatur penuria aquæ in dies, & solum lapidosum effodi ad faciendos puteos non poterat, unde iussi sunt nauæ militesque non eos coqueret cibos, ad quos aqua dulcis requireretur, sed carnes salas, siccatos pisces & laridum, quæ omnia marina aqua elixati coquique poterant.

Post hoc tempus Hispani nauigiis actuariis maioribus quotidie ad nostram classem aduecti, in nostros fulminabant, & in primis Concordiam nauem multum exhibebant negotij: respondentibus autem nostris tormentis maioribus, domum ad suos reuersi sunt, cum nec multum damni accepissent nec dedissent.

Nouus Thala-
siarchus
in Classe
Hollandi-
ca.

Augusti die quinto in locum defuncti Eremitæ septemus Dux siue Thalassiarcho classis nostræ (quem vulgo Admiratum vocant) constitutus est, Hugo Schappenthamus, qui hæcenus primum ab illo locum obtinuerat, cui & eodem die omnes socii classis & ministeria nautica fidelitatis iuramentum præstiterunt. Designatus est Hypothalassiarcho Ianus Wilhelmus Verschorius absens, qui paulo post cum duabus nauibus, Mauritio & Spe, & alia captiua nauis Hispanica adfuit, retulitque, quid ea expeditione effecerit. Tres ab se captas naues: harum duabus se iniicisse ignem, seruata adductaque tertia. Inde Guaiaquillam, caput & portum Prouinciæ Quito petiisse, quod oppidum valido fuerit munitum præsidio: quo non obstante, resistentibus acriter Hispanis, se oppidum, expugnasse, amissis XXXV. è suis, qui omnes in scaphis actuariis glandibus traiecti fuerint, dum terram petunt. Cum autem vix ducenti omnino essent, & Hispanos validis cum copiis aduentare nuntiaretur, desperantes de retinendo oppido, irem ei iniicisse, quo non ipsum tantum, sed & vicinæ trirèmes regiæ conflagrauerint. Perisse in ea expugnatione Hispanos circiter centum, captiuos factos XVII. qui, quod lytron non expedirent, in mare præcipitati, suffocati fuerint omnes: Perentibus à Puna Insula Arecam oppidum ventum vehementer oblectatum fuisse, ut ulterius progredi nequiverint, sed Collaum ad classem redire coacti fuerint.

XVII. Hi-
spani aquis
suffocati.

Cum igitur apud Collaum oppidum & portum Limæ diutius hære, & rem impossibilem tētare minime consultū videretur, a. d. XIV. Aug. mensis inde discessimus. Habebamus naues omnino

omnino XIV. adnumeratis III. captiuis Hispanicis, quas ita instruxeramus, ut in partem clas-
sis nostræ venire, nobiscumque manere poterant.

Ab hoc tempore aliquot diebus circa vicina Limæ loca oberrantes Hollandi, cum in loco, qui ad Piscatores appellatur, nihil contra molientibus Hispanis, aquæ dulcis aliquantum adepti fuissent, nec alia se rei bene gerendæ in istis partibus offerret occasio, vela fecerunt, & die XXV. Puna Insulam tenuerunt. Fugerant autem jam ante omnes eius incolæ, tam Indi Puna In-
sula deser-
ta ab inno-
lis.
XII. minoribus nauigiis, denovo Guaiaquillam oppidum tentare iussi sunt. Obsederant mon-
tes aliquot signa Hispanorum: horum qui primi erant, aduentantibus Hollandis, simulata fuga in penitiora montium se receperunt. Ibi quinquaginta è nostris, receptum eorum con-
spicati, enitentes ad summa, conferere cum iis manus cœperunt. Mox Hispanorum magna manus, qui in specubus se occultauerant, ita in nostros intecti sunt, ut eos præcipites in fugam agerent. Venerat prioribus subsidio aliud signum peditum, sed & hi illorum fuga abrepti, simul ad naues se recipere omnes coacti sunt, amissis XXVII. suorum, & inter eos signifer. Fuerant etiam vulnerati aliquot ex ordinum ductoribus, qui fugientes sistere conati pertinacius repugnauerant, interque eos Schonenbergius Locumtenens, qui deinde ex vulnere mortuus est.

Vndecimo die Septembris, cum nostri aquam dulcem & magnam vim fructuum arboreorum in naues intulissent, nemo vero mortalium interim compareret, iussi sunt milites Pago Punta, cui idem cum Insula nomen est, ignem iniicere, quod ignauiter effecerunt. Profecti inde animaduertimus, deesse nobis VIII. milites, quatuor Anglos & totidem Gallos, qui in Insula subliterant, sine dubio ut ad hostes transirent, tædio vltioris nauigationis.

Ab hoc die vsque ad XX. Octobris nauigantibus nobis nihil accidit memoratu dignum, sequentia autem die vidimus Terram Firmam siue Continentem Nouæ Hispaniæ, quæ præaltis montibus attollebatur, sub gradu ab Æquatore XVII. versus Aquilonem. Sub initium noctis quatuor Dux noster emisit scaphas, ut lembum aliquem piscatorium, si possent, exciperent, è quibus disceremus, quantum ab Aquapulco oppido abessemus.

Noua Hi-
spania si-
tus.

Octobris mensis die XXVIII. Oriente Sole vix vnius horæ spacio ab Aquapulcano portu aberamus. Cum autem dubitarem, verene portus is esse: an non, misimus nauigium actuarium, ad penitiora eius rei cognitionem: accepto inde signo, sublaraque dubitatione, recta proras eo conuertimus & sub ipsius Arcis conspectu anchoras jecimus: Est hoc castellum satis munitum, non multis ab hinc annis in proiecto quodam terræ mucrone ædificatum, ut se naues à Philippinis Insulis venientes eo tuto recipere possint: Propugnaculis id munimentum constat quatuor, in quibus XII. disposita sunt tormenta ænea, è quibus duo in nos aduenientes emissi sunt globi, sed sine effectu, cum nos contingere non possent.

Aquapul-
co portus &
castellum.

Sequenti die misso ad Hispanos caduceatore, ostendimus, habere nos in vinculis aliquot primi nominis viros Hispanos, ductores ordinum tribunosque, quos ipsis effemus tradituri, si prius idoneos obsides ab ijs accepissimus. Hi autem eo fine à nostris petebantur, ut ex ijs intelligeremus, an adhuc eo anno classem à Manilla & Insulis Philippinis expectarent, & si expectarent, an naues adhuc procul abesse iudicaretur. Respondit Præfectus castelli, se neque daturum neque accepturum obsides: ceterum captiuos se præsentis ære redempturum, & in ea re bona vsutum fide. Sic consilium nostrum effectu caruit.

Primo die Nouembris discessere omnes Hollandorum naues, desertoque portu Aquapulcano conuenit inter eos, ut nouus Hypothalassiarcho assumtis nauibus quinque, Amsterodamo, Concordia, Aquila, Dauide & Grypho, nec non Vertago & nauigio actuario, conuersis in austrum proris, apertum peteret Oceanum, ut trirèmes Hispanorum, quas ab ea parte aduenturas suspicabamur, vel exciperet ipse, vel conuersas in admiratum, qui adhuc cum cæteris nauibus in portu Aquapulcano consistebat, incurrere cogeret. Die tertio & quarto eius mensis aliquot nostrorum nauigia è portu cui del Marques nomen est, aquam dulcem ad classem attulerunt. In ea Insula Dux noster speculatores in edito monte constituit, qui diligenter obseruarent, an se nauis aliqua peregrina ostenderet, & quo successu nostræ naues vterentur. Die quinto nauta quidam è nostra nauē Citro nando in Insulam euasit, & ad hostes transfugit.

Deserunt
portum A-
quapulca-
nam.

A. d. VII. Centurio quidam noster Wittus nomine cum aliquot minoribus nauigiis ad Insulam appulit, petiturus aquam. Latebant in insidiis circa puteos aliquot Hispanorum manipuli, qui facti ex improviso in nostros impetu, quatuor ex iis interemerunt, cæteris ad naues compulsis. Subliterat in litore miles vnus, qui cum drutius restitisset, cæteros ad scaphas properantes sequi non potuerat. Huius virtuti aliquid dandū ratus centurio, ipse scapham

Aquatio
insuliciter
succedens.



pham conscensam eo egit, ut illum reciperet. Et hic quidem seruatus est, ceterum centurio recepta in latus glande plumbea, non diu superuixit.

Hinc peracta dierum aliquot tarda ob malaciam nauigatione, a. d. XXIX. tres naues minores, quae classem ulterius sequi non poterant, Dux noster cremari flammis iussit: Nauclerum vero senem Hispanum, nomine *Didacum Sangium*, cuius bona haecenus fueramus vsi opera, cum duobus aliis transfugis Hispanis in littus exposuit, ut donati libertate sibi quomodocunque possent, consulere ipsi.

Annus M. DC. XXV. Calendis Ian. an. A. N. C. M. DC. XXV. ut noui anni celebritas maiore peragi posset letitia, iussit Thalassiarchus vnicuique nauae & militi sextarium optimi vini Hispaniensis exhiberi. Cumque Scorbutus iterum multos e medio tolleret, vetuit Praefectus, ne cum cadauera in mare abiicerentur, tormenta de more exploderentur, cum is honor superuacaneus esset: morientibus praesertim multis etiam ex primo militum ordine, ut numerus classiariorum valde imminueretur.

Insula Latronum. Hinc a. d. XXV. vidimus *Guaganam* Insulam, quae vna est ex Insulis *Latronum*. Circa meridiem aderant *Latrones*, lembis suis lintribusque vecti, afferentes ad naues nostras Gossypium & fructus quosdam arboreos Indicos: nos ipsis vicissim fragmenta quaedam ferri dedimus. Hoc enim peculiariter expetunt. Die XXVI. reversi iidem *Latrones* eadem nobis obtulerunt, praeterea que circiter DCC. Nuces Indicas, quas vulgo *Coccos* vocant. Nolebant *Latrones* nos propius ad Insulam suam accedere, parum fidentes integritati militum, cumque omnis generis refectiones ad naues afferrent, nec haberet causam Dux noster, magno cum labore eo penetrandi, contentus misisse scaphas ad auationem, procul constitit. Cum vero *Latrones* armati hastilibus & fundis nostros ab aqua petenda prohibere vellent, plures in Insulam sunt expositi milites, cum duobus minoribus tormentis campestribus.

Latrones negociatores. Sub initium Februarii mensis iterum aderant *Latrones* (neque enim hostile quicquam in nostros tentauerant,) offerentes nobis aliquot saccos Oriza plenos, quam sane vili vendebant precio. Pro septuaginta enim vel LXXX. libris orizae accipiebant securiculam aliquam hebetem nulliusque precii, vel cultrum rubigine exesum.

Lustratio totius classis. Huius mensis die quinto Censui habitus est vniuersae classis, deprehensique sunt adhuc in viuis superesse viri M. CC. LXII. in quem numerum etiam veniunt XXXIII. captiui, partim Indi partim Hispani.

Die vndecimo, cum mane a Ministro Ecclesiae Concio habita precesque fuae fuissent, omnes deserta *Guagana* Insula uaves conscendimus. Est autem *Guagana* vna ex iis, quae vulgo vocantur *Insulae Latronum*, Hispani appellant *Islas de las Velas*: Absitque ab Aequatore versus septentrionem gradibus XIII. cum dimidio. Statio ad appellendas naues in occidentem obuersa est: ipsa humus satis edita, solum Orizae ferax, ut ex eo quod nobis attulerunt, facile iudicari potest. Arboreos Gossypii feraces & Nuces Indicae incredibili hic videntur copia. Sunt & hic alii fructus nobis ignoti, quos ipsi suis nominibus vocant *Amianas*, *Vanmanas* & *Palmites*. Rapuerunt hic nostri milites circiter C. C. gallinas, cum recentium carniuum copia nobis non fieret. Ipsi Insulani corpore sunt quadrato & robusto, proceriores Indis qui continentem incolunt: colore cutis subrubicundo. Nudi ingrediuntur omnes, praeterquam quod mulieres genitale anterius folio arboris leuiter tegunt. Arma eorum sunt funda balearica, & *Aslagaia*, id est breuis hasta siue pilum vtrumque mucronatam, quo magna dexteritate vtuntur. Scaphas suas, quas ipsi *Canoas* vocant, non tantum scite fabricare nouerunt, & velis instruere, sed & remis ita agitare, ut licet vi fluctuum aliquando euertantur, restituere tamen eas atque erigere illico possint. Cum primum negociari nobiscum inciperent, videbantur bona fide agere: sed mox patuit, eos non iniuria *Latrones* vel *Fures* appellari; nam & saccos Oriza plenos, subtus arena expleuerant, & semper nouum aliquod furti genus atque fraudis comminiscabantur. Quotquot ergo hic pedem in terra posaturi sunt, apprime sibi caueant oportet, nec nisi armati in Insula obambulent, ne magno suo malo experiantur, nihil hic a latrocinii & caedibus esse tutum, ut nostri senserunt.

Gilolo Insula & mons in ea. Die XXI. cum Nauarchi & Naucleri omnes ad consilium capiendum conuocati sententiasque rogati fuissent, placuit, conuersis in Africum ventum proris *Gilolon* Insulam petere, vnde recta nauigatione *Ternate* vna ex Insulis *Moluccis* peti possit. Patuerunt omnes huic consilio, estque omnibus viribus laboratum vsque ad II. diem Martii mensis, quo se in conspectum nobis obrulit Mons *Gammacor*, in aquilonari *Giloloensis* Insulae littore assurgens: ad occidentale enim littus *Moluccae* Insulae praetenduntur. Quarto die aberamus tantum vno gradu, minutis XL. ab Aequatore. Cum vesper esset, frigidiuscula perflabat ab septentrione aura, cuius beneficio factum est, ut ea nocte ad *Maleiam*, quae primi nominis ciuitas est in

Ternate Insula, appelleremus. Statim ergo Dux noster *Moluccarum* Insularum *Batauorum* nomine Praefecto, *Iacobo le Febre* aduentum nostrum nunciari iussit, nos vero, quia venti remiserant, tardius ad portum *Maleiensem* peruenimus.

Postridie adfuit Praefectus ad Portum, & Thalassiarchum honorifice exceptum, circa meridiem secum in Insulam deduxit. Nono die censuerunt omnes, ex re Illustrium Ordinum Hollandiae fore, si alia deinceps nauigationis nostrae institueretur ratio. Igitur *Concordia* nauis iussa est, *Machian* caeteraque *Moluccas* adire, aliae vero alio destinatae. Est autem *Machian* Insula in ordine *Moluccarum* quarta, si ab Aquilone incipias.

A. d. XIII. Dux noster assumptis quatuor nauibus maximis & plerisque militibus, locum quendam in *Ternate* Insula, nomine *Calematen* petiit, vbi superiori tempore nostri aggerem & munimentum excitauerant. Hoc vbi solo aequauit, & tormenta in ea constituta alio transulit, ad classem est reuersus. Idem quoque *Hypothalassiarchus* in alia quadam Insula e *Moluccis* fecit, cui nomen est *Motiv*. Et quia intellexeramus, Nauem *Hollandicam* cui *Fidei* nomen fuerat, apud *Sangni* Insulam in puluinis constitutam petiisse, eo missa fuit *Concordia*, ut tormenta, res atque homines, qui adhuc supererant, asportaret, & ablatiis iis ad *Ternatem* reuerteretur.

Quarto die Aprilis tota classis nostra apud *Amboinam* Minorem anchoras proiecit, ab *Delphi* nauis nostra nouum malum adepta est. Praerat huic Insulae nomine Ordinum Hollandiae *Hermannus Spelcius*, qui inito cum Duce & Praefectis nostris consilio, statuit inimicam Insulam *Loeam* armis aggredi: nec mora, cum eo venisset nostri, non illius duntaxat Insulae, sed & *Ceramenses* nomini *Hollandico* semper infensos magnis affecere calamitatibus, exustis pagis & succis arboribus *Cariophyllorum*.

XXII. Iunii rediit Praefectus *Speultius* cum Duce nostro *Amboinam*, relictis nauibus, in qua agroti erant, in statione ad *Cambellam*, quod vehementes iactationes flantibus Aquilonibus vix ferre posse videbantur.

Die Iulii XVIII. vterque conscensae nauibus praetoriis iussisque subsequi caeteris, institit *Nouam Batauiam* petere: cumque *Vertagus*, vna nauium nostrarum, tantopere laxata rimis esset, ut ulterius a submersione seruari non posse videretur, iussit Thalassiarchus noster, ut tormenta maiora ac minora in munimento *Cambellensi* relinquerentur, ipsa vero nauis *Vulcano* consecraretur. Idem postea alii *Celoci*, cui nomen erat *Nassouica* contigit, quae pariter exonerata mercibus & tormentis exusta fuit.

A. d. X. Augusti ad *Macassarum* appulimus, vbi *Speultius* Praefectus *Amboinae* Insulae ab regno loci honorifice exceptus fuit: vnde discedens idem Praefectus cum duabus nauibus, *Citro* & *Mauritio Iaparam* contendit: Thalassiarchus vero recto cursu *Nouam Batauiam* petiit, quem paulo post secutus *Speultius*, eodem appulit.

Cum autem neque Praefecto *Amboinae* neque Thalassiarcho, neque denique Senatui Indico placeret, coniunctis nauibus expeditionem aliquam suscipere, aut aliud aliquid bono Ordinum Hollandiae experiri; visum est diuidere naues, ut classis in partes separata seorsim dispiceret, si quo loco publicum commodum promouere & hosti detrimentum afferre posset. Itaque *Speultius* assumptis nauibus *Citro*, *Hollandiae*, & *Mauritio* Suratum petiit. *Hypothalassiarchus* cum duabus nauibus *Spe* & *Grypho* *Malaccam* profectus est. Tres naues, *Aquila*, *Dauid* & *Concordia* Portum *Choromandellae* petere iussae sunt. *Delphensis* postremo & *Amsterdamum* primo quoque tempore domum ex imperio petierunt.

Octobris die XXI. *Hugo Schappenhamus* Thalassiarchus noster, qui *Iacobo Eremitae* successerat, graui correptus aegritudine, decubuit vsque ad tertium Nouembris diem, quo mundo valedixit: altero die post in exigua Insula, duobus miliaribus ab Vrbe *Bantam* distante, terra mandatus.

Sic satis moleste & calamitose exacto veteri anno, illuxit nouus, qui fuit A. N. C. M. DC. XXVI. Nos vigesimo secundo primi mensis die Bonae Spei promontorium attigimus, vbi reddita sunt nobis litterae, quas Praefectus nauis *Selandicae*, cui *Mittelburgo* nomen erat, a. d. XXVIII. Decembris superioris mensis scriptas reliquerat, quae narrauit, se adhuc habentem CXXXVI. viros inde laetum soluisse, & S. Helenae Insulam primo petiturum esse, plenum bona spe, ut breui fumum de patriis videret focis.

Nono Februarii die deserto Bonae Spei Capite nauigantes, die eius mensis XXIV. ad S. Helenae Insulam nos quoque duabus omnino nauibus appulimus, & ad XI. diem Martii inde soluimus.

Sic perpetuo cursu desideratam tantoque tempore non visam repetentes patriam, ad XVI. Iunii diem importunitate ventorum compulsi *Pleymuthum* Angliae portum ingredi, nono die

no die Iulli duabus nostris nauibus, singulari Numinis clementia circumnavigato toto terrarum orbe, & exhaustis innumeris laboribus, incolumes ad *Texeliam* appulimus.

CAPVT X.

Expeditione classis Anglicanae, quam anno Salutis M. DC. XX. Robertus Mansellus nauibus XVIIII. in Africam suscepit aduersus Piratas Argerianos. Quid ea sit esse.
Sum.

Catalogus nauium classis Anglicanae.

Absolutis navigationibus in Orientem susceptis, quas quidem huic nostro libro inferere animus fuit, consequens est, ut etiam de Africanis atque Aethiopicis aliquid dicamus, omissis illis superiorum annorum, & initio facta à celebri illa expeditione octodecim nauium Anglicanarum, quæ anno à N. C. M. DC. XX. ducta & auspiciis *Roberti Manselli* Equitis Angli per Fretum Gaditanum in Mare Mediterraneum intrauerunt, ad coerendam audaciam Piratarum Argerianorum, qui non illud duntaxat mare, sed & ipsum infestabant Oceanum. Constabat autem illa classis sex nauibus Regiis & duodecim aliis, quæ ad mercatores Anglos spectabant. Nati prætoriae nomen erat *Leoni*, qua uehebantur CCL. milites, tormenta bellica XL. Proprætoriae, cui præfectus erat *Richardus Haiquinus* Hypothalassiarthus, totidem uehebat milites, totidem tormenta: nomen ei indiderant Angli *Ventaguardia*. Tertiae nomen erat *Iridi*, & idem militum tormentorumque numerus: ut & *Quarta*. Reformationi dictæ. Quinta, nomine *Præcursor* minor erat superioribus, instructa militibus CLX. machinis æneis XXXIV. Sextam *Conuertinam* uocauerant, & militibus CCXX. tormentis bellicis XXXVI. armauerant.

Mercatoriae naues in hoc differebant ab regiis, quod tormenta, quibus illæ instructæ, ferrea erant, cum regiæ naues alia tormenta non ueherent quam ænea siue (ut loquuntur) metallo fusa. Erant autem omnino XII. quorum nomina curiose recitare, parum ad delectationem lectoris facturum existimauimus.

Expeditione classis Anglicanae.

De huius expeditionis progressu & effectis sic narrat scriptor Anglus. A. d. XII. Octobris sublatis Anchoris è portu Angliæ *Plymuthensi* soluimus, & a. d. XXI. ad fauces Freti *Herculei* iuxta oppidum *Gibraltar* appulimus. Hic offendimus duas naues Hispanicas, regiis armis nobiles, militariter instructas: alteram harum seruabat tribunus militum, qui & in summo carchesio vexillum Regium proposuerat. Aduentante nostra classe, Hispani utriusque nauis anchoras sustulerunt, & uela dederunt. Cum prope ad Prætoriam nostram uenissent, inclinato vexillo, explosisque tormentis ac sublato clamore nautico nos de more salutauerunt: cui nostri paribus ceremoniis responderunt. Ad urbem ubi uenimus, simili boatu eam salutauimus, eodem modo uicissim ab oppidanis salutati. Vbi iactis anchoris in portu constitimus, uenit ad Ducem nostrum Centurio quidam Hispanus cum aliquot nobilibus uiris, narrauitque, plenum esse mare Piratis: nuper etiam duas naues Piraticas cum quinque triremibus Hispanorum depugnasse, & ad CCCC. Hispanos interemisse. Deinde Piratas eisdem aucto numero nauium suarum usque ad XXX. *Steriam* oppidum inuasisse, expugnauisse atque spoliasse, abductis plurimis captiuis. Hac duplici uictoria adeo insolentes factos, ut ipsi oppido *Gibraltar* interitum minarentur, nec dubium esse, nisi compescerentur, quin ad illius obsidionem mox sint adfuturi. Expositi hic sunt iussu Thalassiarthi nostri in terram omnes ægri, ut ibi copia urbana reficerentur.

Classis Anglicanae diuisa.

Cum autem a. d. II. Nouembris *Apatetias* spirans ad nauigationem nos inuitaret, uela dedimus, & obuiam habuimus classem Hispanicam, cumque nos mutuo salutauissemus, Hispani quidem Fretum Gaditanum, Angli uero *Malagam* oppidum petierunt. Postridie proiectis in portu anchoris salutauimus ciues, ubi dato signo amicitiae, aliquot uiri nobiles & duces ordinum ad nos uenerunt. Die sexto inde soluentes, iussu ducis nostri in tres partes classem partiti sumus, & ita ueluti triplici instructa acie omnes conuersis in Orientem protis nauigauimus.

Septimo eius mensis die, cum uenti omnes peritus conquiescent, & iam naues ob malaciam conuenissent, propositum est à Prætoze classis signum habendi Senatus. Complicatis igitur omnium nauigiorum uelis Præfecti & Naucleri omnes in Prætoriam ad Thalassiarthum conueniunt. Decretum ibi factum est, ut duæ naues minores cum Celoe una expedirentur, quæ latitantes in lacinoso Africae littore Piratas explorarent & in apertum prodire

coge-

cogerent. Hic quoque tessera militaris data est, qua se de nocte mutuo internoscere possent, nempe nomen *Grenuicicum*. Hinc cum quisque ad suos rediisset, appetente uespera *Promontorium Degatense* petiimus.

Die XIX. summo mane ad portum *Alicantensem* appulimus, salutatoque oppido uicissim ab oppidanis in signum amicitiae salutati fuimus. Hoc quoque loco Dux noster ægros in terram exponi iussit, languidiores etiam in ipsum oppidum deportari, ut ibi reficerentur. Naui uero a. d. XXV. uentos Boreales, cum aquam potabilem, uinum aliaque res, quibus opus habebamus, nauibus nostris intulissemus, profecti inde, recta Argeriam, ipsum Latronum receptaculum petiimus.

Argerianidus & receptaculum piratarum.

Vigesimi septimi diei uespera anchoras in portu Argeriano iecimus, ea tamen distantia, ut globis tormentorum peti non possemus. Ab nauis prætoriae & proprætoriae uexilla alba proposita fuerunt, à cæteris nulla. Nos explosis tormentis maioribus minoribusque urbem de more salutauimus, sed signum nobis datum non est, gratus ipsis an ingratus fuerit aduentus noster. Ergo die Decembris mensis tertio uisum est duci nostro, caduceatorem cum labaro pacis indice ad urbem mittere, qui præfectum de aduentu nostro certiore faceret. Idem præfectus primi nominis ciuem ad nostros cum simili pacis indicio ablegauit, qui nunciaret duci nostro, accepisse præfectum ab Ottomannica Porta mandata, quibus iuberetur omne genus beneuolentiae Anglis exhibere.

His addidit feccialis Argerianus, si Thalassiarthus noster quosdam in urbem mittere uellet, Præfectum pariter quosdam, qui obsidum loco essent, ad naues nostras missurum. Interea licere nostris res necessarias pro nostro arbitrio in urbe emere. Hac ipsa nocte Piratae sibi consulentes, tria nauigia quæ interciperant, Anglicana duo & Batauum unum cum omnibus mercibus ab exteriori portu ad ipsam urbem quam proxime adduxerunt.

Postero die sex naues Hispanicæ portum Argerianum iuxta nos intrauerunt. Præfectus horum, cum nos salutauisset, ipse ad Ducem nostrum in prætoriam nauem uenit, exposuitque, persecutum se fuisse nauem Piraticam, quæ prægrandem Lusitanicam adorta fuerat. Medio autem certamine Lusitanicam correptam igne, in summum uectores uitæ discrimen adduxisse, unde cum hinc à flamma, illinc ab hoste uirgerentur, citè trecentos de ditionem fecisse, & Piratis se credere quam igne conflagrare maluisse. Et iam, narrabat Dux Hispanus, se latrones illos persequi, ut ereptis captiuitate suis poenas ab iis exigeret.

Nauis Hispanica, & in carcerem uiri à Pirata capti.

Et si autem hæcenus Turcæ satis comiter & benigne nos habuerunt, sexto tamen die Punica uisi in nostros perfidia, Pœnos se esse ostenderunt, legato nostro, quem in urbem miseramus, contra ius gentium detento, parum curantes eos, quos nobis dederant obsides. Sed & in aliis rebus promissis minime steterunt. Prætor igitur noster gregarium militem, in cuius iactura parum situm erat momenti, speciosis indutum uelibus in urbem misit, ut ibi Consulis Nationis Anglicanae officio fungeretur. Hunc ubi honorifice exceperunt, Legatum nostrum cum XL. captiuis ad nos remiserunt, ipsi uicissim obsides suos receperunt, cum pernegarent, se captiuum præterea habere ullum. Octauo die sublatis anchoris portum Argerianum deseruimus.

Turcae officio consueto delusi.

XIV. die portum *Alacota* intrauimus, qui in Boream obuersus patet, ibique de lignis ad focum & aqua potabili nobis prospeximus. Mira fuit hic incolarum in nostros humanitas, qui nobis alimenta uili sane precio uendiderunt. Hoc quoque loco ægros nostros in terram exposuimus, ut mutatione aeris nauis detergerent & reficerentur.

Vigesimo quarto die cum inde discessissemus, accidit circa nonam noctis horam, ut octo naues Piraticæ medium inter classem nostram tenerent iter: has quamuis oppugnare parati essemus, tenebris tamen impediti damni nihil inferre potuimus. Et sane remis uelisque ad celeritatem melius instructæ quam nos, beneficio noctis effugerunt.

Duodecimo Ianuarii die uenit ad classem nostram *Iohannes Duppeus*, litteras ab Anglia ferens, quibus per scriptum erat, sex mensium alimoniam nobis duabus nauibus submissam esse: neque dubium esse, quin naues illæ propediem ad Malagam peruenturæ essent. Post hunc diem aliquot nauigia è nostra classe hinc inde dimissa sunt, ut Piratas peruestigaret: sed cum uarios sinus atque portus obuiissent, nullo reperto ad nos redierunt.

Vigesimo primo eius mensis die scapha maior Hollandica cum XV. uiris, qui amissa nauis apud Promontorium Martinianum Piratarum furorem effugerant, ad Prætoris nostri nauem accessit: qui *Præcursorem* cum nonnullis aliis nauibus ad persequendos Latrones emisit, sed frustra; Pirata enim offendere potuerunt nullum.

Hollandi Piratarum furorem effugiunt.

Sexto die post, cum sublatis anchoris altum petiissemus, occurrerunt nobis septem Batauicæ, quorum Præfectus dicebatur *Hautanus*, qui cum Magistratu in Selandia erat. Dicta acce-

acce-

acceptaque more militari salute, venit *Hautanus* ad Praetorem nostrum, exposuitque ei, habere se sub suo Imperio naues viginti duas, militariter instructas omnes, quas in varia loca dimiserit ad persequendos Piratas.

A. d. XVI. venit ad classem Hypothalassiarum, ducens secum duas illas naues Anglicanas frumentarias, de quibus superius diximus, vni nomen erat *Mercurio*, alteri *Speculatorii*: has simul sequebantur aliae duae naues Mercatoriae, patiter alimoniam classis regiae subuehentes.

Naues Piraticae in-terceptae.

Sequentibus diebus naues nostrae separatim aliae ab aliis Piratas peruestigabant, vsque ad ipsas Freti Herculei fauces: atque ita contigit, vt *Pracursor* noster ad classem rediens captiuam nauem Piraticam post se traheret, in qua erant quinquaginta tonnae olei oliuarum, & multi Mauri atque Iudaei, cum vxoribus liberisque, qui omnes ab Tituone profecti Argeriam tendebant. Postero die aderat fecialis ab praefecto Tituonensi, qui pro captiuis Mauris totidem Anglos offerebat. Misit Dux noster quatuor scaphis, qui cum Afris de captiuorum permutatione agerent. Cum vero hi iniquas condiciones proponerent, nihil tunc quidem effectum est.

Quinto die Martii Praetor noster leuatis anchoris recta ad *Gibraltar* oppidum tetendit, in cuius portu Hypothalassiarum cum sociis offendit. Hinc in portum Alicantensem sese intulit ibique nauem celerrimam conduxit, & tres phaselos, quorum singuli octodecim remis agitabantur. Domum insuper ibi conduxit, in qua magnam vim pyrobolorum & telorum ignitorum confici iussit, quibus ad incendendas Maurorum in portu Argeriano naues vsurus erat. Hinc ad Insulas Balearicas nauigantes, ad *Maioricam* appulimus, inde aquam potabilem peturi.

Maiorica Insula & Vrbs.

Est autem *Maiorica* Insula & Vrbs nomen: ciuium erga peregrinos summa est humanitas: gens omnis labori deditissima detestatur ocium, non viri solum mulieresque, sed & pueri ac puellae. Vrbs ipsa satis ampla est, & cum primis munita, vt externam vim non vereatur. Plurimum hic adepti fuimus alimoniae, quae precio ad admirationem nostram vili vendebatur; magna enim hic est abundantia olei, lignorum, & in primis caseorum commendatae bonitatis.

Apparatus ad incendium nauium Barbaricarum.

Discedentes ergo hinc a. d. XXI. Maij in Portum Argerianum intrauimus, ibique iactis anchoris substitimus, seruato, vt conuenerat, ordine. Primum omnium sex naues mercatoriae conuersis in Occidentem prorsis, ea vicinia tenere littus iussu sunt, ne qua nauis piratica inter has & classem nostram ingredi posset: ita tamen, vt extra globi iactum essent. Porro consilium de incendio Pœnorum nauibus inferendo tale fuit. Duae naues captivae, quas Turcis Angli eripuerant, igne artificiali, aridis lignis, pice atque sulfure plenae praemisissae fuerunt. Has sequebantur duo phaseli, qui nostros succensis nauibus hostilibus exceptos extra periculum asportarent. Erant autem duo illa nauigia ignifera ab utroque latere vncis munita ferreis, quibus ad Maurorum naues adhererent. Aderant praeterea tria nauigia aetuaria, pyrobolis & igne missili plena; catenis insuper instructa ferreis, quibus distinerent piratarum naues, donec penitus vbique flammam conciperent. Coherebant singulis nauigijs singulae scaphae, in quas nauis peracto quod iussi erant, desilirent. Vltimum agmen clauderent septem celoces, militibus plenae, qui milites periclitantibus nauis suppetias ferrent. Et hic fuit apparatus incendijs, cui tamen vnus noctis cunctatio frustrationem attulit.

Incendium tentatum non succedit.

Nam postero die densi ceciderunt imbres: cum autem circa vesperam caelum serenius factum opportunitatem asserere videretur: visum est nostris diutius non esse cunctandum. Verum vbi ad iactum glandis plumbeae accesserunt, repente conquiescente vento, vltetius progredi non potuerunt. Lucebat ea nocte Luna pleno fulgore, vnde cum ab muris conspici Angli possent, ciues ad tormenta in muris disposita confluebant. Haec tamen omnia nihil morati nostri, magno molimine naues igniferas ad hostem adegerunt, ignemque triremibus barbaricis iniecerunt. Sed obstante vento vix paucas quasdam naues inflammare potuerunt. Interim oppidani, quamuis maioribus minoribusque tormentis indefinenter in nostros detonarent, non tamen plures sex Anglis interfecerunt, aliquot vulneratis: duae enim naues grandiores Turcae inter urbem & nostros interpositae, plerosque globos excipiebant, & hos incolumes praestabant.

Etsi autem sex naues nostras aditum portus, vt diximus, obseruabant, his tamen contentis quatuor naues Piraticae plenis velis portum intrauerunt, nec nostri contrario vento distenti illis quicquam detrimenti inferre potuerunt. Hac ipsa nocte classis nostra altum petiit Oceanum.

A. d. XXVIII. duae naues à nostris, cum nauem piraticam, in qua uehebantur CXXX. Turcae

Turcae & XII. captiui Christiani, diu persecutae fuissent, eam in latentes egerunt scopulos, vbi facto naufragio & submersa nauis omnes suffocati aquis perierunt, praeter XII. Mauros, qui natando vitam seruauerunt.

Extremo huius mensis die duo Ligures ab Genua vrbe, capti à Mauris, cum vincula Turcarum rupissent, nando ad nostros euaserunt. Narrabant hi, eo ipso tempore, cum nostri deserto portu altum petiissent, quatuor naues omnium Argerianarum praestantissimas portum intrauissent, quas nostri, si plusculum temporis ibi commorari voluissent, facile omnes adipisci potuissent. His addebant transfugae isti, occlusisse Turcas interiorem portum, ne scapha vlla inuicis ipsis ingredi posset: cum non solum naues aliquot militariter instructas in faucibus constituissent, sed & eas, quae antea ibi in anchoris stabant, armato repleuissent milite. Omne igitur aduersus Argeriam deinceps aliquid tentandi consilium est omisum.

Turcarum in custodiendo portu vigilantis.

CAPVT XI.

Naues Anglicana à Piratis Argerianis expugnatur, capitur, spoliatur, abducitur: mirabili tamen ratione à quatuor adolescentibus captiuis liberatur, & in S. Lucae portum deducitur.

Accidit sub exitum Octobris mensis anni à N. C. M. DC. XXI. vt nauis Anglica à ciuibus Britoliensis oppidi Angliae maritimi emissa, in ipsi Freti Gaditani faucibus & conspectu oppidi Gibraltar à Piratis Argerianis cineta acriter oppugnaretur. Cumque se satis diu viriliter defendisset, victa ad extremum, omnibus mercibus, tormentis, funibus, anchoris atque velis spoliata fuit. Anglos, quos in ea viuos ceperant, in suas naues distribuerunt, praeter quatuor adolescentes, quos in captiua nauis reliquerunt, contempta eorum imbecillitate. His XIII. Afros adiunxerunt, qui nauem Anglicanam cum pueris Argeriam deducerent, praefecto iis omnibus Mauro viro forti.

Naues Anglicana à Piratis expugnatur.

At miseri adolescentes, acerbiorem morte seruitutem tam prope intuentes, cum viam ad rationem euadendi viderent nullam, suam cum lacrymis Deo commendabant innocentiam. Nec frustra id quidem, vt dicemus. Cum enim quintum jam nauigarent diem, tam uehemens mare turbauit tempestas, vt Turcae vela complicate cogentur: receperant enim nauigaturi alia pro ablatis Anglicanis.

Sauiiente autem vltetius vento, cum etiam antennae demittendae essent, Turcae adolescentes Anglos hortati sunt, vt funem arriperent. Quod cum praestare non possent, Praefectus ipse accedens manum operi admoovit. Trahebant duo adolescententes funem, inter quos medius stans Maurus eos adiuuabat, intentis in malum oculis. Hoc animaduerso duo illi, omisso rudente complexi medium hominem de nauis in mare praecipitem dederunt. At hic cum apprehensum funem ex manibus minime dimitteret, id egit, vt adiutus robore lacertorum suorum, parum abesset, quin iterum in nauem eniteretur. Ibi tertius conspecto sociorum periculo aduolat, & clauam ligneam vni ex iis, qui validior erat porrigit, quo hic ita luctantis cum vne Mauri caput percussit, vt semianimis in mare prouolueretur.

Illustris facinus quatuor puero-rum Anglorum.

Ab hoc facinore cum adolescentibus creuisset audacia, maior eorum per sex Turcas, qui obstabant, perumpens in praefecti conclaue, duos inde protulit gladios, alterumque socio suo porrexit, hortatus eum, vt fortiter rem gereret. Hi duo, quos metus mortis audaces faciebat, tanto impetu in Turcas irruerunt, vt eos à puppi ad proram fuga se recipere compulerint, duosque ex iis interfecerint. Vnus vulnere debilitatus, dum sibi cedendo caedere vult, imprudens ab summa pro ra in mare praecipitatur. Sic quatuor sublatis, erant adhuc in ima carina octo Turcae atque Mauri. Hos adolescentes Angli obstructo celeriter ostio incluserunt: at hi intellecta pernicie sua gubernaculi iuncturam intus laxauerunt, vt delaberetur in mare, nec regi nauigium amplius posset. Et sic tamen nauis ventorum beneficio ad S. Lucae de Barameda portum in Hispania appulsa fuit, incoluibus qui ea uehebantur omnibus. Hic iuuenes Angli Turcas, à quibus ipsi prius capti fuerant, vendiderunt, acceptaque pecunia patriam repetuerunt.

Incidit aliud illustre & magni animi facinus, ab alio Anglo eodem anno in pari casu patratum. Nauigans Mare Ibericum *Guilhelmus Malamus* Eques Angelus, à Piratis vndique cinctus, cum in orbem pugnare cogeretur, neque tamen deditionem facere vellet, in extremam desperationem adactus, praecipitium in mare meditabatur. Vifa viri pertinacia dux Piratarum,

Egregium facinus Guilhelmi Malami Angli.

Aa rum,

rum, suavitati ei, ut assumpto præcipuo è mercatoribus ad se in nauem Punicam veniret, iuramento ei pollicitus salutem & incolumitatem. Paruit Malamus, adscitoque sibi socio Mercatore in hostilem triremem se contulit, cum tamen prius clam mandasset sociis, ut per tenebras noctis vela ocyus facerent, & se ipsos ac nauem cum mercibus seruarent, neque sui omnino vllam haberent rationem. Fecerunt ut iussi fuerant socii, feliciterque euaserunt, quos barbari nunquam crediderunt deserturos Nauarchum suum.

Vbi diluxit, nec Anglicana nauis comparuit, dira omnia Archipitata minatus est Malamo & Mercatori, certæ eos morti destinans. Contra Malamus id sibi ægettime accidisse simulans, hominem iuramenti commonefacit, dicens apud Christianos iusiurandum tam sanctum esse, ut etiam hostibus seruetur. Quid enim scis (inquit) an non nauigium meum tormentis vndique quassum, accepto plenis rimis mari cum omnibus demersum est? Dum ad hunc modum altercantur, offert se conspectui eorum exiguum nauigiumoticum, quod Piratæ celeriter occupatum, omnibus rebus & instrumentis nauticis, funibus, anchoris velisque spoliauerunt. Huic nauigio ita exarmato Malamum cum mercatore imposuerunt, ut aliquandiu incertis fluctibus agitati postremo petirent. Sed ventus eos diuinitus adspirans, post aliquot dierum errorem ad portum aliquem adegit, vnde domum profecti sunt, cum paulo ante Malami nauis quæ noctu effugerat, & ipsa incolumis Tamesin fluuium intrauisset.

*Malamus
mirabiliter
conserua-
tur.*

CAPVT XII.

Narratio superiori non multum absimilis. Agitur autem in hoc capite præter cætera de crudelitate Maurorum & Turcarum in vendendis apud Argiriam captiuis Christianis; ut & de veneficiis & incantatione Afrorum, quæ nauigantes vtuntur.

Refert Anglus quidam interfuisse se expeditioni parum prosperæ, quam anno à N. C. M. DC. XXI. duæ naues Plemuthensi portu egressæ, in mediterraneum mare susceperunt. Priori nomen fuisse *Bonauentura*: posteriori *Nicolao*. Cum a. d. XIII. Nouembris in Fretum Herculeum venissent, & noctem eam quieti exegissent, Oriente Sole proclamauit excubitor ab summo malo, videre se quinque naues, quæ plenis velis aduolarent. Angli igitur explicatis repente velis, id vnice agebant, ut fuga elaberentur. Ibi Nauarchus Piratarum, qui cum prætoriam nauem præcurrerat, superiora nauis suæ vela contraxit, vel vt nobis (inquit scriptor huius historiæ) omnem adimeret metum, vel vt sequentes præstolaretur socios. Vbi astu illo se nihil proficere intellexit, ad vim conuersus, omni vi nobis inuectus est. Nos, etsi summa ope nitbamur, vt in portum Gibraltarem incurreremus, effugere tamen porrentosam latronum celeritatem non potuimus, qui nos dicto citius quinque suis celocibus ab omni parte cinxerunt.

*Dua naues
Anglicana
ab Piratis
capta.*

Vehebatur Thalassiarthus Barbarus egregia nauis, quæ licet multo maior esset cæteris, longe tamen erat omnium celerissima: hac adortus *Bonauenturam* nostram paucis horis in suam redegit potestatem. Idem fecit Legatus eius expugnata non magna difficultate *Nicolao*. Appetente vespera, cum Archipirata tot Anglis captiuis parum fideret (nam duæ celoces, quas secum trahebat, & quæ è numero quinque illarum piraticarum erant, per eum Anglis ereptæ fuerant) iussit duodecim nautas è *Bonauentura* nauis, cum nonnullis aliis Anglis, quos jam ante in vinculis habuerat, in terram exponi. Longe autem alia mens fuit illi, qui *Nicolao* nauem ceperat: neque enim hic tam vili precio captiuos suos volebat vendere, sed gubernatorem eius cum quinque seruis nautis in suam nauem adduci mandauit, relictis in *Nicolao* nane tribus nautis & puero lixa: quibus XIII. è suis Mauros adiunxit, qui quatuor illos facile compescere poterant. His tredecim imperauit, vt nauem captiuam cum omni præda in ea, recta Argiriam deducerent.

*Angli à
Mauris
crudeliter
habentur.*

Ea quæ sequebatur nocte ingens oborta tempestas nauem hanc à cætera Maurorum classe separauit, quæ res sollicitos Turcas habuit, qui consilium in ea te inueniebant nullum. Omissa igitur illius cura, ipsi Argiriam petierunt. Huc cum appulissent, partim ex sociis popularibusque suis, qui ibi seruitutem seruiebant, intellexerunt Angli, partim ipsi suis viderunt oculis, quam crudeliter & inhumane tractarentur captiui. Omnes enim aut grauissimis applicabantur laboribus, vel vendebantur: & fuerant paucis diebus ante circiter quingenti simul in

forum

forum deducti, serui omnes venaliti, inter quos fuerant circiter centum adolecentes, honestis nati familiis & liberali forma, qui omnes partim ad Apostasiam adacti, partim ad turpes voluptates à Mauris Pæderastis emti fuerunt. Erant autem eo tempore Argeriani cum primis Anglis infestissimi, crudeliusque eos præ cæteris habebant, quod *Robertus Mansel*, de quo superius diximus, conatus fuerat incendere omnes in eo portu naues, & jam quassdam inflammauerat: à quo tempore Anglæ gentis captiuos ad foedissima cogebant seruitia, vel vendebant, hoc potissimum modo.

Præfectus siue Bassa regni Argeriani, vbi captiuos Christianos à Piratis adductos intellegit, omnes adduci sibi que iusti imperat. Deinde vbi omnes diligenter intuitus est, octauum quemque tributi nomine sibi seligit, reliquos permittit Piratis. Adfunt mox Mangones, suumque vnicique constituunt precium, quo factò in forum deducti venundantur. Sequuntur hos aliquot Afri, qui si quem tristiorem & ob futuram calamitatem illacrymantem conspiciantur, furca eum aut scutica obiurgant. Solent autem plerosque, quos suo ministerio aptos iudicant, priusquam venudent, magnis sed inanibus promissis ad abnegandam fidem Christi sollicitare. Abnuentibus variis cruciatibus afferunt, dum eos prostratos humili, & vel pronos vel supinos sustibus tam diu percutiunt, donec sanguis è naribus & auribus effluat. Si qui ob amorem Christi ne sic quidem ad apostasiam moueri possunt, iis insuper dentes excutiunt, aut linguam forcipe comprimunt, aut aliis acerbioribus his tormentis excarnificant. Aliquando coniciunt eos in foueam, quam desuper asseribus cooperiunt, minantes miseris, se eos tandem ibi relicturos, donec fame emoriantur. Hac barbara & effreni immanitate multi adducuntur vt abnegata Fide Christi circumcisionem admittant: etsi dissimulandum hoc loco non est, quosdam adeo leuis esse & scelerati animi, vt ne expectatis quidem vi & tormentis Apostatæ fiant, spe dignitatum & diuitiarum cum turpibus voluptatibus coniunctarum: sed hi vere sunt, quorum Deus venter est, & finis interitus.

*Modus ven-
dendi cap-
tiuos a-
pud Arge-
riam.*

Sed ad *Nicolao* nostrum redeundum est: quæ nauis, cum aliquandiu errauisset, ad XXVI. Nouembris diem in portum Argerianum intrauit. Postero die, cum duos ex Anglis his ad Apostasiam perduxissent, eos qui supererant, Præfecto stiterunt, qui selecto sibi vno ex iis, reliquos Piratæ arbitrio permisit. His Mango schedulas scriptas in pectore affixit, quanti quisque vendi deberet. Productis his in forum, multi adfuerunt mercatores, qui curiosis manibus ipsorum brachia, humeros ipsaque nates pertractantes, eos crebro versabant, vt cautius possent emere. Sunt autem hi venaliti omnes paruo tempore emti præsentem pecunia, quæ per seruos publicos ad eam rem constitutos ad Piratam delata est.

*Quomodo
vendan-
tur captiui
Argiria.*

Fuerat in Naui *Nicolao* nauclerus *Iohannes Raulinus*, altera destitutus manu, quem vili precio emtum volebant omnes, quod minus cæteris laborare posse videretur. Vocatum ergo ad se Pirata acerbissimis verbis increpat, miseriam eamque æternam minatus seruitutem, nisi actutum XV. libras Sterlingorum à popularibus suis impetratas numeraret. At miser ista tantum argenti colligere in ista calamitate impossibile erat.

*Iohannes
Raulinus
minoris
precij quia
manum.*

Erat Argeriæ Renegatus quidam siue Apostata Anglus, qui cum Christo etiam nomen in baptismo acceptum abiecerat, vocabaturque *Rametham Risaus*, cum ante *Hemicus Chandelarius* diceretur. Emerat hic nauem captiuam à Piratis, vt eam instructam in mare emitteret, nam & ipse Piraticam faciebat. Huic præfecerat pariter Apostatam Anglum, quanquam Afros & Europæos seruos affatim haberet. Audiuerat hic aliquid de *Raulino*, cumque intellexisset eum rei marinæ peritissimum esse, emit virum, & in nauem suam ad instruenda vela ablegauit.

Die XVIII. Ianuarii cum omnia jam ad nauigationem parata essent, vela data sunt, & omisso portu in mare procursum. Vehebantur phaselo illo Turcæ & Mauri LXIII. serui Angli IX. Gallus vnus, Hollandi quatuor, sed hi quatuor sponte suam operam ei addixerant, vt si quam nauem excipere contigisset, ea potiti in patriam redirent: sin Argeriam reuenterentur, vt accepto stipendio sua fruerentur libertate. Tormentis erat instructa XII. & omni instrumento bellico.

Ibi præfectus nauis, nescio quo consilio, captiuos omnes, in primis Anglos, iuxta tormenta locat: quod cum considerasset *Raulinus*, cui constitutum erat vel mori vel libertatem consequi, vocatos ad se seruitutis socios ita affatus est. Quis diabolus tam abiectæ sortis est, vt hanc perpei seruitutem possit? quis canibus & porcis istis Mauritanicis se porro ad omne ignominie genus prostituet? O si quod numen mihi tam sit propicium, vt ad liberandum me sociosque meos aliquod mihi suggerat consilium: animus certe nunquam deerit. Miserabantur quidem socii hominem, sed parum eum compotem mentis arbitrabantur, qui

Verba Raulini ad socios.



tale aliquid in ea calamitate sperare auderet. Quod tamen solum poterant, monebant eum, ut ab his verbis imposterum abstinere, nec sibi grauiorem attraheret perniciem. At is negabat per omnem vitam sibi acerbius quicquam contingere posse tam foeda seruitute. Etego quidem, ut de me profitear (inquit) aut liber ero aut moriar. Neque profecto tantum est in ea re impossibilitatis, ut vos opinamini, modo mihi vestram praestetis operam: quod si a vobis obtinuerim, jam certam vobis spondeo libertatem cum summa gloria coniunctam. Non asperrantur omnino verba loquentis, interim non videbant captiui, quo pacto illud obtineri posset. Et sic dissolutum est barbarorum interuentu colloquium.

Navis Scotica a Pirata captiua

A. d. XVI. Ian. obtulit se eorum conspectui phaselus Scoticus, Fretum Gaditanum pleno velo petens. Hoc adorti piratae nauigiū, ut se dederet, magno clamore hortabantur. Pugnabant Scoti aliquandiu, sed victi multitudine, cum fuga salutem peterent, in latentes impegere scopulos, cum in aquis perire mallent quam seruire Piratis. Sed fauit viris fortibus fortuna: quotquot enim ea vehebantur, in scapham desilientes, remigando in terram Africam euaserunt. Latrones celeriter aduolantes, nauigiū Scoticum ab interitu seruauerunt, translatis in suas naues mercibus, & id paulo post Argeriam miserunt. Dum diuiditur praeda, parum abfuit, quin raptores ipsi inter se digladiati fuissent: sed interuentu ducis sopita lis conqueuit.

Afri Magi & Superstitiosi.

Interim conuerso vento naus piratica, in qua Angli vehebantur, sensim ad oppidum Gibraltar agebatur, frustra nitentibus contra Mauris, quibus locus ille admodum odiosus est, ut eum Mortem Granatensem vocent. In hac aduersitate Afri, vocatis *Hoskis*, id est, incantatoribus suis, quid factu opus esset, consultabant. Sunt autem Afri omnes in primis superstitiosi, multumque fidunt sagis & veneficis, neque facile quicquam, nisi prius captatis fortibus & auguriis auspicantur. Cum vero suaderent fortilegi, ut pergerent, nec quicquam subesse periculi dicerent, animo valde sunt confirmati. Cum autem Lectori non ingratum id fore existimem, breuiter ostendam, quibus ceremoniis in incantationibus illis suis & fortilegiis vtantur.

Ceremonia Afrorum Magica.

Cum primum vela ventis dederunt, alternis noctibus incantamentis suis operam dare solent. Auspicantur autem rem totam a certis precibus, iisdemque concludunt. Hinc depictis litteris aliquibus siue characteribus, Deum variis nominibus ad vota vocant. Sed iuvat ea, quae ipse meis sum arbitratus oculis commemorare. Conspicati Afri duas naues, quas Hispanicas militares esse suspicabantur, praconis voce edixerunt per totam nauem silentium. Ibi repente omnes horribiliter violare caeperunt. *Raulinus* noster velorum curam gerebat: hunc aliquando iusserant contrahere vela, & rursus explicare, prout Magus, qui librum interea euoluebat, volebat. Postea duas sagittas cum acinace cervicali imponebat, pergebatque euoluere librum. Interim Nauarchus apprehensam vtraque manu sagittam sursum eleuabat: erat autem haec vtriusque sagittae significatio, ut altera quidem fortunam Christianorum, altera Turcarum indicaret. Si contingat sagittam Christianorum longius prominere mucrone suo è manu quam alteram, arripiunt fugam, et si iam victoriam in manu habere videantur. Si Turcicae sagittae acies prominere, audacter capessunt pugnam, & ea quidem confidentia, ut non dubitent inire praedium, etiam si singulis nauibus cum ternis quaternisque congregiendum sit. Mox vocatum puerum aliquem vel hominem simplicem, cui mysteria illa ignota sunt, iubent de cervicali tollere acinacem, & eundem paulo post reponere. Sic ex posito illo temerario gladii coniciunt de futuris euentibus pugnae. Magus verba quaedam peregrinae scripturae aut characteres in librum quendam inscribit, eumque humi abiicit: mox tollit, euolutoque libro submissa voce legit illa ignota verba, quibus haud dubie cacodemonis opem implorat. Postremo velut entusiasmo raptus, interpretatur fanaticas illas voces & de venturis casibus vaticinatur. Accidit autem, dum omnes intentis oculis animisque vaticinii euentum expectant, ut nauis ab archeseo proclamarent: videre se nauem: vnde eo quidem tempore ceremoniae illae Magicae abruptae fuerunt. Fuerat autem illa nauis non hostilis, ut opinati fuerant, sed amica Argeriana: cuius Nauarchus, vbi prope ad Piratam venit, salutato homini suavit, ut fauces Herculei Freti peteret, certus potiunda praeda.

Crudelitas Afrorum in captiuos.

Interea Barbari miseris captiuos miris modis vexabant, nullum in eos iniuriarum genus omittentes & insolentiae: & nunc quidem scuticis eos verberabant fustibusque, alias atrocissima quaeque minabantur, vel difficilimis eos applicabant laboribus, quae res magis magisque auxit in *Raulino* nostro vindictae desiderium. Vocatis igitur Anglis suum exposuit consilium, ut & quatuor illis Hollandis, qui operam suam precio Afris locauerant. Postremo etiam rem contulit cum Anglis duobus, qui a Christo ad M. homerum defecerant, cum prius, quid ipsis esset animi, magna prudentia expiscatus fuisset. Ipse sibi interim funes & alia instrumenta,

menta, quibus cubacula Turcarum ocludere foris posset, parauit: & jam de duobus gladiis Perficis sibi prospexerat, gnarus in super, eo loco, vbi tormenta constituta erant, repositos esse quinque baculos ferreos, neque dubitabat, si res ad manus venisset, quin plures acinaces esset habiturus. Tormentorum postremo cura & pulueris nitrati ei demandata erat, quibus, si res exigeret, in ipsos Turcas erat vsurus.

Talia cogitanti multa obiecta fuerunt obstacula, quibus impeditus tantisper consilium suum distulit, donec aucto sociorum numero satis sibi putauit ad exequendum facinus virium. A. d. VII. Februarii, cum videret in ima carina multum aquae colligi, nec tamen haurium in puppi constitutum ad eam exhauriendam pertingere: suavit nauarcho, ut quatuor tormenta aenea in puppi transferri iuberet, quod sine mora factum est. Cum autem ne sic quidem extrahi aqua propter pondus prae posset, petiit ab eodem, ut milites Turcas eodem secedere iuberet. Hi cum ita vno loco constipati starent, multi etiam subter tabulata & in cubacula se abdiderunt, obstructo ostio Angli ad capessendum diuante cogitatum facinus signum dederunt, exploso tormento.

Inuaserat *Raulinus* cum suis jam illos, qui supra tabulatum constitent, & caedebat eos paruo labore: cum interim illi, qui in ima naui latitabant, intellecto periculo suo, perfringere assentes, & vi sibi exitum parare incipiunt, conuiciis Christianos insectantes, & eos more suo *Spumam Maris* appellantes. At *Raulinus* cum suis explosis tormentis manuariis, tumultuantes Turcas per fenestellas petebat, nunc hunc nunc illum glande plumbea traiciens. Et jam ad eam paucitatem redacti fuerant, ut frustra se tumultuari viderent: igitur a conuiciis ad preces descendentes, vitam solummodo pacifcebantur. Victor *Raulinus* cum Anglis suis, reuulso ostio insidentes eos genibus & salutem orantes inuenit. At Angli eos omnes in vnum locum compactos funibus constrinxerunt, & ita velut vinctos boues suis ipsorum gladiis iugularunt. Qui in superiore parte naui erant, visa pernicie suorum, cum nihil aliud expectarent, effusis prius plautris conuiciorum in Christianos, saltu sese in mare praecipitauerunt, hanc esse virorem fortium sortem proclamantes. Supererant nonnulli è Mauris, quos *Raulinus* viuos seruare volens in testimonium victoriae suae, catenis vinctos in imam catinam compegit.

Raulinus Turcas in nauis eorum propria vincit & iugulat.

Sub initium primi tumultus, cum Nauarchus, qui Renegatus Anglus erat, ut diximus, subito procurrisset, visa calamitate suorum, ad pedes *Raulini* se abiicit supplex, vitamque sibi donari petit, commonefaciens eum, quod sua ipsum pecunia redemisset ab eo, apud quem aeternum seruiturus fuisset. Viuere ergo ipsum iussit Victor *Raulinus*, vocatisque sociis, solennes egerunt Deo pro tam illustri victoria gratias, cantato Epinici loco Psalmo Daudico. Conuersis igitur in Angliam prorsus, a. d. XIII. Februarii anno Salutis M. DC. XXI. Portum Plymouthensem intrauerunt, vehentes secum Piratam captiuum & quinque milites Turcas.

CAPUT XIII.

Relatio cuiusdam Rutheni siue Moscovitae, de itinere suo ex Sarmatia Asiatica, per Scythiam siue Tartariam ad fines Regni Sinarum siue Cathaiam.

NOs quoque tædet, velut in parte laboris ac periculi ipsi fuerimus, tot per infidam Barbarorum societatem defunctos ærumnis, vltius nauigando tempus & ætatem terere, cum concepta in aquis nausea melius in arido magisque nostro Elemento concoquatur & abstergetur: omisso igitur Oceano & nauigationibus, terrestre aggrediamur iter, sed tale, quod nos non minus in Orientalia illa Regna & Prouincias deducet, quam Superiorum classium expeditiones.

Anno à N. C. M. DC. XX. nobilis quidam Ruthenus, nomine *Euesco Petelinus*, beneficiarius Magni Moscorum Ducis, reuersus ex longissimo ab orientis partibus itinere, sequentem contexit narrationem. Missum se à Magno Duce, Principe suo anno Salutis M. DC. XIX. cum alio quodam nobili, Legationis socio, nomine *Andrasto*, ab arce *Tomo*, ut Oratorem Regis *Altina* deduceret, eodemque labore viam terrestri itinere per amplissima Tartarorum regna ad fines *Cathaiæ siue Chinae* (his enim nominibus vnum idemque regnum signari arbitratr) quo hæcenus transitus obscurus fuerat, perscrutaretur. Sic igitur de se ipse profitetur. Ab arce *Tomo* profecti, decem dierum festinato itinere *Kirgim* deuenimus. Dominabatur hic dux quidam, nomine *Nemius*, qui Magni Moscorum Ducis imperium agnoscit. Hinc sexto die

iter eiusdem Moscovitae terreste in Cathaiam siue Chinam.

ad fluium *Bacanam*, & nono die post *Chingicam* peruenimus. Abest ab hoc loco tridui via in gens lacus, in cuius littore reperiuntur Iaspides & Saphiri, Ambitum huius lacus in XII. dierum iter extendi narrat. Irruunt in hunc quatuor prægrandes fluii à quatuor mundi cardinibus, & præter eos quintus ab *Apartia* vento prodiens, nomine *Quillamus*, cuius aquæ nunquam crescere aut de crescere visæ sunt. Aduersum hoc flumen per XV. dies nitendo nauigauimus vsque ad oppidum quoddam, ubi Regem *Alina* obuium habuimus, qui nos honorifice excepit.

Deserto eo, cum multis diebus facientes iter per aspera & deserta colonis loca magno labore transiuissemus, ad angustum uenimus transitum, ubi nobis per varios anfractus & abruptarum rupium præcipitia ingrediendum fuit, angusto tramite vix singulis viam præstante, quam bidui itinere confecimus, vsque ad *Mugallam* prouinciam: ad cuius primum introitum duæ assurgunt arces, quadrato structæ lapide & satis munitæ, in quarum vna Principis vidua cum filiolo suo eo tempore habitabat, qui hæres erat totius illius prouinciæ & partis Cathaiæ. Quicumque porro Cathaiæ regnum ingressuri sunt, oportet ut hic diploma liberi commeatus redimant, manu & sigillo illius mulieris munitum.

Est autem *Mugalla* prouincia ampla potensque: multæ in ea arces sunt, omnes quadrato structæ lapide; in quoque angulo assurgit turris lapidea, in cuius summo fastigio pendet tintinnabulum, quo excubitores signum dant, se vigilare. Arx ipsa fossa cingitur, quæ ponte leuatorio sternitur. In area visuntur porticus fornicatæ, humiles tamen, interm variis exornatæ picturis & emblematis, ita ut periti artificis manum hic desiderare jure non possis.

Mugalla
Prouincia
Cathaiæ
conterna.

Mugallenses
Idololatra.

Sunt in hac prouincia primi nominis Tempia duo & totidem Monasteria religiosorum, qui patrio idiomate *Lobæes* nuncupantur, constructa quadrato lapide, oratorio in vulturnum ventum verso. In vtriusque vestibulo conspicitur Idolum forma muliebri, septem pedes altum, à calce ad verticem inauratum totum. Insidet statua illa bestiis aliquot marmoris, artificiose sculptis, quæ cathedræ ei vicem præstant. Vnumquodque horum idolorum vas quoddam patens manu præfert, cum tribus ardentibus cereis. Vbi ingressus fueris ipsam ædem, ad dextram videbis octo statuas viriles, & ex aduerso totidem puellares, inauratas omnes, protensis manibus veluti orantes. Ante has statuas offerunt se duo simulacra artificiosissima, nudorum hominum, qui candelas manibus gerunt, non tamen flammantes, sed exiguus scintillis paulatim se consumentes.

Sacra & Ceremonia
Mugallenses

Res diuina apud eam gentem hoc modo peragitur. Primum omnium datur conueniendi ad templum signum inflatis tubis duabus, & pulsatis tintinnabulis. Qui adsunt, continuo in genua subsidunt, & in signum deuotionis manus complodunt. Alii extensis brachiis proni in faciem humi decumbunt, & per mediæ horæ spacium eo habitu morantur. Absolutis precibus, & oblato thymiamate, redeunt domum.

Incolæ quales.

Frumento omnis generis tota prouincia abundat, oriza, tritico, hordeo, siligine. Panis eorum triticeus cum niue de candore certare potest. Fructuum arboreorum & olerum radicumque hic mira copia.

Virorum facies subfusca est, mulieres vero sunt formosissimæ. Vestibus amiciuntur fere sericis, ut tela *Damascena* & similibus holosericis. Gemmas & aurum in suo solo non reperiunt, verum ab Cathaiensibus accipiunt, in primis multum argenti. Equos hic paucos inuenies, mulos tamen & asinos satis multos. Terram aratro profcundunt, sementemque faciunt ut *Rutheni*.

Monachi
apud *Mugallenses*.

Patriarchas, quos ipsi *Cutuffos* vocant, per totam prouinciam duos habent, qui editioribus in templis insident Cathedris, & à regibus ac principibus magno afficiuntur honore. *Lobæes* eorum siue religiosi monachis nostris mendicantibus in multis rebus similes sunt, magis tamen Græcis quam Latinis. Crines è mento & capite euellant, ut calui sint & imberbes, ingrediunturque monasterium annos nati XX. Ab omni mulierum consortio perpetuo abstinent, carnibus autem quouis die indifferenter vescuntur. Vestes eorum interiores nihil refert quocumque colore rinctæ sint, dummodo pallium vel toga flaua sit.

Longus
murus *Chinensis*.

Digressis à *Mugalla* offert se via quæ *Bugharam* ducit, quo antequam peruenias, tres reguli adeundi sunt, in quorum agro, in primis *Sellefæo* reperiuntur Adamantes gemmæ. Postremus horum oppidum habet, cui nomen est *Sahar*, à qua si in sinistrum latus deflexeris, peruenies ad flauos *Mugallenses*, qui vsque ad mare extenduntur, suntque veri *Nomades*, cum nullibi perpetuo consistant, sed cum seruis, pecoribus & omni familia de loco in locum migrent. Ab huius regionis finibus vsque in *Syocalgam* Cathaiæ duorum dierum expedito equiti patet. Attingit via *Bugharensis* longum illum murum, ad eius fines non ante quadraginta dierum equestre iter perueniri posse aiunt. murus ille latere cocto potissimum structus est, quin-

est, quindecim pedes altus, innumeris assurgens turribus. Non desunt, qui duplicato longitudinis spacio ne LXXX. quidem diebus ad eius finem perueniri posse dicant, ipsis ita referentibus Cathaiensibus, qui eo sine tam operosum murum structum affirmant, ut sit propugnaculum & limes inter *Mugallenses* & *Cathaienses*. Seruiunt autem turres istæ excubiis, accendunturque in iis ignes, indices aduentus hostilis. Extra huic murum habitant *Mugallenses Nigri* (*Riccus Nigram* Cathaiam vocat) intus vero *Cathaienses* (sic noster hic *Chinenses* vocat) regnum vastissimum. In tam longo muro tantum quinque inueniuntur ostia siue aditus, adeo quidem humiles, ut eques insidens jumento rectus ingredi non possit. Et per hæc quidem ostia omnibus transeundum est. Iuxta murum hunc ampla assurgit arx, nomine *Syocalga*, lapide tota structa, cui à rege *Cathaiensi*, qui tunc *Tambur* vocabatur, *Schubinus* quidam præfectus erat. Arx ipsa edita valde est, muro optimo cincta, per quem, ut & in turrium fenestris, multa tormenta bellica disposita sunt, breuiora tamen nostratibus. Summa hic est præfidiariorum vigilantia, qui semper ad arma præsto sunt. Exploduntur hic quotidie tormenta maiora & minora, ut in perpetuo conseruentur vsu. In atrio arcis tabernæ sunt omnium generis mercium, sic ut in oppido, ut desiderari nihil possit. Præfecto præsidii foras prodeunt semper præsto sunt apparitores & stipatores corporis, securibus armati *Amazonicis*: ipse sub conopæo vel umbone serico ingreditur, præeuntibus caduceatoribus cum scipionibus, & homines de via decedere iubentibus.

Syocalga
Arx in-
structissi-
ma.

Ab *Syocalga* atrium dierum itinere peruenitur ad aliam ciuitatem, cui nomen est *Taya*, *Taya* vrbis. quæ tota faxis structa assurgit, in eam distensa amplitudinem, ut ambitus illius vno die confici, sed ne biduo quidem possit. Muris cingitur firmissimis, portisque ac vestibulis ferratis. Frequens hic negociatio ob copiam præstantissimarum mercium, in primis gemmarum & aromatum, ut omnes plateæ miram spirent fragrantiam. Hinc vnus diei via abest *Taytha*, vrbis valida & in longum protensa, nec quicquam amplitudine aut firmitate cedens superiori, domos etiam ostentans elegantiores. Multæ in hac tabernæ publicæ, nec pauca *Lapanaria*. Fructuum arboreorum hic mira abundantia & vilitas, ut & radicum & aromatum. Præsentibus huic duo Præfecti, qui alternis imperitant nomine regis *Cathaiensis*.

Taytha.

Schiroan alius vrbis vicinæ nomen est, quæ mercimoniorum frequentia superiores omnes vincens, mira populi feruet multitudine, & abundat diuitiis. Ab hac vsque ad *Cathaiam* urbem, regni caput, duobus diebus peruenitur, quæ tam ampla est, ut peridromus eius quadratio vix ambiri possit. Structa est è lapide quadrato, coloris albi & miræ duritiei. Frequentibus muri assurgunt turribus, in quibus constituti vigilantes agunt excubias, & tormentorum in muris dispositorum curam gerunt. Arx in eius medio attollitur è Magnete lapide structa, inque ea spectatur palatium Regis cuius tectum aureis laminis locotegularum cooperitum est. In regis conspectum prodire sine muneribus fas non est, quod ita ferat consuetudo regni. Hac de causa ita dicebant: Princeps vester superiore sua ad nos legatione, etsi Regi nostro tenue munus dono obtulit, antidoron tamen immensi precii accepit: vos quia nihil adfertis, æquum est ut nihil accipiatis. Contenti igitur simplici responso ad vestras litteras, domum redibitis. Arx ipsa, in qua Regium domicilium, loco plano sita est, quam orbis in modum cingit *Iuga* fluius, qui ubi hinc VII. dierum iter confecit, in mare nigrum euoluitur, & tanto ab vrbe spacio naues sub anchoris consistant necesse est. Deambulanti per plateas vrbis, ab omni parte se offerunt pergulæ atque tabernæ mercatorum & officinæ artificum, fornicatæ, supra quas domus habitabiles in aliquot tabulata assurgunt. Distrahuntur ex hoc Emporio varii generis merces preciosissimæ in vicina regna & prouincias, interuentu fere Clericorum regni, in prouinciam *Mugallensem*, regnum *Altini*, ad *Cara Cathaios*, in regnum ferreum *Bogaris* & alia. Tunica incolis sunt manicatæ & promissæ, ipsi forma vulgo bona sunt, firmis corporibus, imbelles tamen, Mercurio potius quam Marti dediti. Narrant apud se oritur fluium quendam, nomine *Cara-tallam*, qui in fluium *Obyn* nostris quoque Geographicis notum in fluat. Et hæc quidem sunt ea, quæ *Ruthenus* iste re dux Principi suo exposuit.

Cathaiæ
caput *Regni*.

Rex Poloniae Oratorem ad Magnum Tartarorum Chamum ablegat. Is que in isto itinere viderit obseruaueritque, refert, & cum homo doctus fuerit, multas Graecorum Antiquitates velut à sepulchro & cineribus erutas in lucem reuocat.

A Brascovia ciuitate Podoliae, quae aduersus assiduas Tartarorum irruptiones firmissima arce & valido praesidio munitur, ad *Silnicum* fluuium peruenimus, iuxta quem ponte eo loco stratum, Brascovienses munimentum excitauerunt & praesidium militum imposuerunt. Hoc transito, alius occurrit fluuius, *Bogus* nomine, estque verus antiquorum *Hypanis*, in quem quatuor alii minores aquas suas deponunt. In eo loco, qui ob confluentiam aquarum *Saucan* dicitur, *Thermæ* nativæ sunt & pons lapideus, qui olim *Vitoldi* magni *Lituania* Ducis fuit. Multa hic occurrunt ædificiorum & thermarum rudera, quæ veterem loci splendorem etiam in ruinis loquuntur, quibus & operosa munimenta sepulchrorum addere possis. Nec longe abest Insula munitissima, *Probita* nomine, iuge nostrorum hominum, cum ab Scythiis vrgentur, refugium. Piscantur hic Brascovienses, sed sclopetis aliisque armis probe muniti, ad arcendos latrones Tartaros. Maio enim & Iunio Mensibus copiosa est in *Hypani* fluuio piscatio. Intercedit autem longissimum terrarum spatium inter *Brascoviæ* & *Oezacon* vrbes, nec minus L. miliaribus, quam tamen viam Sarmatæ quinque diebus equo conficiunt.

Fuit tempus, cum tota illa regione innumeri passim occurrerent caprearum, aprorum, capreolorumque greges, nec pauciores cerui, vrsi aliaque ferae: sed cum ante annos XII. Inolitum frigus, & quale ne patrum quidem nouerat ætas, omnia per illas oras affligeret, periere ferae illæ prope omnes, vt tumuli & colles hinc inde ex ossibus earum, quæ frigore perierant, structi, satis ostendunt. Sed & Hippocomiæ hic erant eo tempore illustres, & plures ouium quam dici possit greges, bouumque armenta, quorum omnium possessio partim ad Polonos & Russos, partim ad *Cuiouenses*, *Podolienses* & *Moldauos* spectabat: sed ea omnia pariter frigore perditæ sunt.

Accedunt ad illam animalium cladem etiam albentes humanis ossibus agri, præliorum cladumque in bello non falsi indices. Cæterum ipsum solum satis fertile est frugum, & abundat pascuis rei pecuariae aptissimis.

Transito *Hiera*, *Moldauia* fluuio, caput *Valachia*, *Stapnotiam* siue *Iassin* attingimus, in via occurrit Munimentum & Arx *Pruth-Techi*, quæ à Turcis super Borysthenem olim extructa fuit. Inluit *Nester*, quem nonnulli *Axiacen* veterum esse asserunt, peragratis campestribus, in Pontum Euxinum, iuxta urbem *Bialogrod*, quam Itali *Moncastrum* appellant. Putatur à quibusdam hæc olim *Neoptolemus* Straboni appellata: is enim *Nicobiam* ad dextram, *Ophiusam* ad sinistram eius collocat.

Sequitur *Bariconeum* oppidum, profundis munitum fossis, à quo non longe abest Lacus, cuius littora vetustæ, sed magnificæ arcis rudera ostendunt.

*Ozaco*tiæ urbem veteres dixerunt *Olbian* & *Olbiopolin*: sita hæc est in ripa Borysthenis fluuii, ad Sinum *Curceniten*, à Meletianis olim ædificata. Rusticæ vilisque structuræ sunt in ea domus, vna ad huc assurgente turri, prisca gloriæ indice. Inluit autem Borysthenes veloci ac impetuoso cursu in aquilonare orificium illius Sinus, per quem in Euxinum Pontum irrupit. Quarto supra Sinum milliari Bogus fluuius Borysthenem intrat, vbi Turcæ excitata arce vectigal à nautis exigunt. Excurrit autem Isthmus vnius diei itinere inter Borysthenem & ipsum Mare. Solum fere sabulosum est, attolliturque alicubi collibus, in quorum radicibus paludes sunt & salis fodinæ: Ceruorum hic, vrsorum, aprorum & caprearum magna multitudo. Triginta hinc numerantur miliaria ad *Præcopiam* urbem, quo toto spacio aliæ domus non visuntur quam mapalia & tuguriola Tartarorum, lignis coaptatis & limo atque cespite teetis structa, ea angustia, vt vix quinos senosque homines capere possint. Solent & hi Tartari domunculas suas curribus impositas Aprili, Maio, Iunio mensibus de loco alio in alium transferre. Sequuntur equorum, camelorum & bouum armenta, ouiumque greges innumeri, meliora captantes pascua, & sic tota oppida vel potius *Hordæ* migrant.

Accedunt hi Nomades aliquando *Præcopiam*, *Tauricam* *Chersonesum*, & in ea urbem *Capham*, quam veteres *Theodosiam* vocauerunt. *Tanais* fluuius rapidissimus, quem barbari *Don* vocant, urbem illam alluit, quam *Genuatibus* ereptam *Præfectus* Turca obtinet. Verantur

Hypanis
fluuius.

Horribile
& inauditum
frigus.

Hiera &
Axiaces
fluuij.

Neoptole-
mus, Ni-
cobia, O-
phiusa ur-
bes.

Olbia &
Olbiopolis.

Capha sua
Theodosia
vrbs Tau-
rica.

fantur autem Errones illi *Hamaxobii* fere in Isthmo *Tauricæ* *Peninsulae* intra Pontum & *Mæotidem* *Paludem*, gnarissimum istud herbosum esse & pecuariae rei aptissimum. Appetente hyeme, quæ crebris pluuiis ventisque, vt apud nos, eos intra teeta se recipere cogit, in penitiora se loca recipiunt, vbi fixa habent domicilia; sed & vt *Collacorum* vim, qui transito *Borysthenem*, cum is frigore concreuit, multum his *Nomadibus* molesti sunt, effugiant. Agri, qui inter *Borysthenem* sunt & *Tanaim*, à *Strabone* *Campi Roxolani* vocantur, qui incolis eadem ferme tribuit, quæ in *Præcopensibus* *Tartaris* nostro æuo deprehendimus.

Est autem *Præcopia* siue *Perecopia* oppidum non magnum, in finibus *Chersonesi* *Tauricæ* siue *Scythicæ*. Vetera huic fuere nomina *Eupatoria*, *Pompeiopolis*, *Heraclea*, *Gracida*. Turris in ea assurgit, in qua *Præfectus* Magni *Chani* *Tartarorum* commoratur, qui *Scythiis* *Borysthenem* inter & *Tanaim* colentibus cum imperio præest, praesidium militum circum se habens, ad custodiendum vtriusque fluuii traiectum: neque enim quisquam haciter facere potest, nisi litteris salui com meatu instructus.

Colonia sequitur, septem inde distans miliaribus, *Ingermenum* autem duodecim. Munimentum hic est saxo quadrato structum, cum specu subterranea mirabili arte subter ipsum munimentum ædificata, qua totus ille mons subrus excauatur, qui & ideo *Mons Concauus* à *Turcis* appellatur. Apparet in eo loco olim latomias fuisse celeberrimas, vbi *Græci* lapides exciderunt ad fabrica vrbis *Chersonæ*, de qua multa narrare solent. Constat & olim *Legio* nē confedisit apud *Heraclea* *Ponticæ*. Apparet hinc inde variæ inscriptiones *Latinæ* & *Græcæ*, & alia Antiquitatis monumenta. *Ingermi* oppidi veterem gloriam testantur fontes & putei superstites, vt & via lapide strata & reliquæ ædificiorum. In vicino agro, qui fere à *Turcis* *Tartarisque*; desertus est, vinea quædam sunt & prædia rustica, à *Græcis*, *Iudæis* & *Italibus* culta atque habitata.

Quæ olim vrbs *Chersona* dicta fuit, hodie à *Turcis* *Sari* *Germenum* appellatur, id est *Turris flaua*, à colore procul apparente. Non exiguum huius oppidi fuisse splendorem testantur ruinae sanæ magnificæ, & aquæ ductus nobilissimi, per quos etiamnum aqua à mille passibus in oppidum deriuatur, clara quidē & potui aptissima. Ipsa vrbs prope deserta est, quanquā mænia & turres adhuc prope integræ conspiciantur: non obstante, quod *Turcæ* pilas colūnasque matmoreas trans mare asportare solent, ad templorum domiciliorumque suorum ornamenta. *Templa* & oratoria *Græcorum* funditus euersa sunt, & sepulchra aliaque monumenta subruta, nisi quod vnius *Monasterii* claustra adhuc erecta conspiciuntur, solo æquatis cæteris ædificiis. Narrant *Polonorum* & *Ruthenorum* annales, *Vlodimirum* *Cuiouia* Principem, duas templi valuas ex ære *Corinthio* & statuas qualdam metallo fusas operis *Græcanici* hinc sustulisse, & *Cuiouiam* deportari iussisse, quæ omnia *Boleslaus* II. *Poloniae* Rex *Cuiouia* sublata *Gnesnam* transtulit, vbi adhuc nostro æuo spectantur. Ademit autem hanc urbem *Vlodimirus* iste *Græcorum* Imperatori *Iohanni* *Zimisca*: cuius cum paulo post filiam *Annam* vxorem *Vlodimirus* duxisset, à *Patriarcha* *Constantinopolitano* baptisatus est. Hoc factō *Gener* *Iohanni* *Socero* urbem illam restituit. Narrat *Strabo*, in *Promontorio* illius vrbis *Parthenio* *Templum* & *Aram* *Veneris* fuisse, apparentque adhuc nonnulla ibi vetustatis indicia. Extruxerant *Genuates* in prærupto & saxoso monte validum propugnaculum, vt recalcitrantes *Græcos* compecerent; sed nostra memoria omnia prostrata humi iacent, nec nisi quædam veteris structuræ *Italicæ* vestigia apparent.

Marcopia siue *Mangar* paulo longius à mari abest, vicinior montibus & syluis. Non vilibus hanc urbem claruisse ædificiis ruinae loquuntur, & aquæ ductus lapidei. Narrant *Græci*, hanc anno decimo octauo postquam à *Turcis* occupata fuit, totā conflagrauisse, vt pauca hodie supersint prisca gloriæ indicia, præter inscriptiones saxorum & tabularum ærearum, quibus *Vulcanus* pepercit. *Templa* adhuc supersunt duo semidruta, alterum *Constantini* alterum *Georgii* memoriae dicatur, quorum custodia est penes sacerdotem *Græcum*, habitantibus ibi paucis quibusdam *Christianis* & *Iudæis*. Accepi hic à *Græcis* sacerdotibus, duos olim hic habitauisse Principes, è *prosapia* Imperatorum *Græcorum*, qui apud *Trapezuntem* suam habuerint regiam: eos iussu *Selimi* Tyranni *Constantinopolim* deductos, ibique securi percussos fuisse. In fornicibus murorum adhuc visuntur statuæ veterum Principum *Græcorum*, palliatae & chlamidatae, visendo sculptæ artificio. Non longe hinc distat propugnaculum, quod *Turcico* custoditur præsidio, nomine *Cercepsi-germen*, in scopuloso montis vertice extructum, domos habes è solida petra artificiose excisas cum conclauibus suis & fenestris, omnibus adhuc integris, quæ circum sunt, inculta squalent, vepribus & dumetis obsita. Ab hoc loco vsque ad *mediterranea* *Tauricæ* multa occurrunt *Tartarici* Principis palatia & domus dignæ spectatu. Ipsæ vrbi, in qua is habitat, nomen est *Baccaseray*, qua nulla in iis oris pulchrior.

Bb

Sita

Præcopia
vrbs.

Colonia
& Inger-
menum
oppida.

Chersona
vrbs ve-
tus, hodie
Flaua
Turris.

Vlodimirus
Ruthenorum
Princeps.

Marcopia
oppidum.

Regia Cha-
ni Tartarorum
Præcopensium.

Sita est in valle amœnissima, quam duo vicini montes conficiunt, interfluente riuo, à quo ipsa vrbs denominata est. Intra ipsius muros assurgunt aliquot Tempia Mahumetana, sepulchris principū illustria, è saxis & rudibus antiquorū ædificiorū structa, interq; ea cœnobium Mahometanū, in quo aliquot principes sepulti jacent: est a. omnis qui ibi visitur ornatu, è templis & oratoriis Græcorū raptus, & huc cōgestus. Ipsa Chani Tartarici Regia iam olim à maioribus eius illustribus & operosis exornata fuit ædificiis, templis, domiciliis, thermis, ad vsum & delectationem. Ergo huc Scytharum principes cum vxoribus & filiabus crebro etiam à remotioribus locis ventitare solent, non ob aquas duntaxat calidas, sed & venationis & aucupii gratia. In vicinis montibus hinc inde miseranda occurrunt facies arcium & oppidorum, quæ partim vetustate & situ collapsa partim videlicet in rudibus iacent.

Ea Cherfonefi Tauricæ pars quæ à Perecopia vrbe secundum paludem vsque ad Crimum oppidum extenditur, culta est, plana, campestris & fertilis, gramine abundans: ad mare vero, vbi palatia & arces regiæ assurgunt, & plures se offerunt pagi atque villæ, montibus & syluis plena visitur. Eminent inter montes vnus cæteris editior, in cuius vertice lacus est aquarum dulcium, qui ob sui magnitudinem ab aliquot milliariis longe conspici potest: ex omnium vero illorum montium radice multi profluunt amnes, non quidem profundi, piscibus tamen optimi saporis abundantes.

Sortassus. Sortassus pagus est amplissimus, iuxta arcem regiam, peculiaribus munitis priuilegiis, vbi fere Moscouitici & Lituanici oratores commorari solent. Itali hic multi commorantur, gaudentes singularibus immunitatibus, vt & templum hic habeant, in quo more Romano sacra peraguntur. Me ibi existente, rem diuinam peragebat sacerdos è familia Franciscana, quem à Piratis captum mercatores suo ære redemerant.

Tartari Crimmæi. Crimum siue Crimum oppidum est cum arce, nulla tamen ex parte, quod ad veterem splendorem, amplitudinem, ædificiorum magnificentiam, cum reliquis Tauricæ vrbebus cōferendum. Putatur hæc esse Ptolomæi Taphros, Plinij Taphra. Reperiuntur in hac vrbe antiqua monumenta, templa Mahumetana vetusta cum inscriptionibus Arabicis, vnde coniecimus eam ante Genuensium in Cherfonefo dominium à Mahometistis habitatam fuisse. Narrant ipsi Græci, urbem eam aliquando à Persis habitatam fuisse. Nostro tempore vulgo à Tartaris Turcis atque Iudæis, quanquam rare habitatur, & Tartari qui circum eam incolunt, vulgo Tartari Crimmæi appellantur. Moneta aurea & argentea hic percutitur, asseruanturque concubinz Magni Chani in turri quadam, quæ pro Gynæconide illis seruit.

Sudacum vrbs. Quos *Sudagios* prisca Græci vocauerunt, ij à Genuensibus *Sudacenses* dicuntur. Sita hæc vrbs in edito & saxoso colle non longe à mari, tres turres habet spectandi operis. Fuere olim innumera hic Græcorum Fana, quorum pars deleta est, superstitionibus adhuc multis. Venit hæc dissentientibus inter se Græcis, in potestatem Genuensium, qui eam splendidiorem fecerunt, Clarissimam hanc olim fuisse præcipue nominis urbem, omnes vno ore testantur, suffragantibus crebris facellis templisq; Christianorum, quæ adhuc in ea. Adde his Basilicas, porticus, turres & mœnia, aliaq; Genuensium opera publica, quibus præcipue inferior aula superbit.

Theodosia vrbs. Vbi superiora illa loca omnia peragraui, inquit Orator siue scriptor Polonus, ad *Theodosiam* urbem, quæ hodie *Capha* est, perueni, & dorsum Tauricæ, quatenus ad mille stadiorū longitudo porrigitur, aspexi, asperum, horridum, montosum & altuosum, aquilonibus. Ventis expositum: hoc loco excurrit promontorium in mare, è regione Paphlagoniæ & vrbs *Amafri*, quam Græci, teste Strabone, *Orion* & *Oxon* appellauerunt. Respondet huic ex aduerso aliud Promontorium, Paphlagoniæ nimirum, *Charambis* nomine, quo Pontus Euxinus velut in duas partes diuiditur, constituto ibi Euripo. Post montes illos sita est *Theodosia*, amplos patentesque circum se habens campos. Portus eius Strabonis ætate tam celebris & spaciosus erat, vt centum naues maiores commode caperet: hic idem scriptor ponit limites Cherfonefi Tauricæ & Bosphori.

Turca vrbs. Ipsa vrbs *Capha* nostra memoria facile prima est totius Tauricæ, qua parte mare attingit à Genuensibus Liguribus exculsa. Hæc cum olim diuitiis affluentissima fuisset, ab eo tempore, quo per Turcas Italiam erepta est, adeo decessit, vt paucos ibi ciues, qui cum re lautiore sunt, inuenias. Inscriptiones Romanæ, marmora, substructiones antiquæ, omnisque splendor collapsus humi jacet. Sūt in ea duo adhuc templa Catholicorum, & totidem Armeniorum: in quibus sacra pro cuiusque instituto facere licet. Ciues plerique Turcæ sunt, vel Armenii, admixtis Iudæis quibusdam & negociatoribus Italis. Territorium huius vrbs sua luxuriat vbertate, vinea habens & hortos omni pomiferarum arborum genere refertissimos. Frequens huc est à Constantinopoli nauigatio, quæ, si secundi adspirent venti, paucorum dierum spacio confici potest.

Quæ

Quæ hodie *Petegorensium* regio dicitur, veterum *Colchis* est, quæ cum adiacentibus provinciis in orientem extenditur vsque ad Mare Caspium, plena syluis & montibus. Populus sua libertate gaudens, externum imperium non agnoscit. Christianos se vulgo jactant, etsi vix vlla apud eos Christianismi vestigia deprehendantur, cum Idolis dediti sint, & crudeles inter se ipsos, vt aliquando vicinis liberi liberos surreptos trans mare vendat. Ergo peregrinos tamen atque hospites (quod jure mireris) magis comes & humani, vt his ne filias quidem suas negent. Sed de horum populorum, vt & Tartarorum Crimmæorum, Præcopensium, Astracanensium, postremo omnium, cum ante nos alii latissime perscripserint, nos hoc loco pauca duntaxat attingemus.

Abundat Taurica Sale subterraneo & jam coagulato, (vt ita dicamus) quem magna copia terra effodiunt incolæ. Ager hic est amœnus, campi feraces, pecoris abundantia, venatio, piscatio & aucupium frequens. Vineas & hortos amœniores vix vllibi reperies, interpositis plurimis villis, prædiis & mandris. Turcis pleraque subsunt, etiam oppida maritima. Hyemes hic temperatiores, neque tam diuturnæ, vt in Polonia, cum niues raro vltra diem tertium consistant. Aeris tamen principio veris quædam malignitas.

Fluuii primi nominis hic sunt partim, partim in vicinia, Tyrrassus, Hypanis, Tanais, Borysthenes: maria, Euxinum & Mæotis Palus.

Tartari Crimmæi (si historicis sua constat fides) iidem sunt cum Iabolensibus, qui à fluuio Rha siue Volga suam duxerunt originem. Ex his Tartariæ siue Scythiæ partibus progressi in Tauricam dicuntur concessisse. Primus eorum rex *Lochtonus Chinguis* fuisse perhibetur, qui adscitis in societatem aliis Scythis, Insulam cum illis æquo jure partitus est. Horum posteros *Selimus* sibi subiecit, sed non sine magno labore, victus prius à Sachomate Tartarorum Iabolensium rege ingenti prælio. Etsi autem regnum hoc ab initio in libera procerum electione steterit, sublatis tamen per intestinas dissensiones nobilioribus, factum est hæreditarium, adiuvante rem istam Rege Turcarum. Regi Crimmæo ex Lege Mahometi tot licet habere vxores, quot ipse velit. Sterilibus nullus honor, fecundis extimius. Pueros vbi adoleuerunt, ad aulam Ottomanicam mittunt, vt ibi militiam addiscant. Si de religione quæras, eandem sequuntur cum Turcis insaniam; nec multum ab his differt administratio ciuilibus. Peregrinos comiter habent, & ab iniuriis defendunt, non item à furibus nocturnis. Terræ fecunditatem negligunt, contenti re pecuaria, quæ minus est, quam agricultura, laboriosa: rem porro rusticam & alia fordida ministeria mancipiis delegant, captiuus præsertim Christianis.

Rex hic quotannis donum, vel vt verius dicam, tributum accipit à Rege Poloniæ nomine magni Ducatus Lituaniæ, à Palatino Moldauiæ, & à Circassis: horum Legatos aliquando honorifice excipit, aliquando carceribus & inedia macerat. Idem à cæteris omnibus (soli Turcis exceptis) pro modo facultatum tributum exigit.

Sumturus bellum, duobus mensibus ante imperat Præfectis ac beneficiariis suis, vt ad diem armati præsto sint. Alimonia qua durante bello vtuntur, vilis est & prope sordida, cum paruo contenti sint omnes. Consistit autem omnis Tartarorum militia in equitatu, cum abiectum putent, pedibus insistentem pugnare. Arma eorum sunt gladius prælongus, aut acinacis in morem incuruus, jaculum amentatum, siue pilum, mucrone acutissimo. Arcus cum sagittis longis & leuibus. Pectus lorica muniunt, caput galea vel cudone ferino. In vniuersum tamen gens est imbellis, & exercitus eiusmodi potius ad terrorem quam veram statariamque pugnam aptus, cum triplo plures equos trahant sessorum vacuos, quam militum riter instructos, vt videas ipsos in fuga ponere incolumitatem.

FINIS LIBRI SECYNDI.

HISTORIARVM ORIEN-
TALIS INDIAE
LIBER TERTIVS.

LIBERATVRI fidem promissorum nostrorum, nunc ad SEPTENTRIONIS partes nos conuertemus: non quod Indiae aliquam partem in Boreali plaga quaeramus, aut quod Orienti quicquam cum Aquilone commune sit, si Indos duntaxat spectes; sed quod nonnulli ex nostris hominibus, per tæsi longissimæ illius circum extremam Africam, vel per Fretum nouum aut vetus ultra Chilen noui Orbis navigationis, noua animi generositate per Septentrionis partes & glaciale mare viam inuestigauerunt, contemtoque omni periculo, quod ipsis imminere præsentissimum, vel ipsius naturæ obiectas difficultates eluctari conati fuerunt: quo tam illustri ausu, quæ proximis his annis Naucleri potissimum Angli & Bataui, æterna memoria digni homines, detexerint & annotauerint, antea non visa non indicata, breuiter ex eorum commentariis excerpte fert animus, & velut Gollarii loco aut additamenti superioribus subtexere.

CAPVT I.

Islandiæ situs: inuentio: cultus: mores incolarum.

*Islandia
Insula
situs.*

ANtequam ad penitiora illa Septentrionis loca, & quæ magis in Polum Arcticum vergunt, penetremus, quædam de ISLANDIA, quæ inter Aquilonares Insulas principatum obtinet, dicemus. Nomen huic à glacie, quæ omni prope anni tempore, præfertim qua in Boream & Circium ventum excutrit, littora pulsataque lacerat. Is enim siue Eis, Germanis aliisque populis Septentrionibus glaciem signat, & Land terram siue regionem. Qui veterum Thulen esse putant, patum firmis nituntur fundamentis, cum veterum Geographorum dimensio, quantum ad gradus latitudinis & longitudinis, huic non conueniat. Habet hæc Insula ab Oriente regnum Norvegiæ, ad Austrum Orcades Insulas & Scotiæ extrema; à Septentrione & Occidente Mare glaciale & partem Grænlantiæ. Cingitur ab omni parte Oceano Septentrionali, porrigiturque secundum longitudinem ab Oriente in Occidentem ad Centum milliaria Germanica, latitudo eius conficit LVI. Cælum huic inclemens est, & octo mensium perpetuum gelu, spirante subinde Circio vento, cuius tanta est malignitas, vt prodeuntibus humo frutices & herbas frigore suo adurat, nec altius assurgere permittat. Solum asperum est, frequentibusque montibus attollitur, quorum cacumina æterna niue cooperiuntur. Sed nos ad ipsorum incolarum originem conuersi, quo pacto à nostris hominibus primum detecta cognitaque fuerit Insula ista, dicemus.

Magnitudo eius.

Grænlantiæ detecta.

Annus agebatur à nato Seruatore nostro DCCCC. Episcopatum vrbs Bremensis gerente Adelberto (vel vtriusque cum vocant) Alebrando, cum mercatores quidam Saxones ex vrbe Brema & vicina Frisia decreuerunt, directa in Septentrionem navigatione nouas terras Insulasque quaerere. E Visurgiitur fluuio prodeuntibus, cum Orcades Insulas transiissent, tandem ad Islandiam appulsi sunt, eamque niuibibus obiectam & rigentem glacie reperissent, ideique nomen indiderunt. Ommissa igitur hac, cum ad CC. milliaria vtriusque versus Septentrionem progressi fuissent, aliam inuenerunt terram, quam quia viridiorum deprehenderunt, & cespitem ac arboribus alicubi consistam, Grænlantiæ appellauerunt. Vtriusque in Aquilonem progredi conantes, immensa vis glaciei proras vertere coegit, à qua cum se vix magno labore expediissent, in Syrtis inciderunt, multosque è sociis amiserunt. Cæteri vitato periculo in mare Tartaricum enauigantes, terram temperato fruentem aëre attigerunt, inque sinum quendam

quendam ingressi, aurum ibi & alias res preciosas repererunt: & quia incolæ ad hospitem aduentum in montes se abdiderant, collectis sine metu mercibus iis, inque suam nauem impositis discesserunt. His actis ferunt eos magno labore enauigato mari glaciale & Tartarico in mare Balticum penetrauisse, Bremamque reuersos, quæ viderant Episcopo exposuisse, quem & in partem acquisitionis prædæ admiserunt.

Circa idem tempus Normanni, profecti ex Norvegia & extremis Daniæ, contrariam *Norman-* nauigando institere viam. Ad littora enim Galliarum appulsi, totam illam oram, quæ Oceano *dia à quibus* Britannico obuerritur, vbi Sequana amnis in mare erumpit, occupauerunt, & à suo nomine *Normanniam* vocauerunt.

Tanta autem huius gentis succedente tempore fuit virtus & prosperitas, vt peragrata victoricibus armis tota Gallia Germanicæque parte, Saracenos ex Italia profligauerint Normanni, nouumque sibi regnum in Calabria & Apulia pepererint. Sed hæc alterius loci sunt. Apparet autem ex lingua Islandorum aliorumque populorum, qui vicinas Insulas inhabitant, primos eorum colonos ex Norvegia co traecisse, cum idioma illorum parum à Norvegico differat: exceptis oppidis locisque maritimis, in quibus Germanica siue Saxonum lingua, propter commercia quæ ibi exercentur, prædominatur.

Regnante apud Danos & Norvegios Woldemaro, quod fuit circa annum à N. C. M. *Cultus & Religio Is-* CCC. XC. VIII. Islandia cum vicinis Insulis, quibus rex ille dominabatur, ad fidem Christi *landorum.* conuersa fuerunt, cum ante Idololatæ fuissent. Multis vero annis post, Christiani II. Daniæ & Norvegiæ Regis ope cum in his tum cæteris eius regnis Augustanæ Confessioni locus datus fuit, qui missis eo Diuini verbi Ministris populum erudiri, & constituta Typographia, Sacrum codicem populari lingua imprimi iussit. Vt autem res illa melius succederet, voluit, vt pueri ex Islandia in Daniam deducti, primum in lingua latina & primordiis religionis, deinde in Academia Hafniensi studiis Theologicis instituerentur, quos postmodum in patriam misit, vt popularibus Christianæ veritatis mysteria vernacula lingua proponerent.

Constituerat jam ante Woldemarus in ea Insula duos Episcopos, vnum in loco *Scal-* *bolden*, cui Orientalem Insulæ partem commendauit: alterum in *Holla*, quem Occidentalibus regionibus præesse iussit: vtriusque redditus alii non fuerunt, quam larga casei & butyri copia. Opposuit se Reformationi Christiani regis ab initio satis acriter Episcopus *Scal-* *holdensis*, pertractis in rebellionem popularibus: sed armis regis cohercitus & ad officium adductus conqueuit. Sequutus eum vir nobilis & potens inter suos, nomine *Thaddæus Bondus*, armata plebe, & grauiore etiam excitato bello. Verum hic morte sua rebellionem finem imposuit.

Vulgus huius Insulæ potissimum è piscibus viuit, quanquam tenuiores destituti scaphis *Triplicis or-* lembisque piscatoriis, vltro opulentioribus se in seruitutem addicunt. Diuiditur autem *do Islando-* *rum.* omnis Islandorum populus (sepositis seruis mancipiisque) in tres ordines. Primi sunt, quos ipsi *Lofmaderos* dicunt, id est Magistratus, qui iudicia exercent, & cæteris secundum leges jus dicunt, in aliquot rursus & ipsi diuisi ordines. Secundus gradus *Bondiorum* est, id est Nobilium, quibus nauæ, piscatores, nauicularii cum ipsis nauibus, vt & armentarii & pastores gregum subiiciuntur. Vltimo loco plebs est in oppidis & villis, in nulla existimatione. Sunt Islandi vulgo corporibus quadratis, lacertosi & robusti supra quam credi possit, vt & iumentorum onera subire possint. Viris fæminisque idem prope amictus, vt illi ab his distingui ægre possint. Cum linum non serant nec elaborent, panno laneo crassi filii vestiuntur. Mulieres omnem corporis & faciei ornatum negligunt.

Vtuntur multi inter eos familiaritate spirituum siue geniorum, quorum iis semper præ- *Spiritus* *familiares.* sto sunt seruitia, non secus ac ancillarum seruatorumque: cumque è piscatione potissimum rem faciant, monentur subinde à familiaribus illis succubis, quando commodissimum sit piscari, excitatis etiam de nocte heris cum famulatio. Hanc improbitatem, etsi Ministri Ecclesiarum è populo tollere omni ope annuntur, parum tamen efficiunt, cum malum illud tam altas in miserorum animis radices egerit, vt etelli vix posse videatur: sic multi damnandis illis superstitionibus immoriuntur atque pereunt. Nec desunt his Magi & Incantatores, qui nauigaturis prosperos vendunt ventos: quod quin cacodæmonis ope fiat, dubium nullum est.

Puerorum prima institutio est in litteris: vnde plerique legere ac scribere nouerunt: *Ratio vi-* *Ami & lon-* *gautas.* hinc piscandi artificio applicantur. Agriculturam ignorant, neque sementem aut messem faciunt: potissima post piscationem tolerandæ vitæ ratio in lacte, caseo, butyro consistit: nam pro pane vtuntur carne torrefactorum piscium in farinæ speciem comminuta. Potus est vel aqua, vel serum lactis: & ad hunc viuentis modum, vitam ad centesimum quinquagesimum annum aliqui producant: narrantibus Anglis, oblatum sibi senem, qui ducentesimum se age-

Eb 3 gere

gere annum certa fide narrauerit; & ut magis mireris, in tanto tempore nec morbum nec medicinam nouerunt.

Mercatura.

Elegerunt sibi mercatores Germani locum quendam portumque marinum, naturæ beneficio egregie munitum, ubi subductis nauibus & explicatis in littore tentoriis cū barbaris mercimonia exercēt. Præcipuæ merces quas Germani aduehunt, hæc sunt: Cereuisia cocta, farina, cultelli & secures, vasa & ornamenta vitrea, calceamēta, tibialia, tegumēta capitis, & id genusres non magni precii, quas permutatione acquirunt Insulani, mercatorib. pro iis dantes pisces, adipē, sæbum, sulphuris massas, butyri copiam & pelles ferarum, in primis vulpium albicantium. Nihil autem egeris cum his hominibus, nisi prius cibo aduectitis & cereuisia Germanorum ventrem probe distentum habeant, ibi demum incipiunt negociari.

Liberaltas Islandorum erga hospites.

Si quæ nauis Germanica vel alius nationis exteræ in portum appellat, adsunt è vestigio Insulani, inuisantque novos hospites, iisque filias suas nobiles, quas simul adducunt, offerunt, ut concubinarum loco illas habeant, donec ibi versantur, & pro illo tam liberali ministerio aliud nihil quam panem aut cereuisiam expetunt. Quod si quam imprægnari ab extero contingat, in maiori quam antea apud parentes est precio, qui summa ope cauent, ne quo grauida afficiatur incommodo.

Libido in Zona frigida.

Proles quæ inde nascitur, ideo curiosius educatur, quod profapæ Germanicæ habetur, suntque in vniuersum illæ puellæ, quæ primum virginitatis suæ florem Germano alicui homini vendiderunt, honoratiore quam cæteræ apud illos loco. Verbo dicam, gens hæc sub frigidissimo illo cælo & solo, libidinibus adeo dedita est, ut tam Ecclesiarum ministri quam magistratus in coercenda illa veneris licentia omnem ludant operam.

Potatores.

Postquam opulentiores inter eos vini aut cereuisiæ dolium emerunt, non vtuntur parsimonia, aut in necessarios ac moderatos vsus seruant, sed vocatis vicinis amicisque, perpotandi finem non faciunt, donec omne exhaustum sit. Dum bibunt, simul canunt hymnos, quibus maiorum suorum fortia facta deprædicant, neque tamen ea in rhythmos redigunt, aut certæ alicuius harmoniæ regulis coercent, sed inconditum quiddam bōant, ut iis in buccam venit.

Immundities.

Noctē pater familias, cum omnibus domesticis in eodem conclauisomnum capit: stat ibi matula prægrandis, in quam è stratis surgentes omnes promiscue mingunt. Vbi diluxit, non tantum faciem & cæteras corporis partes, sed & gingiuas ac fauces vrina perluunt, magnas illi lotioni vires tribuentes. Si pecudes, quas magno numero alunt, aut feras frigore interire contingat, (quod non raro fit) carnes illas morticinas nequaquam abiiciunt, sed inter dedicatiores epulas referunt, ab ipso Deo eas maculat asserentes.

Tribus mensibus hybernis, cum sol Sagittarium, Capricornum & Aquarium perambulat, perpetuæ sunt apud eos tenebræ, nisi quantum Luna vel stellæ lucis suppeditant: has tamen tenebras intra parietes lucernis ex adipe balænarum pellunt. Contra cum sol æstiuæ signa percurrit, æterna ibi dies est: quo quidem tempore dici non potest, quantum capiant piscium, quos acre exiccatos seruant venduntque.

CAPVT II.

Quædam Natura in Islandia miracula. Stupendi lacus fontes, Therma nativæ, montium quorundam mira ingenia. Spectra, illusiones diabolica.

Therma.

Scaturiunt hinc inde per totam Insulam plurimi aquarum calidarum fontes, qui sulphureas vndas bulliendo euomunt, teste crusta, quæ in illa aqua supernat, & manifeste sulphuræ est substantiæ. Etsi autem is aquarum illarum feruor est, ut cutem celeriter lædat, subinde tamen iis vidimus innatantes mergos alites, minoris generis, coloris rubicundi, qui ad conspectum hominum profundo se immergunt, & satis diu sub aquis commorantur. In parte Insulæ Orientali lacus est amplissimus, ex quo etsi frigidissimus sit, perpetui tamen exhalant vapores: in hunc quicquid conicitur, in lapidis duritiem convertitur. Pertica in eam depecta, qua parte in terram descendit, ferri speciem induit: qua aquis ambitur, lapidescit: qua eminere extra lacum, ligni naturam retinet. neque tamen id quod in ferrum mutatum creditur, ignem fert, sed in carbones redigitur.

Fontes.

Lacus.

Locus est haud procul à mari, cui *Turloco* nomen est, ubi duo profiliunt fontes mirabilis na-

lis naturæ, & valde discrepante ingenio, cum alter feruore suo, alter frigore sit notabilis. Vbi per aliquod spacium seorsum quisque decurret, miscetur postremo, & balneum constituit saluberrimum. Haud longe ab illa conflue alius fons ebullit, lentam euomens materiam, similem ceræ, quæ multum valet in curanda lue venerea, quæ ob immoderatas libidines insulanos vexat.

Haud longe à portu *Hafnesfordio* rupes assurgit, bifurcata & velut fissa, cuius rima in putei speciem deprimitur, neque tamen infra VII. vel VIII. pedes. In huius fundum si despicias, aqua tibi nulla apparebit. Si vero lapidem aliquem iniicias, & ad mediæ horæ spacium expectes, audies primum profiliens aquæ murmur, postea tinnitum, ac si peluem aliquam aut lebetem æneum increpes: postremo videbis aquam vsque ad summum rimæ labrum ascendere, quæ tamen extra os istud non profluit, sed paulatim rursus subsidit. Et quanquam hæc aqua satis sit limpida, nemo tamen hæc tamen, quod ego quidem sciam, illam gustare ausus fuit. In media Insula lacus est vere Acheronticus, exhalans opacus mephiticus, & venenato suo habitu etiam superuolantes aliter enecans. Sed jam de montibus Islandiæ aliquid dicemus.

Iam primum duo sunt tantæ altitudinis, ut longe supra nubes ascendant, æterna cooperiti niue, ut ad summa eorum cacumina nemo se ascendisse dixerit vnquam. Accidit aliquando ut circa illos montes horrenda audiantur tonitrua & fulmina, cum tamen in tota Insula aer sit serenus. Tertius locus *Hecla* monti tribuitur, qui vno latere mari imminet. Hic etiam altitudine ad cæteros illos non accedat, perenni tamen incendio, & à multis seculis durante nobilis est, æterna ac sibi ipsi sufficiente ignis materia. Sunt qui huic rei non aliam assignent causam, quam latens in terræ visceribus sulfur, quo cauernolum istud solum plenum est. Erumpit ex hoc aliquando viuida flamma, aliquando piceus turbo, aut materia liquefacta sed ignea, aliquando tanta vis cinerum admittis tophis, ut solis splendorem diei inuideat. Ad hoc incendium nemo impune accesserit, sed ad sextum milliare inde consistunt omnes, ob solum cineribus plenum, sub quo abstrusæ latent voragine. Curiosiores tamen quidam adolescenteris, cum aliquando quiescente incendio, in aliquam montis partem crepississent, repente tonitruis fulgetrisque circumuenti atque ita exterriti fuerunt, ut vix præsentissimam mortem effugerint.

Mirandus est autem stupor populi, cui persuasissimum est jam à plurimis annis, torqueri in illo monte sceleratorum animas, accedente ludibrio & phasmate, quo se spectra horribili specie aliquando viatoribus offerunt: compertumque est, aliquot diebus ante commissum insigne aliquod prælium, vbicunque tandem bellum geratur, malignos spiritus magna copia è faucibus illius montis euolare, scilicet ut pugnae inter sint, & nouos in vltinam suam adducant hospites. Tam altas autem hæc persuasio in Islandorum animis egit radices, ut melius quidpiam sibi persuaderi minime sinant. Nec segniter Cacodæmon aut oscitanter agit in corroboranda illa opinione; cum aliquando piscator quidam Islandus, dum intentus est operi, videret ignotæ formæ nauatam cum scapha pariter peregrini artificii aduentare: (ciscitatus est ex eo de more, vnde & quomodo respondit alter, habere se in cymba Episcopum loci cuiusdam, quem in montem *Heclam* deducturus esset; cognitumque est paulo post, Episcopum illum ea ipsa hora expirauisse. His similia monstra & atrociora etiam, ad quæ sensus humanos cohorrere necessum est, in illis locis subinde contingunt, quorum omnium idonea ratio ne ab peritissimo quidem expediri potest.

Solet insuper circa initium Iulij mensis magna vis glaciei circa montem quendam huius insulæ glomerari, de quo sibi persuadent barbari, animas defunctorum in fornace ignea excoctas ibi refrigerari, & de nouo ab immenso illo gelu torqueri. Est autem ea illius glaciei natura, ut postquam fere per tres integros menses ibi hæsit, ad extremum vnus noctis spacio vniuersa euanescat, ne palmari quidem crusta reliqua. Sed & si quis domi aliquam eius particulam asseruet, pariter eadem illa nocte euanescit, nulla madoris significatione relicta, quod quo pacto fiat, valde mirandum est.

Meminit huius glaciei etiam Olaus Magnus in Historia sua septentrionali, ubi libro vndecimo ait, se non credentem famæ ipsam profectum eo fuisse, ut pleniorum eius rei caperet notitiam, quanquam profectio illa plena periculi esset & terroris. Ibi se animaduertisse glaciei prægrandia fragmenta rupibus & cauernis illisa eiusmodi ciere sonum, ut qui procul absit, gemitus ac vlulatus & murmura pereuntium hominum se audire existimare possit: quæ res errori illi Insulanorum causa extiterit, ut crediderint

patientium ibi animarum esse lamentationes.

CAP.

Islandorum opes in quibus rebus consistant. Animalia rariora, aues, pisces. Iudicia Insularum.

Solum Islandia quale.

Am ante à nobis dictum est, Islandiam habere Solum asperum & scrupulosum, & alicubi perpetuis coopertum niuibus, plerisque etiam in locis prægrandes assurgere rupes, & terram ubiq; fœtam esse latentibus faxis, vnde horti apud illos nulli, in quibus pomiferæ arbores suos fundant fructus quos nisi viderint gustauerintque, ne apud nos quidem nasci credituri sunt. Et quamuis his, vt & herbis medicatis omnibus destituuntur, summa tamen iis est corporis firmitas, valetudo constans, vita diuturna.

Domus & aedificia.

Urbem aut oppidum muris cinctum in tota Insula frustra quæsiueris: Sed ne in pagis quidem aut villis domus aut aedificia contigua. Qui propius litus maris habitant, Speluncas subterraneas pro domibus habent, in quibus à ventis & tempestatibus tuti sunt: ex his ad piscationem prodeunt.

Argentiatque auri signati vsus apud eos nullus est: permutatione mercium vtuntur, more antiquissimo: sed nec vlla se hæcenus ostendit vena metallica. Sulphur apud eos tanta effoditur copia, vt in nulla prope sit exiltatione. Ferramenta quibus vtuntur, à Mercatoribus Germanis accipiunt.

Arbor in tota Insula tantum vnica reperitur, Fagus humilis, & vix ad viri altitudinē assurgens: hæc media æstate floret, promissisq; foliis mirā de se spirat fragrantia: vbi tamē sciendum est, abietes & quercus plurimas quotannis ab littore Scythico vi glaciei & ventorum ad hanc Insulam appellere: ex his construunt fabricas suas ligneas.

Diuisia consistunt in re pecuaria & lacte.

Ob copiam pabuli & herbarum abundant butyro & lacticiis, estque pascuorum tanta vbertas, vt pecora, nisi quandoque arceantur, præ pinguedine crepent. Boues fere apud ipsos destituuntur cornibus, vt & oues, quæ tamen maiores sunt nostratibus. Equi quos Islandia gignit, commodos se præbent fessoribus. Canes habent prægrandes, eosq; magni æstimant. Vulpes & vrsi hic magno numero vagantur, quibus fere pellis alba & ob id commendatur. Deficiente pabulo vaccas piscibus nutiunt.

Auium apud eos genus vnicum, aquatile, mergi, fulicæ, anates, & similes, quæ littora ingenti copia obident. Reperiuntur tamen & perdices albicantes, & corui candidi, & falcones ad aucupium laudatissimi, qui ab exteris gentibus valde appetuntur.

Pisces & balæna.

Piscium hanc Insulam fecundam matrem & nutriciam benignissimam iure appellare possis, cum in fluuiis quibus Insula irrigatur plurimis, optimæ notæ pisces sine numero capiuntur, Trutta, Salmones, Auratæ aliique delicatissimi saporis. De balænis monstribusque marinis multa hoc loco perscribere, superuacaneum existimamus, cum ante nos alii, inter quos facile primus est Olaus, id abunde præstiterint, qui ad eundi. Constat hic aliquando hyberno tempore à piscatoribus sub glacie reptum fuisse cornu monocerotis, quod mercator quidam cum agnosceret, ab incolis persuasis esse dentem balænae, vili coemptum precio, postmodum Antuerpiam delatum aliquot aureorum millibus vendidit: frustra indignante Danorum rege, cum id postliminio resciuisset. Certe ex eo tempore negociatio Hyberna Germanis interdicta fuit.

Iudicia & tribunalia Islandorum.

Iudiciis & actionibus forensibus certus quidam in media Insula constitutus est locus, æstatis tempore floribus & gramine totus confusus, & ob id amœnissimus. Huc a. d. XXIX. Iulii mensis quotannis conueniunt, quibus lis aliqua est aut controuersia. Præsidet Iudicio Prorex nomine regis Daniæ, qui prælecto diplomate regio iudices monet, vt iustitiæ summam habeant rationem. Auditæ litigantium Orationes & actiones ac responsiones finiuntur sententia iudicum, quam ex libro lingua patriæ proferunt, qua controuertentes acquiescere necesse est. Si quæ maioris momenti causa agitur, iudicium eius Proregi Dano reseruat. Non audiuntur hic querelæ de finibus agrorum, aut possessionibus interuersis, aut patrimonio labefactato: pleræque quæstiones sunt de homicidio, furto vel adulterio perpetrato, quorum criminum rei conuicti secari percutiuntur, qui leuius peccauerunt, iis cauterio frons inuritur, quo facto infames per omnem ætatem viuunt, vt cæteri ab illis velut à rabido cane aut impransâ lamia diffugiant.

usu-



ei indi-
xpedita
tua niue
dicere:
licarum
vt vnus
m pisci-

æ mino-
tur. Ha-
come-

& præ-
punitur.
id caput
it. Sen-
vulneris,
abusque
letur, &
bis alli-
pingunt
ccedant.
llari tra-
eacutum
um huic
in XVI.
lanci to-
us in eius
& velut
iuntur &
es, velut
as disten-

us, vt *Mormulæ*
vero & *sine Morfes.*
st ingens:
tu naues
um nau-
uanquam
asea con-
lnus reci-
sictus re-
ur eodem
in maio-

Angli in *Vrse alba*
e obuios. *& earum*
verbis ra- *ferocia.*
ent signū,
tormentis
e suo con-
ex illis fu-
gam



Solum I-landia quale. I Amperp ram vt res sue dituri corpor

Domus & adificia. quidet subten scation

more a effodit bus Ge

A surgens dum es hanc In

Diuitia consistentes in re- curia & lacte. vberta destitui gignit, Vulpes Deficie

A genti co ad auu

Piscis & balana. P possis, c antur, T nis mul cile priu tempom

Corum monocerotis. dam cur dum An rum reg nis inter

Iu æstatis te Iulii met Prorex n mam hab sententia necesse est Non aud nio labef quoru



CAPVT V.

Cherry Insula septentrionis. Situs eius, piscatio balanarum. Vrsi frequentes, Insulanorum mores.

Ita est hæc Insula sub gradu LXXIV. ab Æquatore verius septentrionem. Nomen ei inditum est à Francisco Cherrio Equite Anglo, cuius potissimum sumtibus classis illa expedita fuit, quæ nouam illam Insulam detexit. Alte hæc attollitur supra vndas & perpetua niue cooperta videtur. Tanta hic auium aquatilium multitudo, vt difficile sit ad fidem dicere: quædam inter eas nostris hominibus ignotæ sunt, cæteræ omnes in Mergorum & fulicarum censum veniunt. Adeo autem densis agminibus in littore isto versabantur alites illi, vt vnus horæ spacio tantum sclopetis suis confecerint aut retibus ceperint Angli, vt scapham piscatoriam impleuerint.

E genere quadrupedum frequentiores hic visuntur vrsi albi, & vulpeculæ, quæ minoribus canibus nostratibus adeo similes sunt, vt cauda duntaxat ab iis differre videantur. Harum carnes Angli, alia destituti alimonia, sale probe maceratas coxerunt & comederunt.

Immania cete hoc mare vbique infestum reddunt, in primis horrenda specie & prægrandi corpore Pristes. Hæ sunt e balanarum genere & hoc potissimum modo capiuntur. Cum adesse monstrum istud deprehenditur, adsunt numerosi piscatores, & cum id caput pro more suo ex aquis exferit, quidam ex iis vncum ferreum vi magna in id coniicit. Sentiens se sauciam balæna, fundum petit, trahitque post se funem, sed partim dolore vulneris, partim vindictæ cupiditate denuo summa petens, passim à piscatoribus vncis verubusque ferreis petitur, vulneribusque configitur, vt permistum aquis sanguinem alte ei aculetur, & simul vitam profundat. Vbi mortua in aquis supernatat, à piscatoribus aliquot lembis alligata ad littus trahitur: qui carnibus abiectis abdomen illius colligunt, doliisque compingunt ac diuendunt. Tanta autem his corporis vastitas, vt ad LX. pedum longitudinem accedant. Sunt qui cerebrum huius monstri à Pharmacopœis vendi, & Sperma Ceti appellari tradant. Aliud genus balanarum est, quod *Iubalæ* vocatur. huic à summo dorso præacutum cornu eminet, quo naues minores impellere & aliquando lacerare solent. Tantum huic pisci caput est, vt tertiam partem totius corporis constituat. Os eius extensum in XVI. pedum latitudinem hiat. dentes ei sunt nulli, lingua prægrandis in modum sacci lanci tomentis pleni. Vermibus fere victitat, quos vna cum aquis fugit, nec fere alius cibus in eius ventriculo reperitur: quanquam & aues marinas degluriat, contorta in vorticem & velut Charybdim aqua marina, cuius vehementia abrepti mergi & anates ab ipso hauriuntur & integri absorbentur. Cauda eorum velut duabus pinis constat, diuisa in duos apices, velut caudæ hirundinum. Catulos hi pisces viuos pariunt, habentque matres duas mammas distentos lacte, quo factus suos nutriunt.

Ad belluarum illarum ordinem etiam *Mormulos* siue *Morses* reuocamus, vt ^{Mormuli siue Morses.} vulgo vocantur, quorum dentes & pelles magni æstimantur, ex carnibus vero & interaneis eorum oleum exprimitur siue pinguedo vtilissima. Ipsi belluæ robor est ingens: cum vulnus accepit, horribiles tollit clamores, cum vero furere cœpit, tanto impetu naues inuadit, vt aliquando eas, præsertim minores, inuertat, & in summum vitæ periculum nauigantes adducat. Egre diuntur animalia ista aliquando totis agminibus in terram, quanquam plus temporis in mari viuant. Nautæ & piscatores lanceis prægrandibusque verubus ea conficiunt, aut glandibus plumbeis traiciunt. Nec tamen facile vlla parte corporis vulnus recipiunt præterquam in ventre aut pectore, cum pellis durities cornea facile omnes ictus respuat. *Apua* ad hoc genus quam proxime accedit, capiturque aut interficitur eodem modo quo *Mormuli*, quanquam *Apuæ* pellis ad plures res utilis sit & apta, ideoque in maiore precio.

Vrsas hæc insula gignit quam plurimas, albo plerasque colore. Cum primum Angli in hoc solo pedem posuerunt, egressi quatuor cum sclopetis suis, tres vrsos habuere obuios. Cumque tres ex iis ad conspectum ferarum territi iam fugam adornarent, à quarto verbis rationibusque persuasi sunt, vt sisterent gradum, neque vllum formidinis præ se ferrent signum, solere enim vrsos fugientibus acriter instare. Sic collecto spiritu Angli expeditis tormentis suis iunxerunt in vrsos iuere. At hi cum erectis corporibus in posteriores pedes more suo confedisissent, tantisper expectauerunt, donec Angli propius accessere: ibi duo ex illis fugam



Confiliu
cum vrsis.

gam arripuerunt. Tertius constitit in vestigio, magno murmure & fremitu se hostem expectare significans. Vbi Anglos in se pergere pertinacius conspexit, facto in eos impetu pugnam auspicatus est: sed celeriter traiectus aliquot glandibus plumbeis viuendi furendique finem fecit. Sclopetorum sono excitati alii vrsi numero tredecim se in conspectum dederunt: cum autem in hos quoque Angli acriter fulminarant, fugerant omnes. Gemina potiti victoria nostri cum ad naues reuerfi aliquid cibi cepissent, alii vrsi duo se obtulerunt quorum vnus duos catulos vrsinos dorso suo impositos ferebat, qui iam ad agnellosum magnitudinem accedebat. Tertium propius accedentem, cum glande traiecissent, pelle spoliauerunt, quae tredecim pedes longa erat. Sic compererunt hoc genus ferarum in Cherry Insula esse admodum frequens, sed nullius vsus.

Porro ipsa insula solum habet aridum & sterile, perpetuo damnatum frigore, & faxis rupibusque horridum. Arborea in ea nulla, quanquam ligna ibi reperiantur, vnde autem adueniat, non constat. Redegerunt eam Angli in suam potestatem anno A. N. C. MDCIX, eamque regis sui dominio vendicauerunt. Portus eius atque Promontoria & littorum Sinus qui nosse cupit exactius, videat Anglorum nauigationes septentrionales.

CAPVT VI.

Samoieda, populus septentrionalis. Eorum viuendi ratio habitations, matrimonia, Idololatria, sepultura, ceteri ritus,

Samoieda
vnde dicatur.

Hic quoque in populorum maxime septentrionalium censum veniunt. Continentem incolunt qua extremae Ruthenorum ora inter Boream & Circium ventum in glaciale Oceanum excurrunt, Nomen iis inditum putant Rutheni ab androphagia, quod *Samo-iedi* suam carnem comedentes ipsorum lingua dicantur. Et sane constat, eos morticinis vesci, aliiisque res sordidissimas solere. Hanc tamen Etymologiam ipsi Samoieda negant, & se ita appellatos tradunt, quod in ipso solo illo nati, non aliunde aduecti fuerint, ac si Graece *αὐτοῖς* vnde dicas.

Frigido climati terra haec subiecta est, vnde tam domi quam foris pellibus animalium suffulti versantur. Facientes iter hyemis tempore, non vna sunt contenti veste pellicea, sed aliam alii superinducunt. Pelliones apud eos putantur plus valere in sua arte, quam alibi per totam Europam. caput cudone ferino lana suffulto cooperiunt, relictis duntaxat foraminibus ad usum oculorum & respirationem. Interulae camisiae praestat vicem pellis capreoli, versis ad cutem pilis, & eodem modo crura ac tibias operiunt: his tamen ocreas & crassiore corio inducunt. Trahis vtuntur non vehiculis, nec equos iungunt aut boues, sed ceruis eas agunt ea celeritate, vt difficile sit narranti credere. quadraginta enim continuis horis currunt, ne semel quidem interposita quiete, quo tempore incredibile viae spacium conficiunt. Mulieres apud eos aurigationis molestias subeunt, dum viri feras sectantur aut volucres captant. Si successit venatio aut aucupium, vxor viro mensam sternit, & semicortas epulas apponit. Nomadum ritu hi tentoria explicant, vbi cunq; commodum fuerit;

Ceruis ad
currunt
maniti.

Superstitio.

primusque viro labor est, oportunitate Idolis colendis locum sibi deligere. Templum siue delubrum vbi pater familias construxit, accedere ad id mulieri fas non est: quae si religionem illam negligat, totam familiam luporum vrsorumque morsibus expositam opinantur: Sic suadet auita superstitio. In papilionibus tensis e pellibus animalium constructis, medio loco ignem excitant, circa hunc in abiectis humi vrsarum aliarumque ferarum pellibus incumbunt, Foramen in summo tabernaculo & lumen habitationi & exitum fumo praebet. Et haec sunt ipsorum vrbes & oppida, in quibus aetatem degunt, promiscue omnes cohabitantes. Haec mapalia coriacea de loco in locum transferunt, quoties oportunitate est, & vbi se pabulum pro ceruis, quibus vt diximus pro iumentis vtuntur, ostendit.

Nuptia.

Cum quispiam filiam suam elocat alteri, dorem ei aliam non dat, quam ceruos mansuefactos, & haec sunt eorum diuitiae. Sponsus vicissim focero dat alios ceruos, & quidem numero maiore, & ita emit coniugem.

Repudium
frequens.

In peragendis nuptiis minime operosi sunt, contenti conuiuio nuptiali ad quod propinquos agnatosque inuitant: peracto epulo, suum quisque tentorium repetit, relictis sub eadem pelle nouis nuptis. Sed hic quidem mos a pauperioribus obseruatur: ditiores enim hilaritatem nuptialem in aliquot dies prorogant. Ornatus sponsae in annulis circulisque ferreis consistit, & tintinnabulis de collo pendentibus. Accidit aliquando, vt quis vxorem, qua per quinque aut sex menses vsus est, repudiet, eamque focero suo remittat, suosque ceruos repetat.

Nec

Nec difficile se praebet focer in recipienda filia, ita tamen, vt gener impensas nuptiarum bona fide restituat.

Verum veri Dei cultum penitus ignorant, quanquam dicant, se vnum Deum colere, *Idololatria*, sed sub specie earum rerum, a quibus plurimum emolumentum percipiunt. Habent tamen statuas ligneas, vel truncos potius in humanam figuram aliquo modo, sed rudissime efformatos, quos venerantur: his aliquando maectant ceruos, eorumque carnes Idolis oblatas primo, deinde concisas in tomaculi ritum comedunt.

Si quem inter eos opulentiorum mori contingat, captiuum quempiam hominem, vel feruum suspensio necant, vt defuncto in altero illo seculo ad imperium praesto sit. Ne autem in campis Elysiis pedibus incedere necesse habeat, quod illiberale putant, immolant ei ceruos aliquot, quibus ibi pro iumentis vtatur, faciuntque id crudelissimis modis, adacto per posteriora veruto vsque in ipsa viscera & pectus animalis, quod tam diu excruciant, donec moriatur, ipsi interim altos cientes clamores. Occisos eo pacto ceruos corio nudant, eorumque carnes vel coctas vel crudas deuorant. Pueros ante septimum annum mortuos non sepeliunt, sed ab altis arboribus suspendunt, scilicet vt ea ratione caelo propiores sint.

Cura pro
mortuis.

Litigia inter eos orta, ludicra quadam execratione finire solent. Actor ad iudicem accedens, humanam effigiem ex niue efformat, eiq; caput lupinum imponit. Hinc peracta actione, vbi ad punctum probationis deuentum est, incipit primo se ipsum deinde omnes sanguine iunctos exsecrari, strictoque gladio effigiem niueam frustillatim concidit, addens, non reculare se, quin omnes affines ac necessarii sui ad eundem modum hostili gladio concidantur, si sciens falsum dicat. Deinde accepto rictu siue cranio lupino, pari obtestatione lupos ceruis pecudibusque suis infestos precatur, nisi verum dicat. Habet autem hoc tam operosum execrationis genus tantas apud eos vires, vt de accusationis veritate nemo deinceps ambigat, sed omnes verbis eius acquiescant.

Modus de
finienda li-
tium.

Ceterum ipsi Samoieda corpore sunt firmo & membris validis: statura eis mediocris, *Natura* latae facies, oculi intus depressi, animus periculorum contemtor & audax, salutis prodigus: huius generis hasta eis semper ad manum, siue potius sarissa longior. Gens est scientiae futurorum auida, vnde vix quicquam auspiciantur, nisi prius consulto Mago vel sacerdote Idololatra.

Hic vbi in papilionem consulenti venit, in angulo quodam confidens, & faciei parte palliolo velans, cornu profert bubulum, lupina pelle obtectum, hoc instar tubae inflat, & incantationes quasdam demurmurans pede leporinum sinistra manu versat: ceteri interim accinunt, vel potius canum instar aut luporum vlulant. Si vaticinia lata fuerint, maectatur ceruus & peragitur conuiuium inaugurale. Mulierum est incredibile robur & naturae bonitas. Pariturae obstetrices ignorant, viro Lucinae vices subeunte, puer in lucem editus frigida abluitur, vel niue perficitur, dein rursus a matre fouetur, quae secundo tertiove a partu die ad consuetos labores redire solet & officia domestica.

Natura
huius gen-
tis.

Facile puer-
perium.

CAPVT VII.

Nauigationes aliquot a nostris hominibus, in primis Anglis in remotissimas septentrionis partes susceptae, ab anno Christi MDLIII. vsque ad MDCXXIV.

Cum antiquis temporibus nauigationes in septentrionalia illa regna, vnde olim Gotho-*Nauigatio* rum, Cimbrorum, Wandalorum, Rugiorum, aliarumque gentium agmina prodierant, *prima An-* & totam prope Europam cum parte Africae Asiaeque inundauerant, decreto Ciuitatum *glorum in* ritimarum Germaniae, quae vulgo Anseatica vocantur, intermissae fuissent: accidit, vt anno *septentrio-* a n. ch. MDLIII, negociatores aliquot Angli, quibus illae in Borealia regna nauigationes *nem.* quae stuoae futurae videbantur, in ita societate tres naues expedirent, quibus & haec indide- *1553.* runt nomina: primam dixerunt *Bonam Spem*, secundam *Fiduciam*, tertiam *Eduardum*. His Nauarchum praefecerunt *Hugonem Willugheium*, eumque septentrionis partes petere iusserunt.

Haec classis, cum commodo vento soluisset, graui tempestate quassata & dispersa, vix post aliquot dies apud *W. arthufium* in extremis Lapponiae partibus denuo conuenit, vnde soluentes Angli, cum in S. Nicolai Sinum inuecti a anchoras proiecissent, Emporium ibi pro sua nationis mercatoribus constituerunt. Hic nauarchus cum varias terras atque Insulas

Ce 3

adiuif-

Neulandia
qua sit.

adiuisset, & vsque in LXXV. gradum versus Polum Arcticum penetrasset, nec vllum hominum vestigium reperisset, vltimos autem, ceruos atque vulpes magno numero vidisset: nomen illi terrae indidit *Noua Regione*, siue *Neulandia*: quanquam postea patuit, partem fuisse Gronlandiae Insulae, & eam ipsam quidem, quam Hollandi *Spizbergam* siue *Montacutum* appellauerunt. Hoc facto reuersus *Willugbeius*, resumto priore itinere, iterum *Lapponiam* petiit, ibique diem clausit extremum. Hoc initio facta, *Societas Rutenica Mercatorum* in Anglia anno A.N.C. MDLVI. expedita alii classi *Stephanum Burrugium* praefecerunt, eique imperauerunt, vt directo in Aquilonem cursu viam aliquam per eas partes in Cathaiam quaereret: cuius viri industria ostium *Obii fluiui*, & *Pechora*, nec non fretum *Vaygats*, & *Zembla* atq; *Samoedia* nostris innouit. His ergo detectis, cum integrum annum in illa expeditione latis laboriosa insumisset, domum cum suis reuersus est.

1576. Rei difficultate in peruestiganda noua illa via versus orientem perspecta, quieuerunt negotiatores vsq; ad annum Salutis MDLXXVI. quo anno miserunt *Martinum Forbifferum* cum duabus nauibus, vt conuerso in occidentem cursu eandem peruestigaret viam. Hic cum LXII gradum versus Polum Arcticum attigisset, fretum inuenit (siue sinus is fuit) late patens, in quod cum ultra LX. milliaria Anglica penetrasset, reuerti domum coactus est, cum terrae quoddam genus fabulosum, in quo auri ramenta latere videbantur, secum domum retulisset. Idem iter ingressus est *Forbifferus* anno MDLXXVIII, maiore quam antea nauium numero, reliquitq; ibi quosdam de fociis suis, vt nouam conderent coloniam, inductus falsa spe fulgidae arenae, quam aurum continere putabat. Anno A.N.C. MDLXXX iidem Mercatores alias expediere naues, quibus *Arthurum Petum* & *Carolus lacmanum* praefecerunt, iussos tentare, an per aduersum fluium *Obyn* in Cathaiense regnum peruadere possent, verum hi, cum inuia quaedam septentrionis loca & ante parum cognita rimati fuissent, coacti frigoris vehementia domum reuersi sunt, irrita couatu.

1583. Tertio anno post missus est *Humfredus Gilbertus* Eques Anglus, vt directis in terram *Floridam Americae septentrionalis* prorsus, transitum in Orientem quaereret. Verum hic ingressus magnum illum *S. Laurentii fluium*, cum quaedam ad piscationem Anglorum in illis partibus pertinentia constituisset, nulla re alia gesta domum rediit.

1585. Anno Salutis MDLXXXV. *Iohannes Daus* assumtis tribus nauibus eundem inuestigauit transitum, cumq; ad gradum LXVI peruenisset, & omnia quae viderat, diligenter obseruasset, reuersus domum, sequente anno idem iter ingressus ostium amplissimi fluiui intrauit, in itaq; cum incolis amicitia cum hyems instaret, vltiorem disquisitionem in annum sequentem distulit. Cum autem fines Americae versus occidentem attigisset, & Gronlandiae littus ad orientem haberet, transitum late patentem adeptus, vsq; ad LXXIII. gradum versus polum accessit, per quem in vastum penetrauit Oceanum, vbi nullum amplius erat a glacie periculum. Satisfecisse igitur tunc quidem suo arbitratus desiderio domum repetiit, id adeptus honoris, vt postmodum trames ille *Fretum Daus* appellaretur. Non igitur via illa aliis iure tribui potest quam Anglis, quod societatis Rutenicae sumtibus illa primum omnium inuenta fuerit. Hi enim, quos supra commemorauimus, primi littora illa, freta, promontoria, ostia, Sinus obseruauerunt, & ex parte possederunt, vnde ad eos & honor & emolumentum iure pertinet.

Angli diu
ante Hol-
landos
in septen-
trionem
nauigauerunt.

Negari enim non potest *Hollandos* totis XXVI. annis demum post *Willugbeii* expeditionem *Iohannem Vahalum* Batauum in *S. Nicolai* sinum misisse, qui primus ibi cum *Rutenis* siue *Moschis* negociatus est.

Hoc successu alacriores facti *Bataui*, subinde in eas partes nauigauerunt, continuato cursu & negociatione, vt ex nauigationibus eorum, quas in lucem emisserunt, liquido constat, inter quas illustrissima est ea, quam anno Salutis MDXCVI. in nouam *Zemblam* instituerunt, ibiq; totam illam longissimamq; hyemem inter aeternas incredibiles exegerunt, qua finita, pauci ex iis in *Hollandiam* reuersi sunt.

1596. His tamen *Hollandorum* ausis & velut intercessione non territi sunt Angli, vt non vrgerent propositum, & in peruestigando *Septentrionali* illo tramite pergerent. Anno enim a n. C. MDCLIII. Anglus quidam ad *Insulam Cherry* cum appulisset, & quosdam *Morceos* siue *Hippopotamos* interfecisset, onusta plumbo nauis in *Angliam* rediit.

1608. Quinto anno post *Hudsonius* vsq; ad gradum LXXXI. penetrauit, & in reditu, cu a priore via aberrasset, nouam inuenit *Insulam* sub gradu LXXI. eamq; de suo nomine appellauit. Cu autem societas negociatorum *Londinensium* intellexisset, immania cere & alia monstrum marina oceanum septentrionaleni infestum reddere nauigantibus, missae fuerunt aliquot naues, quibus aliud nihil erat datum negotii, quam vt belluas illas quacumq; ratione delerent

delerent. Et si autem res illa maximi sumtus fuit, non caruit tamen successu cum male sublati monstris illis vel profligatis, tranquillum postea nauigantibus praestiterit iter, qui ad peruestigandas vltiores terras se accinxerunt.

Anno Salutis MDCX. duae naues missae fuerunt, & anno sequenti totidem, vt *Cherryn* & *Gronlandiam* Insulas adirent & ibi capturae balenarum operam darent. Aderant *Thalassarcha* illius classis, cui nomen erat *Thomas Edgao* Anglo, sex Bosci siue *Cantabri* ex *Hispania*, artis capiendi balenas pertissimi, qui multum iuuerunt Anglos in monstrosa illa piscatione: nam praeter balenas aliquot, magnum numerum eorum animalium, quae amphibia sunt, & vulgo *Equi marini* vocantur, trucidauerunt, vt haec postrema nauigatio Anglis valde fuerit quaestiuosa.

1610
&
1611.

CAPVT VIII.

Continuatio superiorum expeditionum septentrionalium. Dissidium inter *Hollandos*, *Danos* & *Anglos*, & eius cause. nouae quaedam terrae atque *Insula detecta*.

ANNO a nato Seruatore nostro MDCXII. duae naues Anglicae ad piscationem cetorum sub *Edgao Nauarcho* in *Gronlandiam* missae fuerunt: cum autem ipsis nauium rectoribus parum inter se conueniret, nihil admodum effectum est. Anglos more suo secuti *Hollandi*, naeti viae ducem Anglum quendam nauiclerum peritissimum, eodem appulerunt. Sed hi a Praefectis & Nauarchis Anglorum repulsi & domum infecta re abire compulsi fuerunt. Idem accidit nauis Hispanicae, quae & ipsa nauiclerum Anglum naeta fuerat, & eo accesserat. Anglus iste, Hispanorum dux reuersus domum, & in carcerem coniectus, vix euitauit, supendium.

1612

Anno sequenti misit ipse Rex suas cum mercatorum nauibus, vt classis illa VII. naues constitueret. Harum praefectis mandauerat Rex, vt omnes exterorum naues ex illis *Gronlandiae* littoribus exturbarent, nullisq; praeterquam quae ad societatem *Londinensem* spectabant, illic negociandi darent licentiam. Apulerant iam in diuersis portibus naues peregrinae circiter XV. has superuenientes Angli infecta re discedere coegerunt. Et Hispanicis quidem, Gallicis atque *Flandricis* ea nauigatio omnino fuit irrita: soli *Hollandi*, quia proteruiores erant, & periculum contemnebant, emolumentum aliquid ex ea negociatione perciperunt. Eodem anno *insula*, cui nomen *Bonaespei* indiderunt, ab Anglis reperta est.

1613

Iam ad vim & arma spectabant tam Angli quam *Hollandi*. Illi igitur anno Salutis MDCXIV. tredecim maiores naues & celoces duas expediuerunt, sub ductu *Iosephi Beniamini* & *Thomae Edgae*, cum vt in *Gronlandia* negociarentur, tum vt nouas quaerere terras. Instruxerant iam ante *Hollandi* in eundem finem XVIII. naues, inter quas erant quatuor militares, & in septentrionem miserant. Haec cum se opposuissent Anglis, nihil illi contra moliri ausi sunt: id ergo factum est, vt neutri suis commodis prospicere rite possent. *Gulielmus* tamen *Bassinus* hoc anno ultra octogesimum progressus gradum, nouas quasdam detexit *Insulas*.

1614

Sed hunc errorem cortexerunt *Hollandi* anno sequente. Cum enim classis XIV. nauium in illas oras deduxissent, in quibus tres erant militariter instructae, spretis contemtisq; Anglorum minis, magnam vim balenarum in diuersis sinibus exceperunt, nec Angli eos impedire ausi fuerunt. Eodem anno praefectus triam nauium *Danicarum* nomine Regis sui vectigal ab Anglis exegit, cui respondit *Edgao*, *Gronlandiam* *Insulam* Regis Angli parere imperio, nulli igitur alii principi se esse obnoxios. Et hi quidem *Dani* primi fuerunt, qui in *Gronlandiam* appulerunt, duce vsi Anglo, *Iacobo Vadenio*.

1615

Sequenti biennio magna prosperitate vsi sunt Angli in his septentrionis partibus, & ad perquirenda vltiora versus polum loca perrexerunt: anno vero MDCXVIII. Cum *Selandi* intellexissent, venisse quidem XIII. naues Anglicanas ad littora *Gronlandiae*, sed male instructas & propemodum inermes, vt quae piscandi non pugnandi gratia a patria profectae fuerant: ergo *Selandi* coactis pluribus nauibus militaribus adorti Anglicanas naues, parum abfuit, quin eas penitus ex illis partibus profligauissent; aliquot quidem interceperunt & perdidit. Idem vero *Selandi*, ausi etiam in ipsa *Insula* pedem ponere, & munimentum Anglorum adotiri, ab Anglis mascule excepti repulsi que fuerunt. Et quam-

1616

1617

1618

*Pugna
Naualis.*

Et quamuis vtriq; signum pacis vel induciarum proposuerunt, altercantibus tamen interim praefectis, toto biduo nihil effici potuit. Resumpto igitur bello Selandi quinque nauibus Propraetoriam Anglorum velut indagine cinxerunt, eamq; cum diu se acriter defendisset, fugere coegerunt. Fugientem persecuti Selandi, interfecto propugnatorum fortissimo quoque, postremo expugnaverunt. Ipsam quidem nauem penitus exspoliauerunt, Anglos vero vectores & nautas in vinculis detinuerunt. Et sic ille annus Anglis parum ex sententia fluxit.

1619

Vrgentes propositum iidem Nauarchi Angli, anno Salutis MDCXIX. cum nouem nauibus maioribus & celocibus duabus Gronlandiam petiuerunt. Cum autem Hollandi cognito Anglorum aduentu balenas variis terriculamentis prostrigassent, vt alio se ad tempus reciperent, infructuosa fuit illa expeditio. Idem factum est annis duobus sequentibus, in

1620

1621

primis vigesimo, quo ad impedimenta ab Hollandis obiecta, etiam Dani Anglis molesti fuere. anno XXI. Societatis Ruthenice praefecti Londino alias naues numero octo in septentrionem emiserunt: ex his vna, quae caeterarum facile princeps erat, glaciei impetu ita quatata & perdita fuit, vt vectores eam deserere & se in scapham actuariam recipere coacti fuerint, eo euentu, vt multis frigore extinctis, quibusdam vero parte aliqua aut membro mutilatis, vix pauci incolumes euaserint. Caeterae naues mercibus septentrionalibus onustae,

1622

domum redierunt.

Ab eo tempore vsque ad hunc, quo haec scripsimus annum, non deserunt tam Angli quam Hollandi, calcata omniformidine, & spretis periculis certissimis, quae non tam a barbaris gentibus, feris animalibus & belluis marinis, Oceanum illum nauigantibus impedere, quam ab intensissimo gelu & glacie; non deserunt inquam, instructis emissisque in rigidas istas septentrionis plagas nauibus tentare, an transitus aliquis detur ex Europa nostra in Sinarum regnum, & Cathaenense, atque alias Orientis partes. Et si autem vtriusque nationis peritissimi nauarchi haecenus ad summam diligentiam nihil fecerunt reliqui, aliis quidem in orientum solem, aliis in occidentem vela facientibus; nondum tamen haecenus planum facere potuerunt, an natura partes illas freto aliquo fecerit peruias, an vero obiecta continente occluserit. De glaciei quidem ac frigoris immani obstaculo conqueruntur

omnes. Caetera quo pacto habeant, sequens & forte sapientior ostendet aetas, nos interim his erimus contenti.

